


LVI
D.
17.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
D
17
NAPOLI






Sÿmbolum

Sis mihi, magne DEVS, vitâ SOL lucid, omni,

Sim FLOS, qui SOLEM spectat ubiq; suum.

JOACHIMI PASTORII
AB HIRTENBERG,

# HISTORIÆ POLONÆ PLENIORIS

PARTES DUÆ

*Ejusdemq;*

# Dissertatio Philologica

DE

*ORIGINIBVS SARMATICIS*

NAPOLI



DANTISCI
Sumptibus SIMONIS BECKENSTEINII.

ANNO M DC LXXXV.

Supremæ Voluntatis

*ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI OLIM*

DN. ANDREÆ TRSEBICII,

Episcopi Cracoviens: Ducis Severiæ Executoribus.

*ILLUSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS,*

DN. JOANNI SBASKI,

Episcopo Przemisliensi, Abbatiæ Suleoviensis Administratori, Protectori Testamenti.

DNO. NICOLAO OBORSKI,

Episcopo Laodic. Suffraganeo, Scholastico & Officiali Cracoviensi.

DN. CASPARI CIENSKI,

Decano Cathedr. Cracov.

DN. ANDREÆ GRABIANOWSKI,

Canonic. & Archid. Cracoviensi.

DN. STANISLAO ROZRAZEWSKI,

Custod. Cathedral. Cracoviensi.

DN. STANISLAO CIENSKI,

Cantori Cathed. Gnesn.

DN. CHRISTOPHORO CHRONOWSKI,

Can. Cracov. & olim Illustrissimi Thesaurario.


DN. ALBERTO ZLOWOCKI,

Canonico Cracoviensi.

DN. JOANNI LUCKOWICZ,

Canonico Kielcensi.

Florus



Lorus meus, Illustrissimi et Perillustres Domini, succinctum, nec ingratum Orbi erudito rerum Polonicarum compendium, multis desiderium movit plenioris operis, quo, quæ brevibus ibi lineis adumbrantur, latiùs exponerentur, & quæ brevitatis causâ omissa essent, adderentur. Cui æquissimo voto pro virili parte jam obsequor. Quia tamen antiquioris Poloniæ res togatæ ac bellicæ, prolixo satis nobilium ingeniorum labore celebratæ, nostro minus indigent, recentiora duntaxat, & quæ nostrum fatigavêre seculum, longiore filo contexta, & sollicitâ multorum annorum curâ limata, in lucem edere audeo. Ac primò quidem cum Cosacorum & Tartarorum infanda conjuratio, præcipuam novissimis Reipubl. bellis & calamitatibus, ansam ac materiam dederit, utrumq; hunc populum curatiùs, quam ante à quoquam factum, depingere libuit, ut sciat melior Orbis, quam barbaro flagello plectere nostra peccata irato Numini placuerit. Infelices deinde cum minori perfidorum illorum manu, post eà cum innumero conjuratæ multitudinis numero conflictus, & his tempore

sup-

ſupparem, ſed immane, quàm intempeſtivum, vereq; infortunatum, fortunatiſſimi alioquin Regis VLADISLAI obitum, ac funus luctuoſiſſimum, novi poſtea *Principis* electionem inaugurationis ſolennia, Comitia, graviſſimasque de nutante tùm Reip: ſtatu deliberationes, ſententiasque Senatorum, & Ordinis nobilium: improſperum denique cum duce Coſacorum, Chmielnicio, fortunâ ſuâ jam ebrio, pacis tentamen, multas ſimul ubiq; intertextas variorum literas & Orationes, primâ hac parte complexus ſum, quæ ſecuta deinceps ſunt, additurus, ſi mihi, annis & laboribus feſſo, vitam Deus prorogare voluerit. Cæterùm has ipſas plenioris Hiſtoriæ primitias cum magno Senatori, magno & Patrono meo ANDREÆ TRZEBICIO, piiſſimæ memoriæ Epiſcopo Cracovienſi, Duci Severiæ, dicare conſtituiſſem, accidit præter opinionem, ut ingens ille & Neſtoris ævo digniſſimus Præſul, lucem hanc, quam noſter iſte fætus ſubire moliebatur, deſereret. Poſt fata Atlantis iſtius, quem ſemper deflebit, nunquam ſatis laudabit hæc Reſpublica, ubi conceptus ex tantâ jacturâ dolor primos impetus fregerat, anceps me cura torſit, ad quem partus iſte, Patrino & Suſceptore ſuoorbus, dirigendus eſſet. Variè circumferenti oculos:

*Illustrisſ. & Perilluſtres Domini*, occurri-
… quos conſtat defuncto illi Ambroſio
… ro, inſignes ob virtutes, aliquos etiam
… ſanguinis nexum, maximè æſtima-
… maximè dilectos fuiſſe, mihi verò mul-
… nominibus ſuſpiciendos, & vel ideò vene-
… quòd præclaram erga me & meos be-
nevolentiam ſemper eſtis teſtati, ac porrò te-
… uros eſſe, certum habeo. Neque enim ve-
terem gratiam minuent, quin potius, ut ſpero,
augebunt hiſtorici labores, quibus æternitati
Patriæ, & gloriæ Virorum illuſtrium, quorum
non paucis vinculo generis innexi eſtis, ipſi
quoq; variorum decorum pleniſſimi, contra
oblivionis & temporum injurias, conſultum
imus. Suſcipite igitur, *Magni Tutores*, hunc
pupillum, quantum libet typographi, ceu
malæ obſtetricis manibus, quodammodo de-
formatum, paterno gratiæ Veſtræ ſinu fovete,
& contra invidiæ inſultus, patrocinio veſtro
protegite. Valete, & in decus Eccleſiæ quàm
diutiſſime florete: Dab. Ged. 2. Maji Ao. 1680.

*Illmar. & Perilluſtr.*

Dn. D. Vrum,

*Officioſiſſimus*

S

JOACHIMUS PASTORIUS, Proton. Apoſt. Chelmenſis, & … natus Varmienſis Canonic. Decan. Parochus & Offic. Gedan. ac Pomeran. generalis, Præpoſ. ad S. Albertum. S. R. Majeſtatis Polon. Hiſtoric. Secret. & Commiſſ.

*PAstori illustris, decus immortale Thaliæ,*
*Fallor &, aut sacri proxima cura Pedi,*
*Prodita dum pridem Superis, tua scripta revolvis,*
*Et patrii relegis Sceptra Deosq; Legi;*
*Jamque Ladislai & Casimiri nomina adortus,*
*Tempora dum nobis tradere tanta paras:*
*Di refovete Senem, precor, & Tu, Maxime Regum;*
*Nec nisi, Te scriptô, desinat ista manus.*

JOAN. ERN. SCHMIEDEN,
COS. GEDAN.

---

IN PARTEM PRIMAM
HISTORIÆ POLONÆ PLENIORIS PASTORIANÆ
JOH. PETR. TITII.
*EPIGRAMMA.*

VIderat Historici Spectamina Prima recensûs,
PASTORI ut prodit plenior ille manu.
Viderat; &, vigiles mirata Polymnia Curas,
Carumq; amplectens, nectare tincta, Caput:
O terris, LIVI, Salve redivive LECHEIS!
Sic, ait, æternum perfice dexter Opus.
Has desideriis præsens ferventibus ævum,
Posteritasq; pio flagitat ore Dapes.
Cætera, quæ seris donasti plurima seclis,
Fert cupido Lector cuncta, fovetque sinu.
Et possunt, avidum quamvis, explere palatum:
Gustus inexstinctam concitat iste sitim.

# HISTORIÆ POLONÆ
## De
## Bellis novissimis
### *PARS PRIOR.*

### PRÆLOQVIUM AD LECTOREM.

*EX omni genere monumentorum, quæ luci publicæ destinantur, ardui maximè operis HISTORIA est. Rebus enim factisq; mortalium perennitatem, qualem dare aut ferre humana possunt, conciliare debet. Eam verò aliis conciliare non potest, nisi ipsa sese supra corruptionis periculum, temporumq; injuriam evexerit. Quod quàm difficile obtentu sit, expendunt ii, qui librorum fata, quorundamq; intra ipsa incunabula interitum non ignorant. Nimirùm ad tantæ molis negotium, exquisitâ actionum eventuumq; humanorum notitiâ, judicio benè subacto, diligentiâ indefessâ, otio liberali, animo omniq; gratiæ odiiq; experte opus est. Quæ res cum rarò ingeniis universæ contingant*

*ſit inde, ut pauci ad ſcribendam hiſtoriam accedant, aut, ſi acceſſerint, ſub onere fatiſcant. Jam ii, qui in ejuſmodi opere defectus occurrunt, minimè omnium latere poſſunt, quia in id, quod ab Hiſtorico ſcribitur, multorum plerumq́ animi intenti ſunt. Quibus omnibus vel abſolutiſſima ſcripta rarò ſatisfaciunt, ne dum ea, quæ vitio aliquo laborant. Nam & nationum plerumq́ diſcordiæ ac certamina memoranda ſunt Hiſtorico. Tum verò vix fieri poteſt, ut adverſis æmulisve inter ſe Regnorum Provinciarumq́ incolis idem placeat rerum narrator. Sicq́ ſæpe in quiete etiam armorum, partis alterius judicia bellum in Hiſtoriam gerunt. Aggravantur porrò ſcribendi difficultates, cùm res, prout à manu adminiſtrantium adhuc calent, excipiendæ ſunt calamo. Nam uti in talibus novitas ipſa plerumq́ rapit legentium animos, ita eosdem privata ut plurimum ſtimulatio narranti conciliat, ſæpiùs alienat. Pleriq́ enim famæ ſuæ vel cum diſpendio veritatis ab Hiſtorico conſultum vellent. Uti equidem maxima pars mortalium, etiam bonorum & ſapientum, poſt æterna cæli bona, nihil ferè magis expetit, quàm proſperam & diuturnam ſui memoriam. Sed quemadmodùm homines actionum meritis, fortunæq́ ſimul ſucces*

*ſibus.*

*ju differunt, ita iidem haud pari modo haberi in Historiâ possunt. Hæc enim speculum esse debet, faciem meritorum cujusq; bonâ fide referens. Unde fit, ut imagine sui, quam istic expressam & ad posteros abituram esse sciunt, alii delectentur, alii multùm offendantur. Sunt, qui ipsi laudem non merentur, & eò iniquius ferunt alienam. Itaq; in sui diminutionem accipiunt, quæ de alio traduntur gloriosa, porroq; offensam, quam in æmulum, aut inimicum concepêre, in Historicum evomunt. Aliqui factionis suæ, aut morum etiam gentilitiorum nimis delicati amatores, libertatem sequiora perstringentis pati non possunt. Aliorum verò austerus, & seculo rerumq; regimini obirascens genius immodicam libertatem desiderat. Quibus adeò non placebis, nisi multum subinde miscueris acerbi, prorsusq; ad obtrectationē accedas, quam pronis auribus accipi, jamdudùm acutissimus Historicorum dixit. Quosdam etiam sententiarum in sacris diversitas à vero, virtutisq; in adversis partibus repertæ æstimatione abstrahit. Multi deniq; secretissima quæq; Principum consilia in Historiâ vestigant, quæ nisi reveles, perfunctorius videberis Historicus. At ea sæpè nec scire statim, nec tradere profectò licet, præsertim antequam ipsa sese effectu rerum explicuêre.*

*Me, cordate Lector, ad hæc, quæ vides, scribenda, nulla virium, quas nimis tenues esse scio, fiducia, nulla quoq; otii, quod inter tot alia occupato exiguum sanè superest, copia invitavit. Sed & cùm scripsissem, diu me à publicandi proposito, difficultatum, quas exposui, meditatio, tùm præterea illud inprimis retinuit, quod quò diutius pressissem opus, eò & penitiora & certiora omnia me traditurum sperarem. Nam etsi ab initio acta & consilia publica ex tabulario Regio, literis Principum, Senatorum, Ducum belli, Legatorum, hominum deniq; aliorum ad introspicienda rerum arcana missorum, relationibus hauserim, quibusdam & ipse interfuerim: spatium tamen moræ, nec exiguum, interponendum putavi, ut diligentiùs omnia conferrem, excuterem, ac tempori ipsi, quod verum à falso plerumq; non malè tandem discernit, limanda præberem. Et tantò minùs cruda, aut malè explorata promere audebam, quod in sinistra admodùm Reipubl. hujus fata inciderit labor meus. In tali enim rerum vertigine, quò veriora scripseris, hoc major imminet offensa & invidia. Reticere quippe misera, vel colorare deformia, non decet historiam, & frustrà eguntur, quæ in oculis omnium sunt, ac famâ publicâ longè lateq; sparguntur, alicubi*

*etiam*

*etiam in majus augentur. Plerumq; enim adversæ hominum ac nationum res multis insuper falsis onerari solent. At studiosa veri Historia gentium quidem decora cum curâ & sine livore, sed & dedecora citra insultationem memorat. Undè adeò in Romanæ Reip. Scriptoribus, non Carthagines tantùm, Antiochos aut Perseos debellatos, sed & Furcas Caudinas, & Cannas & Thrasimenos legimus. Mihi equidem, ut homine ingenuo indignum videtur, cuiquam blandiri in Historiâ, ita obtrectare pro magno crimine habetur. Quid enim hoc aliud est, atq; in publico orbis theatro bonâ existimatione alterum exuere velle? quam ut dixi, benè nati, beneq; instituti homines inter carissima plerumq; habent. Optimum igitùr tutissimumq; omnium esse arbitror Historico, animo styloq; modesto, semotoq; inprimis omni partium Studio, quàm maximè ubiq; studere veritati. Eâ enim uti fortunæ vices mortalitati, nimis quandoq; sui securæ, ob oculos ponuntur: ita factis hominum merces sua rependitur, quam ubi quisq;, prout dignum se præstitit, recipit, offendi, si bonus est, non solet, neq; debet, si malus. Nam iniquis adversationibus latiùs plerumq; famæ ulcera diducuntur, magis utiq; dispalescunt. Illatam verò scriptoribus*

*injuriam virtus ipsa, & omnis laudabilium ingeniorum posteritas, ut suum vindicat. Caterùm minimè dubius sum, in hoc opere benignum etiam Lectorem reperturum aliqua esse, quæ desideret. Certè in aliquibus hic justo brevior, in aliis contra prolixior videbor. Sed id utrumq; diverso argumenti merito, illud verò insuper relationum fide dignarum defectui, hoc copiæ earundem tribui velim. In tam vasto enim Regno haud pari facilitate ad unum omnia & singula deferri, quâ spectari queq; à singulis aut geri potuere. Mihi suffecit, nihil memorabile, quod scirem, incuriâ transmisisse. Neq; sanè in rebus, quarum exactam notitiam habere licuit, laudem brevitatis (inposterum tamen DEO volente diligentiùs servandæ) quæsivi. Tam enim graves Reipubl. paroxysmi sunt, qui hic describuntur, ut omnia eorum vel minima momenta pertinere videantur ad posteritatis curam. Et in tot illustribus togæ sagiq; negotiis, tot summis discriminibus describendis nulla utiq; diligentia potuit esse nimia. Ejus generis sunt Rebellionis Rusticæ primi motus, & mox progressus ejusdem oppidò stupendi: universæ Tartarorum gentis robur, Rebellibus innexum, & unà cum iis toties grassatum in ipsis Poloniæ visceribus:*

*bus: Vladislai Regis decessus, Regno prorsùs fatalis; exercitus aliquot miserè cæsi, aut fœdè dissipati: publicæ multæ super periculosis Reipubl. morbis, eorundemq; remediis, deliberationes: Regis novi post Vladislaum IV Electio, magnis difficultatibus constans, Coronatio ejusdem; Pereaslaviensis de pace negotiatio, Obsidio Zbarasiana sanè memorabilis, Sboroviana, & deniq; Beresteciana expeditio, & alia istiusmodi, posteritatis causâ & propter exteros talium curiosos, operosius exposita. Nec tenuioris ponderis erunt, quæ sequuntur, continuò adhuc cum seculo procedentibus ut negotiorum calamitatumq; nostrarum, sic remediorum prodigiis. Orationes varias, ut & literas haud paucas hîc inserui, quia quemadmodùm bella, ita togatas quoq; res à me vides expositas, illas inprimis, quæ in Comitiis contigère. Hæc enim in Poloniâ, ut constat, diserta ut plurimum facit acris Civium indoles & delicata libertatis custodia. Sed & ipsa plerumq; adversa qualia hîc describo, ingenium facundiamq; acuunt. Neq; verò cuiquam affictum hîc à me sermonem vel epistolam autumes. Nam etsi scio, præcipuos Historicos permisisse hoc sibi, ego tamen in istis quoq; religiosior esse volui. Cumq; adeò literas & sermones ejusmodi, prout sonuissent, bonâ fide exceptos*

*nactus*

*nactus essem, in Latinum meis verbis traductos apposui, malens scilicet alienorum operum interpres esse, quàm fictorum autor. Plura excusare hîc possem & deberem; sed cætera Tuæ, Lector, benignitati relinquenda censeo, quæ majorem meretur laudem & gratiam, cùm ultrò ignoscit.*

*HISTO-*

# HISTORIÆ POLONÆ De Bellis novissimis, LIBER I.

EXordium mihi Historiæ, Vladislai Regis extrema, turbidæq; illo decedēte, res Poloniæ, & inprimis motus Cosacici erunt. Qui ex privatis unius hominis offensis, paucorumq; de eodem grege armatorum coitionibus orti, assumptis dein auxiliis Tauricanis, concurrenteq; ad novam fortunam universâ Russicâ plebe, in immanem belli molem Regniq; totius diuturnam calamitatem evaluêre. Adjutum tempore malum est, quia in Rempubl. non securam duntaxat, sed suâ quodammodò felicitate laborantem, post & Capite orbam, viribusq; adeò suis, defectu vitiove regiminis, uti impotem inciderat. Hinc magnis successibus roborata rebellio, cùm diu nec armis, toto Regno commotis, nec interpositis etiam transactionibus satis unquam solidè cessisset, aliis postremò validissimis gentibus in Poloniam munivit

viam. Quæ omnia dùm ordine narrare aggredior, de Cosacorum, qui primum operis argumentum & omnium apud nos bellorum ansa sunt, sede, genio, & moribus præmittendum aliquid videtur.

*Russiæ divisio.* RUSSIÆ, seu, quod apud veteres usitatius ferè est, Roxolaniæ nomen multas, easq; vastissimas Europæ Provincias complectitur. Quarum quæ à Livoniæ Lithvaniæq; finibus in extremum Septentrionem, & ipsum usq; glacialem Oceanum porrigitur, cæteris spatio terrarum longè amplior, sed eadem frigore, tum sylvarum paludumq; aviis, moribus deniq; habitatorum multò asperior est. Eam quidam Russiam nigram appellârunt, vel quia in ultimi Septentrionis, longarumq; noctium caliginem recessit: vel à veteri incolarum habitu, qui & Melanchlænis istarum regionum populis olim nomen fecit. Nunc vastissimus ille terrarum tractus nomine ab Urbe Principe assumpto, MOSCOVIA dicitur: totaq; hæc regio ultra Europæ etiam fines patens, uni & infinitæ potestatis Dominatori subjecta est, quem Magnum Ducem, vulgò Czarum nominant. Cæteram verò Russiam antiquum jus, tum vis armorum, aut spontanea accessio Poloniæ Regno innexuit. Illa enim pars, quæ RUSSIÆ ALBÆ appellationem

nonem habet, ad Lithvaniam pertinet. Pars alia sub montes Carpathios, & Moldaviæ Daciæq; confinia procurrit, & quia meridiano magis soli exponit incolas, RUSSIA RUBRA nuncupatur. Sed ultra has, alia longè potentissima regio est, quæ pariter generali Russiæ nomine gaudet, discriminatiùs tamen loquentibus Ukraina vocatur, eò quod finibus Regni Polonici, quà id exercitatissimum jam dudùm bellis fuit, prætexitur. Etenim inter Borysthenem, Tyram, Hypanimq; fluvios (ut alios minùs celebres jam non nominem) latè protensa, uno latere Moscorum Imperio, alibi Tauricæ, Moldaviæ, Daciæ, ipsiq; adeò Turcicæ potentiæ objicitur. Sed quia illa antiquis etiam seculis, gentibus variis ferocissimisq; finitima fuit, jam tum collectâ hinc inde colluvie hominum, diversi, nec optimi semper generis, repleta est.

*UKRAINA Latinis confinium notat, à Kray, quod oram seu finem significat.*

Certè Dithmarus Episcopus Mersburgensis, qui millesimo decimo septimo annò Servatoris Chronicon sui temporis scribere cæpit: *Omnem hanc Provinciam, uti & KIOVIAM ipsam, fugitivorum robore servorum, huc undiq; confluentium, & maximè ex velocibus Danais* (accolas Danubii vel Tanais, qui etiam hodie Donenses vocantur, notat) *multumq; nocentibus Petinegis*(Peu-

*gis* (Peucinorum veterum reliquiis) *consistere* ait. Postquam verò Russorum vetus dominatio prolabi, atq; hinc quidem Polonorum potentiâ prævalente, illinc autem populationibus Tartarorum, qui occupatâ Tauricâ Chersoneso, vicina omnia longè lateq; pervagabantur, succumbere cœpit, magna paulatim terræ istius pars, præsertim, quæ Tartaris propior aut patentior fuit, in solitudinem abiit. Defuncta deinceps bellis Prussicis, quæ cum Cruciferis diutissimè gesserat Polonia, refrænare nonnihil Tartaros, avorumq; nostrorum memoriâ, novas in hæc deserta colonias inducere cæpit. Quibus defendendis, sub Sigismundo Augusto & Stephano Batoreo Regibus, excubitor impositus est exercitus, iisdemq; conservandis Magnatum quorundam latissimas ibi ditiones possidentium, fortitudo perpetim invigilavit. Ita ut illìc assidua quædam Martis arena esset: Polonis, campos uberrimos, & omnis generis fructuum, si colantur, feraces, usui suo magis magisq; aptare atq; ab invasoribus asserere laborantibus. Contrà Tartari eosdem incultos atq; inhabitatos esse malunt, in latiorem populandi utilitatem; tùm ut interjectâ hac spatiosissimi deserti vastitate sedes ipsorum â vi Polonicâ remotiores tutiores

*Campi deserti.*

tiores

riores que essent. Ex istarum porrò solitudinum latibulis facilior illis semper in terras, Regno Polonorum innexas, excursus patet. Hinc irruendi tempora speculari, hîc actis prædis occulere se consveverunt: accolis sequi rarò audentibus, quia celeritatem illorum nôrunt, & longiùs persequentibus ab eodem hoste magnâ hominum vi, & subinde furtim redeunte, nec minùs alibi à fontium penuriâ periculum est, cùm interim Tartari solito pabulo lacte & carne equinâ nusquam destituantur. Horum autem populationibus priorum temporum Russi non habuêre penè quod opponerent, quàm colluviem hominum, rapiendi agilitate hosti illi quàm simillimam, qualem in aviis istis, certorum incolarum expertibus, opportunitas & licentia prædandi numerosam subindè concivit. Quæ Cosacorum nomen vel ipsa sponte assumpsit, vel ab aliis accepit. Origo enim voci, æquè ut ipsis his hominibus obscura & dubia est. Alii inter quos est illustris scriptor Piasecius, à pervagâ & cuncta persultante caprarum (quæ Sarmaticâ linguâ Kozi dicuntur) agilitate dictos putant: qui & Cosacis ipsis initium fuisse tradunt ex caprarum pastoribus, quales hodieq; in finitimis Moldaviæ ac Hungariæ montibus degunt, homines miræ

*Cosacorum origo & nomen.*

miræ velocitatis, ſed eâ ad latrocinia abutentes. Varia his nomina, verùm à Coſacico planè diverſa. Quod non tam iis datum video, qui montes, quàm qui flumina quædam atq; etiam maria reddidêre infeſta. Ita Coſacos Volgam, Tanaim, Boryſthenem fluvios celeberrimos, Coſacos etiam Pontum Euxinum & mare Caſpium audimus percurrere. Nam quod Joſephus Bengorion maris Caſpii decurſores Choſaros appellat, errore factum puto: cùm Coſakos dicere debuiſſet. Mihi, ut fatear, quod res eſt, eò inclinat animus, ut nomen Coſacis à palmario ipſorum opere, famoſo nempe illo per fluvios & maria decurſu exiſtimem ſediſſe. Perinde enim ut alibi ſimile genus hominum, Curſari à currendo, ita à Slavonicâ voce Chodzic primùm Chodziaci, poſtea Coſaci facilè dici potuêre. Audivi aliquando de voce hâc diſſerentem magnum, & ingenio prudentiâq; inter primos conſpicuum Senatorem. Ille nomen hoc à navigiis, quæ in Poloniâ kozi vocantur, ortum arbitratur. Cæterùm qui noſtris terris plus aliis innotuerunt Coſaci, duûm generum ſunt, locis diſtincti, inſtitutis moribusq; ſimiles. Remotiores ſub Moſci ditione Tanaim, antiquorum ſenſu terminum Aſiæ, accolunt, & Donenſes vocantur. Qui

*Coſaci duplices.*

Poloniæ

Poloniæ ſubjecti ſunt, ſedem ſuam præcipuã habent in inſulis, quas Boryſthenes, vulgò Dniepr, cataractas ſuas, quas mox deſcribã, præterlapſus, plurimas facit, & inde ii tùm zaporoviani tum Niſovienſes, quod inferiõris fluminis partes, ſolumq; declivius habitant, appellantur. Alii Niſovienſiũ vocabulum ex Græcâ voce νησος ortum exiſtimant, ut quaſi inſulani fuerint dicti. Boryſthenes enim amplisſimus & rapidisſimus Sarmatiæ fluvius, ubi quinquaginta circiter milliaribus Germanicis infra Kioviam procesſit, anguſto inter ſcopuloſas utrinq; ripas alveo veluti ſtrangulatur, curſumq; ejus plures rupium ſeries, traverſim porrectæ interſecant. Sic, ut aqua iſtic per tredecim veluti gradus ſaxeos, alios intra flumen latentes, alios ſuprà, inæquali tamen altitudine eminentes, præceps ruat, non ſine horribili ſtrepitu: quia objectis molibus, magno impetu illiſus nec ſine luctâ decidens fluvius, alio ſubinde atq; alio ſcopulorum ordine excipitur. Hæ cataractæ Rusſis *Porobi*, hoc eſt limina: qui verò ultra eas habitant, Coſaci inde Zaporobiani vulgò (ut dixi ante) Zaporovienſes vocantur. Quibus Boryſthenes nutricius, protector & præcipuum delicium eſt. Hunc illi, tametſi rapidisſimum, & tot rupibus impeditum, ultro ci-

*Boriſthenes.*

*Cataractæ, vulgò Porohi, unde Zaporovianis Coſacis nomen.*

tro citroq; summa facilitate decurrunt, ipsos quoq; cataractarum scopulos securè trajicere soliti. Et id pro specimine ac experimento veri Cosaci habetur. Cæterùm cataractarum illi ordines, cùm tredecim numero sint, singuli sua nomina habent. Nos, quia omnia hæc scire parùm fortassis Lectoris interest, præcipuos recensebimus. *Codak.* Primus, *Codak*, ab ejusdem nominis flumine hîc Borysthenem subeunte appellatur. Et idem vocabulum Arci ibidem, sub auspiciis Vladislai IV Regis, à Stanislao Conjecpolscio Castellano Cracoviensi, & Duce exercituum, in Cosacicæ paritèr ac Tartaricæ licentiæ frænum, superioribus annis structæ, contigit. Medio inter decimam & undecimam cataractam spatio locus est, ubi Tartari in Poloniæ ditiones ituri, natatu Borysthenem trajicere solent, ripis utrinq; subituros flumen, proniore, quàm usquam alibi, positu, recipientibus. Intra ipsa porrò hæc cataractarum intervalla duæ insulæ sunt. *Strzelci Insula.* Altera Strzelci vulgò dicta, passus septuaginta latitudine, ambitu quingentos circiter complectitur, cæterùm asperitate & præcipitiis cultum omnem humanum excludit, alitibus eò frequentatius quietiusq; habitaculum. Altera grandior ex rupe pariter totâ, sed minùs tamen præruptâ constat,

ſtat, adeò ut habitationi non incommoda, ad vim etiam externam arcendam facilè ſufficiat. Hîc ubertim genus quoddam arbuſti naſcitur quod *Tavola* vulgo *Sarmatico dictum* ad expugnandas in equis urinæ difficultates ſolet adhiberi. Ex arbore inſula ipſa nomen accepiſſe videtur. Tavolzani enim appellatur. Et quia undecimo cataractæ vicina eſt, hic ipſe idem vocabulum obtinuit. Ultimus cataractarum, quia leniùs aquis fluvii obſiſtit, Wolny vulgò dicitur, & cùm opportuno ad arcem vel oppidum recipiendum ſitu ſit, nunc tamen omni ædificio cultuq; caret. Superatis omnibus Cataractarum obicibus ad *Kasſawarite* devenitur, locum à milio cocto nuncupatum, quo nempe reficere ſe ſoleant, qui periculoſas has fluvii quaſi ſyrtes ſalvi evaſerint. Inde modico ſpatio diſtat *kuczkuſow* locus ab amne in Boryſthenem hîc influente cognominatus, anguſtoq; dicti fluvii, in ſinum ſe hîc flectentis, alveo, tum Tartarorum trajectu inſignis. Quia enim non ſupra quinquaginta paſſus hîc patet Boryſthenes, & ripæ acceſſu faciles, nullis etiam ſylvis, unde periculum tranſeuntes metuere posſint, inumbrantur, hàc amant prædones illi flumen tranſnatare. Hinc nõ longè abeſt Chorticza, quam in

*Tavola arbuſtũ.*

*Tavolzani Inſula in Boryſthene.*

*Tartarorum trajectg.*

*Chortiсza Insula.* duos se alveos partiens Borysthenes utroq; brachio amplectitur, insulamq; facit, duas leucas Ruthenicas longã. Latitudo non ultra dimidiũ milliare porrigitur. Quercetis hæc insula supra alias abundat, nec inundationib9 facile obnoxia est. Nobilitavit eandem Demetrii Ducis Visnovecii, fortissimi olim Herois, virtus. Is enim ut Scythas longiusà Patriæ suæ finib9, illoq; inprimis, quẽ modò nominabamus, trajectu arceret, in hac insulâ militiæ suæ sedem & robur fixerat: hostibus istum excursionum suarum obicem impatientissimè ferentibus. Unde & Chanus ipse Tartaricus, eò nervos omnes intendit, ut loco isto præsidia Polonica excuteret, dictumq; Ducem, muro insulam sepire molientem, obsedit. Is ubi vires Tartaricas diu invictâ fortitudine sustinuerat, tandem, deficiente alimento, ipsisq; jam equis in cibum absumptis, naviculas Cosacorum cum suis conscendit, sicq; fluminis & scopulorum adversa feliciter eluctatus, Czerkasos incolumis pervenit. Ultra Chorticzam latiùs excurrit Borysthenes, ipso ei devexioris soli situ spatium pandente. Et
*Wielki Ostrow.* in eundem non longà hinc ad insulam, *Wielki Ostrow* dictam, torrens rapidissimus (Konska Woda) præcipitat. Qui tamen majori flumini sociatus magis, quàm immixtus, aquas suas seorsim & alveo proprio

ad duas penè leucas vehit. Alicubi etiam abiens prorsùs ſeparatur, inſulamq; facit, quâ multo ſabulo oppletâ, poſt modicum intervallum in Boryſthenem redit. In eundem hunc ex adverſo, ſed inferiùs paulò, alius amnis Tomahowka illabitur, datq; nomen Inſulæ non magnæ quidem, ſed vim atq; arma parantibus arcentibusve Coſacis apprimè opportunæ. Nam hæc & ſylvarum denſitatè quosvis auſus occulit, & quia extrema ejus prærupta ac valde edita ſunt, patet inde proſpectus in loca circumjecta, adeoq; ſi cui aggredi lubido ſit, is nullo negotio prohiberi poteſt. Eâ aſperitate cùm hæc ſit inſula, Coſacis gratisſima ſemper ſedes fuit, ut credas cum naturâ id hominum genus luctari velle. Hîc radix, ſeminarium, velutq; Gymnaſium præcipuum iſtius turbæ. Hîc duritiem corporum adverſus cœli injurias, hîc ferociam animi induere ſoliti: vetuſtisſimis quibusq; Coſacis alios iſtîc haud molli manu ad labores & frugalitatem, quibus ipſi inſvevêre, ducentibus. A Tomahowka non procùl diſtat locus, ubi Czertomelicus amnis Boryſthenem ingreditur. Qui hîc latiùs quàm usquam alibi exſpatiatus, & ut alveo, ſic viribus multifariam diviſis lanvidior, plurimas inſulas efficit. Illæ quia admodùm numeroſæ, pleræq;

*Tomahowſka Inſula.*

*Præcipuũ latibulum Coſacorum.*

*Czertomelicus amnis.*

autem ſpatiis anguſtæ, nec niſi tumulorum inſtar extra flumen eminent, ſubinde aquis obbruuntur, nec habent certa nomina: Piſcatui commodæ, quia exiguum laborem largisſimâ plerumq; capturâ penſant, cæterùm accesſu aſpectuq; difficiles, accedentibus inhoſpitæ, niſi his, quibus genius & asſvetudo triſtia omnia grata fecit, Coſacis. Una in medio omnium ſita, cæteras magnitudine antecedit, & rudera oſtentat veteris alicujus arcis reliquias, quas eminentior loci ſitus, undis etiam cum tumidisſimæ ſunt aliaq; omnia operiunt, inaccesſas facit. In iſtis inſulis intimus & ſecurisſimus Coſacorum recesſus eſt. Nemo enim, præter illos, hos fluvii in tot æſtuaria diſperſi anfractus, ac quaſi mæandros, ingredi unquam auſus eſt: & Turcæ aliquandò, cùm Coſacos ex Ponto Euxino cum prædâ revertentes, longiùs perſequerentur, has circa anguſtias pesſimè accepti ſunt. Hîc itaq; ſpolia, opes, & quicquid latere vellent Coſaci, recondere conſuevêre. Hîc * alicubi etiam ſub aquis machinas bellicas, ne, quibus non

*Insulæ Coſacorum.*

**Quâ de re qui plura volet, conſulat Gviliel-mũ Beauplanium, Nobilem Gallum, Virum de Poloniâ, in quâ ſub Magn. Conjecpolſcio, ductor cohortis & ſimul Architectus bellicus diu cum laude militavit, ipſâ etiam Ukrainæ & receptaculorum iſtorum Coſacciorum deſcriptione in publicum datâ præclarè meritum.*

bus non oporteat, exponerentur, jam olim abſtruſas, nonnulli memorant. Quicquid ſit, his utiq; locis præcipua ſemper conciliabula ſua habuerunt Coſaci. Et hinc plerumq; prima eorũ Effulsêre arma, quoties in Turcas, Tartarosve, vel etiam Polonos mota ſunt. Qui inter eos veterani erant, his in locis vel degebant perpetui, piſcibus venatuve vitam tolerantes, vel huc ſubindè ventitabant. Ad quos alii ſimilis notæ ex terris vicinioribus, Kiovienſi inprimis, æſtate, & quoties aliquid ſtruebatur, magno numero confluebant. Nec agreſtes tantùm, ſed ſubinde etiam ex Nobilibus aliqui, quibus cum fortunâ vel otio ſuo malè conveniret. Collecti in unum, Tartaris plerumq; inſidiabantur: quos ſeu per neglecta camporum cum familiâ armentisq; ſecuriùs errantes, ſeu prædæ intentos implicitosve, ad aliquem Boryſthenis trajectum invadere repentè, raptare & cædere geſtiebant. Non rarò ſecundo Boryſthenis flumine in pontum Euxinum invehuntur, præſidio Turcico, quod ad Oczakoviam, fauces maris illi9 ad duo milliaria patentes cuſtodit, inobſervati, ſæpe etiam inſultantes. Non navibus freti, qualibus maria alibi trajici ſolent, trajectusq; olim eſt Pontus Euxinus, cùm Ruſſi veteres plusquã ducentarum navium

*Coſaci ex agreſtibus conflati.*

*Tartaris inſidiantur.*

*Et Turcis infeſti.*

 claſſe

classe Constantinopolin, imperante ibi Romano, circa annum Christi nongentesimum sexagesimum, invasêre. Sed Cosaci lembis utuntur, quos sexaginta circiter pedum longitudine, ex truncis tiliarum fabricant. Hos enim cavant, & in formam Scaphæ quinquaginta amplius armatos capientis, ad lentum ignem arte singulari diducunt. Intùs verò coriis, & ad latera manipulis junceis, apte inter se nexis, munitos succinctosq; in mare impellunt, procellarum fluctuumq; securi. Dubium an origine, vitæ utiq; & morum similitudine referunt veteres Zygos & Heniochos, gentes pariter Sarmatici generis, quorum in decurrendo hoc eodem mari velocitatem & lembos prædatorios Strabo lib. XI. describit. Fuit, cũ plusquam centum scaphæ tales, multa armatorũ cosakorum millia, in Natoliam exposuêre, & magno isthîc terrore, fugâ ac deniq; pauperie factâ, multis spoliis dites, ad sua reversæ sunt. Multi adhûc seniorum meminêre tempus, cùm non Varnam modò, Oczakoviam, Techiniam, Belgradum, sed Trapezuntium quoq; locupletissimam Asiæ urbem, & mox Synopen, Mithridatis olim Regiam sedem, expugnârunt: & ex ipsis deniq; Constantinopolitanis suburbiis ingentem prædam, nemine prohibente, abstulere

*Cosacorum naviculæ.*

*Prope etiam similes lẽbos Tacit. hist. lib. 3. depingit.*

*Irruptiones Cosacorum in Turciam.*

ſtulêre. Ea iſtis hominibus navigandi bel-
landiq; audacia, ea pernicitas eſt. Accedit,
cùm quid moliuntur, ingens ſobrietatis
cuſtodia, magnum ad res gerendas adju-
mentum. Neq; enim in lembos ullum po-
tum generoſiorem inferre licet, ne fortè
ebrietas vigilantiã cujusquam agilitatem-
ve hebetet. Cibo etiam ut ſemper, ita in *Victus*
expeditionibus ſimplicisſimo laborem to- *Coſaco-*
lerant, milio inprimis victitantes, quod in *rum.*
vicinis Boryſtheni oris felicisſime provenit.
Habitu iidem utuntur facilè parabili. Quip-
pe ex ovium tergoribus rhenones hyeme
geſtant, æſtate panno laneo teguntur, albi-
cante plerumq;, quippe qui apud Rusſos
penè omnes domeſticâ texi manu ſolet, nul-
loq; colore inficitur. Arma iis, non ut *Arma.*
olim, harum terrarum incolis ſagittæ, ſed
ſclopi, leviores tamen, & ita comparati,
ut quemadmodùm feras, ita quidvis aliud
ictu certisſimo feriant. Neq; hos aliundè
quærunt, cùm plurimi inter ipſos ſint, qni
conficiunt, uti & pulverem pyrium: terris
iſtis omnia hic neceſſaria abundè ſemper
ſuppeditantibus. In bello his præcipue ſem-
per eminuêre. Inediam, labores, aëris in-
jurias, ſupra omnes etiam aſperrimos po-
pulos, ferre, ut ante innui, nòrunt. Hoſti-
bus non modò ſclopis ſuis, ſed inprimis

etiam arte fallendi formidabiles. Quibus inexpectati, & vel per gramina arrepentes, caliginosâ aut imbribus fœdâ nocte superveniunt. Suas ipsi stationes, jactis subitò aggeribus, vel carris, quibus euntes impedimenta vehunt, circumdant & pertinacissimè defendunt. Istis moribus & mores secutis successibus crescebat olim & animus & numerus Cosacorum. Sed diu sine lege egêre, eodem duntaxat licentiæ & prædarum amore invicem vincti, furtorum tamen inter se semper abstinentissimi. Unde adhuc si quid vel minimum cuiquam incuriâ vel casu periit, id ab inventore, si possessorem noverit, sine dolo redditur, aut in loco publico, præcipuè inter machinas bellicas, depositum manet, donec repetat possessor. Postea eosdem tempus & necessitas sub certa etiam signa colligi & imperia pænasq; militares ferre docuit. Jam dudùm itaq; Duces suos habent, quibus & Legatos, & Tribunos, & Consiliarios, Assavulos ipsis ( corrupto fortasse ex Græco βȣλὴ vocabulo ) dictos, adjungunt. Paucis tamen nominibus magnum plerumq; exercitum complectuntur. Nam legiones eorum, quibus Tribuni singuli præficiuntur, multa hominum millia, sæpè plusquam septem continent, diverso à cæteris genti-

bus

bus more, ubi nunc paucæ centuriæ legionum nomen circumferunt, non alio ferè fructu, quàm quod militarium dignitatum nomina multiplicantur, ambitiosis & sæpè haud alia præmia militiæ accipientibus, non ingrata laborum autoramenta. Consultantium verò maxima semper vis est in favore & consensu totius multitudinis, quam vulgò *Czern* vocant. Ea turbida & facilè mutabilis, in certam plerumq; & sæpè admodùm brevem Ducis vel Præfecti inter ipsos potestatem facit. Græci omnes, paucissimis exceptis, ritûs sunt, eòq; præcipuè respicere illos cœperant, quotquot in Russiâ eorundem sacrorum, post haberi aut premi sequerebantur ab aliis. Inprimis verò Nobiles istîc & Magnates quidam obliquiores in illos esse videbantur: quippe quorum subditos vicinia illius turbæ impatientiores laborum & servitutis reddebat, ferocissimo quoq; isthic solutis moribus, victu facili, perq; sangvinem & decus quæsito ævum agere malente, quàm domi ingemiscere glebæ, & annum, flagraq; expectare herilia, aut onera exactionum ferre. Subinde & Turca solicitatæ per ipsos pacis accusabat Poloniam; arma contra minans, nisi istos Rex exscinderet aut cohiberet. Et ad Chotimense bellum eâ maximè causâ

*Cosacorum religio.*

*Ii nobilibus exosi.*

*Cosacos Turca incusat.*

ſuccenſum ſe ferebat Oſmanes; cùmq; poſtea indomitos armis Polonos,& impigram ad pericula Coſacorum ipſorum virtutem expertus, ad pacis conditiones flexisſet, in his potisſimo loco caveri ſibi voluit, Coſacos à navigatione Boryſthenis, & inprimis Ponti Euxini prohibitum iri. Ex eo tempore accidi iſtorum vires, Polonis multùm annitentibus, cæpêre. Et jugum quidem illi diu & multo ſangvine fuſo, propulſare primò, mox & ſuſceptum excutere, aliis ſubinde atq; aliis Ducibus, ut alibi narrabitur, tentârunt. Sed tandem ubi à Stanislao Conjecpolſcio, & Nicolao Potocio, fortisſimis viris, ad Caucovum, Pereoslaviam, Starcum, & Cumeicum, memorabiles pasſi eſſent clades, inde ad humilioris obſequii patientiam redacti ſunt. Porroq; eos Boryſthene, firmatâ ad primos hujus ſcopulos arce Codacanâ, dein ab Euxini etiam maris navigatione excluſit Reſpublica, contractoq; eorum in ſex millia numero, novis, ſed quæ ipſis iniquæ videbantur, legibus, reliquæ ſuæ militiæ innexuit, diſtributis ad vitam tolerandam agris,& cuſtodibus ex Nobilitate Polonâ additis, quorum ſub nutu agerent, imperio Ducum Poloniæ audientes, & ad ſubita necesſitatum publicarum parati. Poſt transactionem Anno M DC

*Coſaci refranati.*

M DC XXXVIII factam, satis quidem illi quieti & in officio mansêre: aliquando tamen non eo loco, quem viri militares mererentur, se haberi querentes, intra animum verò haud dubiè ad libertatem amissam suspirantes, & occasionibus intenti. Transactioni illi inter alios Bohdan⁹ (quod nomen Sarmaticum Theodatum interpretari possis) Chmelnicius interfuit: Nuncius tùm etiam, cum binis aliis, ad Comitia ejus anni à Cosacis missus, cætera non ultra Centurionis adhuc dignitatem, cui postea Scribæ Castrensis munus accessit, in legione Czeherinensi progressus. Sed ultra sapiens, & ut ex eventu didicimus, flagellandæ Poloniæ, fatorum dispositu, & ab ingenio nimis quàm idoneus. Animi equidem callidi & versatilis insitam vim, usus postea rerum, tùm Turcicæ Tartaricæq; , ac rarior deniq; inter Cosacos Latinæ lingvæ, nec non Reipupl. Polonæ peritia, jamdudùm ad nova ausa acuerat. Unde & multis antè annis suspectatus fuit Duci exercituum Conjecpolscio. Et Rex ipse Vladislaus, cùm de bello in Orientem suscipiendo deliberatio incidisset, non alium exercituî Cosacorum, quem ad 12000. protendere decreverat, regundo, judicavit aptiorem. Sed quibus ille stimulis actus, præter

*Chmelnicii initia.*

*Chmelnicium suspectat Conjecpolcius senior.*

præter ſpem & judicia omnium, ungves aliò deſtinatos, maternis Reipubl. Polonæ viſceribus impresſerit, jam memorandum eſt; quolibet legentium haud dubiè cum admiratione expenſuro, quàm parvâ ex ſcintillâ ingens incendium oriri posſit, ubi ea in materiam capeſſendo igni maturam atq; idoneam inciderit. Non lubet verò nunc ingentem flagitiorum licentiam perſequi, quæ diſcinctis longiori pace moribus, effrenatiùs per Poloniam graſſata eſt. Princeps haud dubiè cauſa, ob quam iratum Numen, inflicto tam gravi flagello, antiquæ virtutis & gloriæ luxuriantem, & ſui penè oblitam terram admonere voluit. Neque occultas, cauſarum, quibus quidam in tam ardua cæpta impulſum ferunt primũ ſeditionis authorem, operosè nunc referam, quippe incertas & nonniſi ſuſpicionibus, quibus non lubens adſperſerim Hiſtoriam, innixas. Sufficit meminiſſe, quod ante jam innuimus, licentiæ asſvetum, & non jugi tantùm, ſed & regiminis malè patientem populum asſiduò veſtigâsſe, quà iſta imperii ſeverioris velut cuſtodiâ elaberetur. Nec defuisſe, qui occultè illis perſvaderent, ſuæ, id eſt, Græcæ religionis, ſub alieno dominio gemiſcentis vindicias haud aliunde quàm à virtute Coſacorum expectandas.

*Cauſæ remotiores ſeditionis novisſimæ.*

*Religionis ſtimulus.*

ctandas. Ista clam agitantibus pergratum accidit, Regem Vladislaum bellum meditari, cujus præcipuum instrumentum Cosacorum exercitus futurus esset, augeri ideò jussus aliquot millium capitum accessione. Bella hæc occasio fore videbatur, armandi in Russiâ plurimos, qui nunc segnitie vel ingloriis laboribus ævum tererent.. Simul exercitus Cosacorum hac occasione & numero validior, & operibus bellicis spectatior redditus, datâ opportunitate, asserendæ & suæ & omnis Russicæ gentis libertatis, eximiè aliquando arma sua impendere posse credebatur. Sed malum hoc semel exorsum multæ deinde res longè lateq; provexêre, in ipso Historiæ hujus contextu, cuivis facilè & ultrò animadvertendæ. Interquas non immeritò Coloniarum in extrema camporum desertâ recens deductarum frequentiam numeraverim. In has, per datæ in annos aliquot libertatis invitamenta, ingens hominum turba, ac propè dixerim, sentina confluxit. Ferè enim illò, ex aliis Russiæ Poloniæve partibus ferocissimus quisq; multi etiam, qui bonis suis adesis, aut scelere commisso, famen funemve alibi timerent, se receperant; omnesq; aut armati veniebant, aut istîc armabantur, quò scilicet adversus Tartarorũ vim &

*Cosacorum exercitus augeri à Rege jubetur.*

*Coloniarum novarum numerus seditiosis est adjumento.*

vim & insidias se & oppida sua levi opere munita, tueri posſent. Illi enim Scythici prædones subitis asſultationibus adeò omnia istîc infesta reddiderant, ut vix nisi gregatim armatiq; oppidani ad curanda necessaria progredi auderent. Hos verò alioqnin soli, ingenio suo uberrimi, fæcunditas, victu facili, laborum securos vitâq; solutiores, reddebat: adeò ut compotationibus plerumq; tempus tererent, de se familiâve parùm soliciti, onerum herilium immunes, tantoq; adeò impotentiùs felicitatem suam ferentes, quod in servitute nati libertate corrumpebantur. Adhæc, Nobilitatis proceres ex plebe illâ rusticâ robustisſimos & agillimos quosq;, in custodiam corporis sui, & ad casuum periculorumq; fortuita, sæpè etiam ad pompam magis selegerant. Qui more militari pedem referre, servare ordinem, arma arte tractare, à Germano aliquo Ductore eruditi, habitu insuper externo, veros Germanorum Dimachas, vulgò Dragones, cùm gente Rusſi, religione Græci eſſent, mentiebantur. Genus hoc militis placebat plurimis, ob compendium sumptuum, & quod domi videbatur jam haberi, qui hactenùs alibi fuiſſet quærendus. Nec minùs Coloniæ (de quibus paulò ante) privatim publiceq; utiles censeben-

*Rusſi agrestes in satellitium Nobiliũ adsciti arma tractare discunt.*

censebantur erantq; reverà. Sed ut optimè cogitata, facile in perniciem hominibus, irâ fatorum urgente, vertunt; ita utrumq; hoc destinatum Reipubl. universæ, pessimè, ut in progressu Historiæ patebit, cecidit; futurum sanè memorabile in omnem posteritatem documentum, non esse facilè armandam multitudinem, illam præsertim, quæ causam vel habet, vel habere sibi videtur, cur fortunam suam mutatam velit. Nam profectò, ubi illa vires suas circumspicere atq; intelligere cæperit, spe impunitatis mordebit frena, &, Duce oblato quæsitove Dominis suis rebellare, quàm parere malet. Cæterùm, quicquid hactenùs causarum refero, ignis fuit sub cineribus latens, quem in apertum demum oblatæ occasiones prolicuêre. Has verò ipse ille Chmelnicius in literis, ad Nicolaum Potocium, Castellanum Cracoviensem & Ducem exercituum scriptis, promit, haud dubiè aliqua in majus augens, ut solet quisq;, quantum potest, calamitates suas facundè queri. Interim vera multa sub esse, omnes, quorum non interest in diversa niti, fatentur. Præcipuê verò in iis Czaplinscium Czeherinensis territorii subpræferfectum incusat, primumq; stimulum ad nova molienda sibi fuisse refert. Cum quo tali ratione

*Offensæ Chmelnicii.*

*Czaplinski sub præfectus infestus Chmelncio.*

tione ortum ei jurgium, & posteà inimicitia fuit. Possidebat Chmelnicius in eodem Czeherinensi territorio agrum à Patre suo acceptum. Qui gente Lithvanus, ortu, ut ferunt, Nobilis, cùm nomen militiæ Cosacorum dedisset, unde unicè, ductâ etiam uxore Ruthenâ, vitam sustentaverat more istius generis militum, quibus aliud stipendium non dabatur. Sed post Patrem ad Czecoram captum, & in Turciam abductum, filius ex Tartarorum vinculis à Matre redemptus ruris paterni limites latiùs extendere cœperat, licitum id videns usitatumq; in terrâ, non adeò tum refertâ incolis, & Scythicis populationibus plurimùm infestâ. Posteà verò, cùm Duces exercituum, cohibitis Tartaris, habitandi securitatem longiùs promovissent, plures affluere cultores, atq; inde agrornm limites curiosiùs arctiusq; haberi cœpêre, Polonis, Magnatumq; inprimis ministris sedes hîc sibi, quà commoditas placuisset, firmantibus. Inter alios Czaplinscius ille, quem nominavi, fundum ibidem à Stanislao Conjecpolscio, Castellano olim Cracoviensi & magno exercituum Duce, impetratum, conquisitis haud segni curâ operis, excolebat: eo faciliore successu, quia cùm territorii Sub-Præfectus esset, omnia sibi habebat proniora.

niora. Inde cupiditas crevit ampliandi possesſionem; & quod Chmelnicius plus aliis tenere iſtis videretur, eum parte agri, quam nullo liquido jure, ſed ut vacuam ille occupâſſet, impetrato à Præfecto territorii conſenſu, exuit, ex aliâ etiam quâdam interioris, ut ferunt, admisſionis familiaritate homini infenſus. Coſacus aliquamdiu contrà nitebatur, preces, minas, atq; etiam literas, non à ſummo tantùm exercituum Duce Potocio, Conjecpolſcii defuncti ſucceſſore, ſed à Rege ipſo Vladislao IV. opponens. Sed fruſtra fuit: quippe cedere agro & incompenſationem damni quinquaginta florenos accipere jusſus eſt; Multa hinc inter illos lis, & ut apud infenſ s ſolet, dicta & facta omnia adverſa. Sed acceptis damnis acerbior contemptus Chmelnicio fuit, cùm & publicè in foro filium ſnum, jusſu Czaplinſcii verberatum, & per ſpeciem tributi equum ſibi ademptum intellexerat. Accidit inſuper, ut ſtrepente de Tartaris Czeherino imminentibus rumore, vitæ periculum Chmelnicius incurreret. Nam cùm copiarum militarium proximæ obviâ procurrisſent, intermixtus iis Chmielnicius à ſocii militis frameâ ictum accepit, quem niſi galea non penitùs dirupta represſisſet, lethalem ſibi futurum fuiſſe,

*Chmielnicius exüitur fundo.*

ait ipse in literis suis. Miles ille Tartarum sibi creditum, inquem incurreret, obtendit. Chmielnicius aliis incentoribus structum facinus credebat, jamdudùm ante infida sibi omnia & undiq; tendi insidias, carceremq; aut necem imminere ratus. Ac sanè unus ex ipsis etiam Cosacorum Tribunis, Romanus Pesta, incertum an contrariæ factionis studio, an ut magnis ausibus parem destinatumve suspectans, multa ei sinistra ante hàc & objecerat, & minatus erat: cui etiam Proceres quidam aures præbere, & in Chmielnicium indies obliquiores esse cœpêre. Unde in carcerem compingi illum Dux exercituum jusserat, quod inprimis sinistra consilia in Vexilliferum Regni Conjecpolscium è Tartarorum tùm finibus multâ cum prædâ revertentem, injerat cum aliis Zaporovianis. Præcluso enim reditu intercipere illum meditatus fuisse dicebatur. Sed è carcere hominem, Stanislai Krzycevii Nobilis Lithvani, legionis Czeherinensis, ad quam Chmielnicius etiam pertinebat, Præfecti interposita fides liberavit, magno & Reipubl. & Krzycevii ipsius, ut posteà patebit, malo. Chmelnicium istæ, ut ipse interpretabatur, injuriæ ac contumeliæ eò penitiùs urebant, quòd, ut ante innui, non ita dudùm benignũ Aulæ in se vultum animumq;

*Incusatur malarum molitionum.*

*Chmelnicius captivus liberatur à Krzycevio.*

mumq; Vasſaviæ cognoverat, ubi ad belli in non nominandum hoſtem movendi ſecretum erat admisſus. Quinimò poſteà Rege mortuo, jactâsſe is fertur, ſibi cum injurias ſuas & neglecta, de ſatisfactione, jusſa Regia quereretur, oſtenſum à Principe, quem geſtabat, gladium. Quod deinde inter Nobiles ſparſum, prout quisq; Aulæ conſiliis æquus vel adverſus esſet, ita fidem & judicia reperit. Quicquid ſit, favori Aulico malè fiſus ille, non erga adverſarios tantùm ſuos pertinacior fuit, ſed & privata, quæ accepisſe videbatur, damna & contumelias vel ſummo terrarum malo ulciſci ſtatuit: audacius conſiliis ſuis ipsâ blandiens ſpecie necesſitatis, cujus duriſſimo ſcilicet telo ad extrema omnia urgeretur. Sed haud dubiè præter necesſitatem occultis ambitionis ſtimulis ad novam in turbido quærendam fortunam excitabatur. Itaq; infandam ordiri telam moliens, in locum florentibus æquè & laborantibus Coſacis uſitatum, inſulas nempe Zaporovianas, quarum ſitum ante memoravimus, ingruenre jam hyeme, profugit paucis Comitatus. Sed multos pòſt exemplo & ſpe ſimili eòdem traxit, à nonnullis etiam, rerum præſentium faſtidio, jam dudùm Chmielnicium ad peſſima quæq; ſtimulantibus, &

*Chmielnicius favore Regis abutitur.*

*Chmelnicius in inſulas Zaporovianas fugit.*

mox consilia ac fortunam sociantibus, præventus est. Brevi certè tempore adeò excrevit profugorum numerus, ut motæ in illos, jussu summi Ducis, velut in excubias ordinarias, aliquot Cosacorum, tum adhuc fidelium, cohortes, nullâ re effectâ, & majore accepto, quàm dato damno recesserint. Primus hic actus hostilitatis fuit, sed post hunc quoq; tàm causæ, quàm viribus malè fidens, ac calliditate moram rebus suis stabiliendis quærens Chmielnicius, & qui cum eo erant, armorum necessitatem deprecabantur. Certè literæ eorum ad militiæ Ducem Potocium, post hunc primum congressum scriptæ, multam modestiam præferunt. *Non se*, ajunt, *ullâ licentiâ aut novarum rerum cupidine, sed gravissimis injuriis, depeculationibus contumeliis actos, relictis rebus suis, in asperas istas, & in hospitas insulas secessisse. Nimium scilicet & intolerabile fuisse, quod in ipsos sibi non Præfecti tantùm, sed & Judæi, spretissima alibi per Poloniam natio, permiserint. Frustrà avaritiæ & crudelitati istorum non tantùm Ducis exercituum, sed & Regis authoritatem oppositam. Nec in Tribunis suis sibi quidquam præsidii relictum, qui potentium libidini assentando sua augeant res, miserari cæteri gregis sortem nesciant. Et jam in cædem vel supplicium misero-*

*Repellit missas à Potocio copias.*

*Excusant primam hostilitatem Cosaci.*

*Cosacorum querelæ.*

*miserorum nimiùm properos accurisse, sed à Numine sæva molientibus haud propitio necessariâq; honestè se tuentium virtute repulsos. Æquum esse ut ab iniquitate malè dominantium inposterum immunes, Regiis privilegiis fruantur, qui Regiæ voluntati & usui Reipubl. se & sua omnia consecrârint.* Excusant eædem literæ Chmielnicium, *concitæ seditionis malè accusatum ferentes, quem pariter nihil aliud, quàm infestæ machinationes, calumniæq; inimicorum, inprimis Romani Pestæ, qui olim seditionis aûtor, eâdem maculâ nunc innocentes polluere velit, lare suo expulerint.* Majore specie quàm fide composita videbatur epistola Potocio, non jam verba profugorum, sed ausa reputanti: nihilominùs Duce amoto, reliquis consilium animumq; defore existimans, Chmielnicio plenam omnium hactenùs factorum impunitatem pollicitus, persvadere conatur, ut relictis Zaporavianis suffugiis, ad se veniret. Sed is tergiversans primùm, mox ceteris acerrimè dissvadentibus, venturum se penitûs negat. Hinc iratior Potocius, & nihil jam boni sibi de istis pollicens, memor deniq;, quibus difficultatibus & periculis, ante annos aliquot, ferocem illam hydram perdomuisset, jam novis capitibus repullulantem, properè & modis omnibus

*Chmelnicium vocat ad se Potocius.*

*Potocius in Chmelnicium decernit bellum.*

comprimendam arbitrabatur. Sed erant alii, qui mollibus adhúc consiliis, & potiùs prudentiâ, quàm vi cum isto hoste agendum censerent. Inter quos accipio non Adamum tantùm Kisielum fuisse, Palatinum tùm Braclaviensem, posteà Kioviensem, gente & religione Ruthenum, ingenio, facundiâ, & multiplici virtute ad summa inter Polonos enisum: sed & Stanislaum Lubomierscium, Palatinum Cracoviensem, virum sago togâq; præluſtrem,& rebus gestis authoritatem in Poloniâ maximam adeptum, eandemq; tùm adhùc, etsi fessà annis morbisq; ætate servantem. At exercituum Duci utriq;, inprimis Majori, spreta sua à Cosacis imperia, & Chmielnicii ad eos venire recusantis obstinatio, simùl contagionis ab indulgentiâ vires acquisituræ metus, aspera remedia lenibus ante habenda esse persvasêre. Ac per hyemem quidem, cùm aggredi illos intra septa sua atq; avia illa locorum latentes, nequirent, observandis præpediendisq; eminùs eorum molitionibus intenti egerunt. Dimissæ etiam tandem à Potocio Duce literæ, quibus edicebatur; *Chmielnicii ut societatem omnes fugiant deserantve; si contrà fecerint, in uxoribus, liberis, & fortunis relictis pœnam luituros.* Nec Chmielnicius interim ferieba-

*Dissvadet arma Kisielus & Lubomirscius.*

*Chmielnicius proscribitur.*

feriabatur, & tametsi plurimis ad societatem facinoris indies spontè affluentibus, vel illectis, crescerent vires ejus: his tamen adhuc parùm fidens, Tartaros in camporum desertorum solitudinibus hybernantes, ad opem sibi ferendam invitat, & ostentatâ multâ spe prædæ, escâ scilicet barbaræ genti gratissimâ, pertrahit. Quos Tohaibegus ducebat Perecopiensis Præfectus, homo animo manuq; acer, turbidus prætereà, & Chano Tartarorum Regulo subindè refractarius. Unde hic vim illius aliò effundi facilè postea patiebatur, in Polonos præcipuè, quibus ob negatum solenne stipendium dudùm jam erat infensus. Ferunt & perenne fœdus, in utriusq; fortunæ consortium, inter illos & Chmielnicium, tùm statim pactum, filiumq; Chmielnicii isthîc pro obside relictum. Sed quia in his libris crebra admodùm Tartarorum mentio incidit, non alienum videtur, gentem, aliquando nobis sociam, sæpius hostem paulò curatiùs memorare. Ipsum vocabulum dubiæ quodammodò & originis & antiquitatis est. Neq; liquet satis, Tartarosne an Tataros dicere conveniat: Priorem tamen nomenclationem Scriptorum consensus usitatiorem fecit. Sic enim omnes fere recentiorum seculorum Geographi & Histo-

*Chmielnicius ad Tartaros confugit.*

*Tartarorum gens describitur.*

rici appellant. Alteram præfert lingva Slavonica, ut & Sinica, quæ R nunquam usurpat: eandemq; mavult Leonclavius, diligens Turcicarum hisq; affinium rerum conditor. Et is amnem Scythicum, à quo nomen gentis derivandum pleriq; censent, Tattarum appellatum existimat. Alii vocem ex Syriaco Tottarim deducunt: quod multorum interpretatione *relictos* significat. Hiq; Tartaros Israëlitarum in Mediam deportatorum reliquias esse volunt. At alii his contrarii, voce Syriacâ *redundantiam* potiùs signari asserunt: sicq; nomine ipso amplitudinem, & quasi superfluitatem gentis Tartaricæ innui arbitrantur. In priscis Autoribus nullius populi appellationem Tartaricæ propiorem reperio, quàm Tractarorum, quos inter Tauricæ incolas ponit Plinius. Quam Provinciam, cùm hodie Tartari incolant, non difficulter forsan quispiam ipsâ affinitate vocabuli induci se patiatur, ut credat, jam olim cum his Tractaris Tartaros per Asiæ extrema tùm diffusos, commune aliquid habuisse. Sed rem adeò obscuram anxie hîc scrutari, intempestivum, definire, temerarium, opinor, fuerit. Sufficit scire, de quo utiq; liquidò constat, gentem hanc si minùs appellatione propriâ antiquitùs fuit cognita, certè intra

*Crisis circa nomen.*

Scythici

Scythici complexum nominis latuisse. Ea vetustas, præsertim Græca, signare solebat, quicquid populorum in semotiore recessu Septentrionis ad Solem tamen Orientem vergentis recondiderat Natura. Interim, quos ignorantia aut incuria confudit, genere & moribus longè dispares fuisse patuit postea, cùm singulos, procedente tempore, seu bella, seu commercia, & necessitudines Orbi cultiori apperuêre. Cæterùm Scytharum nomen cæteri omnes tandem populi, unà cum priscâ barbarie exuerunt. Solis hodie Tartaris id relictum videtur. Ita ut quoties Scytham nominamus, Tartarum velimus intelligi. Non quod alii ejusdem originis populi desint, cùm Turcæ, Parthi, Persæ, & alii multi eadem stirpe censeantur: sed, ut opinor, ob veterem Scytharum vitam erraticam, atq; equis præcipuè pascendis ac prædæ intentam, quam à cæteris Scythis jamdudùm fere repudiatam, Tartari visi sunt retinere: Diversis simul pascentium gregibus, vulgò Hordis, longè lateq; dispersi. Postquam verò & ipsi ita in immensum crevêre, nonnulli eorum grandi illo numero, tùm asperâ belli virtute alios subegêre populos; Potentia, acceptumq; in cultiores gentes imperium, vagæ & pastoritiæ vitæ neglectum

his quoq; afferre cæpit. Vastissimi in Asiâ extremâ dominatûs sunt, quos Mogul & Chanus tenent, uterq; ob potentiam Magnus appellatus. Quorum ille à Tamerlane sangvinis sui Regniq; primordia habet: & opulentiâ Reges omnes hodie dicitur superare. Alterius imperio maximum olim nomen peperit Cangius, seu Cingis Chan, rebus gestis & legibus in illo Oriente celebratissimus. Alter ab illo Okotai (& aliis Hocot dictus) patrium dominatum magis firmavit: cùmq; plures filios haberet, unus eorum Baito accepto à Patre exercitu, multis Asiæ Europæq; populis se formidabilem fecit. Nam & Turcorum, obscurioris tum populi vires surgentes attrivit, & Ponti, paludisq; Mæotidos accolas, atq; inter eos potissimùm Poloveos adortus est. Quibus domitis, Russiam propè totam, torrentis instar, corripuit inundavitq;. Mox & copiis divisis partem in Bulgariam & Pannonias, alteram in Poloniam misit; cujus terras eò licentiùs pervagatus est, quòd tùm illæ in multos Principatus, eosq; malê concordes, divulsæ, non consultabant in commune. Dùm enim se singulæ seorsim opponerent, in prædam omnes cessêre. Qui præcipuâ autoritate tùm rebus Poloniæ præerat, Boleslaus Pudicus, tempestati, cui

*Sub Baitone invasiones Tartarorum. Vide de his inter alios Peucerum lib. IV. Chronicorum.*

impar

impar erat, se subduxit; vix demùm post longi temporis exilium à suis requisitus, & in avitum solium, quòd Conradus Dux Masoviæ interim occupaverat, repositus. Eo tempore in Silesiam quoq; barbara hæc natio trajecit, & patrato istîc apud Lignicium cum Ducibus Provinciæ ferali prælio, ingentem victoriam, atq; in victoriæ monumentum, novem saccos auricularum, quas cadaveribus absciderat, reportavit. Tandem verò omnis hæc multitudo, immanibus spoliis onusta, in Asiæ atq; Europæ confinia rediit. Varieq; dispersa, diversis quasi tribubus, vulgò Hordis, vel veriùs, si magnitudinem spectes, gentibus originem & nomina dedit. Pars ultrà Volgam in Asiâ, alia circa Pontum & Mæotidem paludem. Europæ claustra, firmare sedes cœpit. Præcipuæ autem, & quodammodò Principes omnium Zavolhenses Hordæ diu manserunt, à Volgâ fluvio, seu, ut Russi vocant, Volhâ, cujus ripas longè lateq; accolunt, nomen adeptæ. Eæ posteà cum Turcis, postquam horum se vires sub Ottomannidis erigere cæpissent, diu ambiguâ fortunâ certârunt. Sed & Saracenicis bellis implicitæ sunt, patrocinium Asiæ, contra eam gentem, ipsiusq; religionis Christianæ vindicias aliquandiu professæ. Tandem Duce *Zavolhenses Tartari.*

earum

earum Tangadoro, in Mahometiſmum delapſo, cum curâ rei Chriſtianæ, gloria quoq; potentiæ extingui cœpit. Quam multò poſt annò 1384, Tamerlanes, vel ut alii vocant Temur Lenk aut Lechus reſuſcitavit, cùm à Samarcadâ Sagathæorum Tartarorum metropolis, obſcuris generis & potentiæ initiis coortus, Aſiam univerſam, & in eâ Turcicum imperium gravisſimè afflixit, quaquà pedem poneret, victor, vereq; orbis & terror & flagellum. Ab eo cæteri Tartari, etſi remotiores, animum & ipſi iterùm ceperunt, vicinis populis tantò ſuperbius inſultandi. Unde cum terræ etiam Kiovienſi ab iis periculum immineret, Vitoldum, Jagellonis Poloniæ Regis Patruelem, Ducem magni animi cupido incesſit, populum novâ jam famâ ferocem, omnibusq; ferè terribilem, aggrediendi. Primusq; ei conatus ſat proſperè cesſit. Aliquot enim millia Tartarorũ cum fæminis & ſobole in Lithvaniam abegit. Alii ſponte ſecutos ferunt, claritudine & promisſis egregii Ducis illectos. Quicquid ſit, libertas utiq; illis, & agri prope Vilnam, Lithvaniæ metropolin, dati ſunt, quos hodieq; eorum poſteritas tenet, Mahometanæ ſuperſtitionis, priſciq; in aliis quibusdam ritûs retinens, attamen manſvetior longè, & honeſto labore, hortenſi

*Tamerlanes.*

*Tartari unde in Lithvaniâ.*

tensi inprimis, victitans, sobrietate verò, fideq;, & in curandis negotiis celeritate, Magnatibus Lithvanis, suprà aliud vulgus probata & cara. Verùm altera Vitoldi in Tartaros expeditio, ut operosior mole, ita exitu infelicior fuit. Eduxerat non parvum exercitum, comitantibus multis Lithvaniæ Russiæq; Ducibus, atq; inter alios etiam Andreâ & Demetrio Coributho, Jagellonis Regis fratribus germanis. Complures insupèr ex Proceribus Polonis ardor gloriæ militaris exciverat, ut simùl irent: inter quos Raphael Tarnovius, Ostrorogius, Samotulius, Glovacius, Dambrovius, Varsius, Michovius, Socha Plocensis, Spitco Melstinius Cracoviensis Palatinus eminuêre. Cùm ad prælium res devenisset, multitudo Tartarorum prævaluit. Cæsiq; istîc Jagellonis fratres, & alii novē Lithvanici Russiciq; Sanguinis Duces. Periit quoq; Melstinius. Cæteri cum Vitoldo & Svidrigellone, tertio Jagellonis fratre, reliquiisq; exercitûs ægrè evasêre. Tartari Russiam & Lithvaniam longè lateq; pervagati sunt. Sed ante ista Moschis grave admodùm jugum à Zavolhensium Tartarorum Hordis impositum fuit. Adeò ut his illi non infima tantùm venerantium officia, & tributum annuum deferre, sed & Duces sibi ex

*Clades Vitoldi à Tartaris.*

*Moschis Tartari graves.*

arbitrio

arbitrio eorum ſumere cogerentur. Verùm diviſo poſteà imminutoq; paululùm Tartarorum iſtorum dominatu, præcipua adhuc duorum duntaxat regnorum celebritas aliquamdiu manſit. Quorum utrumq; ab Urbe Principe nomen obtinuit. Alterum Caſan, alterum Aſtracan appellatur. Caſan Civitas ad Volgam. Aſtracan ad oſtium ejusdem fluvii, quá in mare Caſpium ſeu Hyrcanum evolvitur, ſita eſt. Unde hîc frequens ex Moſcoviâ, Perſide, Armeniâ, aliisq; ditionibus Turcicis mercatorum eſt concurſus. Hodie regnorum iſtorum incolæ, extincto Chanorum Zavolhenſium priſtino dominatu & nomine, Moſchis, quibus antè impotenter imperaverant, humili obſequio (præter quosdam identidem adhuc refractarios) ſubſunt, notabili fortunæ vice & exinde flexu animorum. Primus omnium ex Moſcoviæ Ducibus coercere eos cæpit Johannes, vulgò Ivvan, ex rerum geſtarum gloriâ, Magnus appellatus. Inchoatum opus continuavit ejus filius Baſilius, ex Sophiâ Palæologâ natus, qui primus Czari nomen asſumpſit, cùm Decesſores ejus Duces, vulgò Kniaſi appellati esſent. Ultimam quaſi manum Johannes Baſilides, Baſilii ex Helenâ Glinſciâ filius, vir armis quidem ſtrenuus, ſed idem tyrannide infamis, impoſuit.

*Caſan & Aſtracan.*

posuit. Ab hoc utiq; non isti tantùm, sed & alii vicini Tartari, in servitutem redacti sunt. Inter eos Tumenscii, Scibanscii, Reschorenses numerantur, Calmutii item, ita dicti, quod soli capillitium alant. Pars quoq; Nahaisciorum iisdem Moscis subjecta est. Qui à flumine Hayk nomen sortiti, paritèr olim propriis Ducibus paruerunt, & avorum adhuc nostrorum memoriâ inter tres fratres, Schidakum, Cossum, & Schichmamaum, dispertitum eorum robur fuit. Sed ipsâ posteà divisione imbecilliores collisiq; æmulationibus, ac bellis internis externisq;, partim Moschorum, partim Crimensis Chani imperio accessêre. Sunt deniq; aliæ Hordæ, nobis & propiores, & per bellorum aut populationum injurias magis cognitæ. Nam qui Moscho parent Tartari, fermè innoxii Poloniæ hactenùs, multò magis alii, qui in Asiâ extremâ, vetus Regnum, à Cangio cæptum, continuant. Hi enim post primorum Chanorum ausa diu, quantum scire possum, quieti vix nisi sub Cobilâ, qui quintus à Cangio Chano fuit, lacertos iterùm movêre. Ejus sanè Principis egregias virtutes & res gestas laudat Marcus Paulus Venetus, diu in aulâ ipsius versatus & benignè habitus. Jam quanta circa annum Christi 400, Sagathaienses

*Tartari qui Moscis subjecti.*

*Asiatici Tartari.*

enſes Tartari Duce Tamerlane geſſerint, paulò ante innui veriùs, quàm explicui. Eorum, qui Tamerlanis imperio crevêre, præſtantisſimus ille ſupereſt, qui Magni Mogulis nomen posſidens, triginta ſeptem amplisſimis ditisſimisq; Provinciis imperat, quarum frequentatisſimæ Europæis ſunt Cambaja & Bengala. Noſtro verò ævo iterùm Tartari Asſiatici ſubacto Sinenſium Regno univerſo, obſoletam aliquandiu, & noſtris quidem terris minùs celebratam nominis ſui famam oppidò quàm reſuſcitârunt: nacti & populo Chriſtiano diſertos admodùm ſcriptores, qui novisſimas ipſorum in Regnis Chinæ victorias in literas magnâ curâ, facundiaq; misêre. Inter propiores & Ukrainæ ſcilicet finibus perpetuò imminentes Hordas prîma Oczakovienſis eſt. Nomen habet ab arce & oppido Oczakoviâ, quam ab antiquis Axiacen nuncupatam exiſtimat Mercator, alii Olbiam veterum hoc loco poſitam fuiſſe arbitrantur. Si tum id munimentum eſt ad Boryſthenem, quà is per tot ſcopulorum, inſularumq; ſuperiùs memoratarum remoras delapſus, in Pontum deniq; Euxinum erumpit. Tenetur verò Turcarum præſidio, quod validum hîc ſatis excubare ſolet, cohibendis Coſacorum, per Pontum ſubindè excur-

*Oczakovia.*

excurrentium, conatibus. Ostium illud Turcis hodie Dziarcrimenda vocatur, indeq; apud Scytas adsito terræ tractui, quem Milesii olim multis coloniis implevêre, nomen. Qui variis & lacubus & fluviis interluitur, inter alios Kipczako, à quo paritèr Hordæ Tartarorum, quantumvis exili, appellatio nata. Nec procùl hinc campi glebæ bonitate uberrimi à quibus Debrucenses Tartari nomen habent, inter alios Chani Crimensis titulos, quos ipse sibi tribuit, poni solitum. Atrocissima autem Hordarum omnium est, quæ mediis inter Kiliam (Achilleam antiquorum, ut videtur) & Bialogrodum spatiis inerrat. Urbes hæ sunt Turcicæ ditionis, alteraq; earum Danubii in Pontum se exonerantis ostio præcipuo, altera verò Tyræ apposita est. Succedanea aut certè vicina Ophiusæ & Hermonacti veterum. Aliqui & Leucen Insulam Lycophroni memoratam, & Leuconem Regem Sarmaticum à Strabone memoratū ad hæc loca referunt: tantò fidentiùs fortassis sententiam suam tuituri, si nomina ista hodierno, quod lingvâ Sarmaticâ Album Castrum notat, significatione affinia esse scivissent. Cæterùm interjecta his ostiis planities duodecim circiter milliarium, Arpiis olim & Tirigetis habitata, hodie Bud-

*Kilia Bialogradus Moncastro Valachis, Turcis Acgrimen.*

*Budziacii Tartari.* ziak vocatur, incolæ Budziacii: non multorum adeò millium, ſed rapacisſima hominum colluvies, quippe nulli penè imperiò, nullis legibus audiens, ſed præ cæteris fera vagaq;, & in equis aut curribus ferè ævum tranſigens. Hunc tractum quoq; anno 1637. Cantimirus Murza Chano Crimenſi refractarius cum aliis ſimilis ferociæ Murzis habitare cæperat, à Chano tandem apud Kiliam profligatus, jusſuq; Imperatoris Turcici, quod & huic minùs obſequens fuerat, ſtrangulatus.

Enim verò noſtris in terris nulli famoſiores ſunt Tartari Crimenſibus, parte haud poſtremâ eorum, qui olim Batta Duce, magna Europæ Regna inundaverunt. Nam cùm illi hinc tandem reduces, variè deindè per Aſiam ſparſisſent vires, numerus eorum haud exilis Europæ noſtræ, ut dixi, lateribus inhæſit. Præcipuè autem multitudine & pugnacitate illa invaluit Horda, quæ primùm circa Tauricam Cherſoneſum, pòſt & in ipsâ, oppresſis veteribus incolis, Duce Vlano, conſedit. *Taurica Cherſoneſi deſcriptio.* Peninſula ea eſt ſita inter Pontum Euxinum, Boſphorum Cimmerium, Mæotidem paludem, & reſtagnantem ex eâ lacum, Straboni, veteri Geographo, Putrem appellatum. Quem à Ponto, verſus Septentrionem noſtrum, exiguus terræ interjectus

terjectus dirimit. Is nisi intercederet, circumfluæ undiq; aquæ in unum mare commissæ insulam fecissent. Et tali situ Provincia hæc Chersonesi nomen obtinuit, quia ab angusto aditu, ceu à tenui carpo manùs, inde in spatium longitudine quàm latitudine majus extenditur. Subvenit porrò industria, quæ propè oppidum, quod fauces istas exiguo vallo, & arce murata custodit, fossam à Meotidis sinu ad Pontum usq; duxit. Oppidum an idem cum Taphris antiquorum sit, haud satis liquet. Equidem Taphras in ipsis Peninsulæ hujus angustiis ponit Plinius & Ptolomæus, alii & Eupatoriam, & Heracleam, & Pompejopolim dictam volunt. Nunc incolis suis Or, Russis verò à fossâ antè nominatâ Perecop dicitur: ductumq; inde nomen toti Provinciæ sedit. Tartaria enim Precopiensis audit; quæ alioquin Tartaris Gazara, vulgò Taurica, à Tauris, seu ut aliàs etiam vocari solent Tauro-Scythis, antiquis cultoribus suis appellata est. Priscis autem temporibus hæc terra ob Ponti & Mæotidos commoditatem, commerciis opportuna, & inde Urbibus frequens fuit. Quarum aliquæ nonnisi ex ruderibus agnoscuntur. Quæ restant, nomina mutârunt, nec cultum opesve veteres habent. Hodie post Perecopiam,

*Unde nomen Perecop.*

piam, primum terræ munimentum, Coslovia, ſed præcipuè Baluclava & Caffa navigiis adeuntur. Apud Baluclavam(ubi forſan veterum Calus) Claſſi Turcarum ſtatio eſt, commoda admodùm & tuta, quia circumjecti longâ ſerie montes ſinum faciunt tranquillum. Caffa metropolis Provinciæ, & Præfecti Turcici, quem Seniacum vocant, ſedes. Theodoſia olim dicta, & diu Genuenſium commerciis culta. Poſteà eadem, commiſſa inter Turcas & Tartaros bello, cùm hi ſuccubuisſent, in Mahometis Imperatoris Turcici poteſtatem ceſſit anno Chriſti 1475. ut in annalibus Turcarum annotat Leonclavius. Nunc Turcicis, ſed & multis ſimùl Chriſtianis, Græcis, Armenis Mercatoribus inſidetur, qui captivos à Tartaris emptos Conſtantinopolin, Trapezuntium, Synopen, & in alias Ponto adſitas Urbes mittunt diſtrahuntq;. Verè forum ſervitutis dicere posſis. Cum ibi infinita Chriſtianorum multitudo ad triremes, aliaq; Turcarum vilisſima miniſteria addicatur; magno religionis noſtræ dedecore, quam internis diſcordiæ, & bella, barbarorum libidine ludibrioq; exponunt. Non procùl à Caffâ, Crimenda eſt, oppidum exiguum, Crimum aliàs (etſi Geographi hîc non conſentiunt) vel Cremum dictum, nunc

*Caffa vetus urbs.*

nc ob monetam, quæ hîc cuprea cuditur, aximè memorabile. At majorem ejus ce- ritatem olim fuisse apparet, quippè quod iversæ huic terræ & genti nomen dare tuerit. Quanquam si antiquum id no- en, & ex Cniemetopo, quod Tauricæ omontorium à *fronte arietis* dixêre vete- s, vel à Cremnis, emporio Mæotidis, de io Herodotus, deductum quis statuat, ud quaquam repugnaverim. Chani Re- a hodie Bacisarai vocatur, sumptâ ex Be- & Zerai origine, ut sit quasi arx Præfe- i, Non procùl inde Kala est, ubi præcipui Christianis captivi detineri solent: *Al- a* itidem oppidum, in quo templum Chri- ianorum habetur, S. Joanni dicatum. Sunt aliæ in propinguo arces, quibus Chani *atres agnatiq;*, Sultani istîc dicti, habi- ant, Undiq; accolunt, quos Chanus consi- is aut negotiis familiaribus adhibet, Atta- icos appellatos. Tum alii eminentiores Tartari, Murzæ & Ulani ibi nuncupati, lioquin exiguis opibus aut cultu à cæteris listincti, Interspersa passim plebs Tartarica tabulatur, vilibus plerumq; mapalibus, aut entoriis, alicubi & subterraneis specubus, olis æstum aërisq; asperitates, arcens. Ra- iùs tamen omne hoc Tartarorum vulgus intra Tauricam manet. Plerumq; oberrat

*Crim quale nomen.*

*Bacisarai Chani sedes.*

in campis, qui Tauricæ, quà ea continenti adhæret, prætenduntur, uberiorem nimirùm pabuli copiam quærens. Hæc quippè in Peninſulâ plebi, Septentrionale inprimis latus habitanti, maligniùs ſuppetit. Omnem enim hanc terram horridi montes mediam quodammodò interſecant. Qui partem unam & meliorem, ubi Caffa eſt, Auſtro, alteram ſteriliorem Aquiloni objiciunt. Propè Boſphorum Cimmerium, olim Panticapeum fuit, emporium omnis hujus Provinciæ frequentisſimum, eoq; Geographis veteribus apprimè laudatum. Nunc iſtam Tauricæ oram, quam Mæotis & Pontus, exili freto tranſmeant, Arabath, & Cherſi, Urbes Turcicæ tuentur. Hîc enim Janizari excubant, arcendæ ſeditioni, nec non Piratis, qui Mæotidem percurſitant, ut & Tanaim fluvium, qui eandem paludem, non adeò procùl hinc, ad Aſovum Urbem (Oſoph vulgò) ingreditur. Quo fine & ultra Boſphorum Cimmerium, qui hîc Tauricam à Circasſis diſterminat, Taman & Temruch, Urbes non ignobiles, perpetuâ Turcarum cuſtodiâ tenentur. Circasſii verò (quos modò nominabam) vulgò etiam Petthorienſes, voce Slavonicâ, quaſi Quinque montani, dicti, fluvii Copæ & Coracis montis accolæ ſunt, Colchorum veterum, Cerce-

*Montes Tauricam dividunt.*

*Circasſii Tantari.*

rcetarum item, necnon Lazorum, de
ibus Arricanus in periplo Euxini, Pro-
pius, Agatias, aliiq; memorant, ſucces-
res, & ex parte ſoboles generoſa utiq; &
bertatis pertinax. Quanquam Cirasſios
ari Caſpio, Colchos Mengreliosq; Mæo-
di & Ponto viciniores in tabulâ ſuâ luſtra-
r harum terrarum Adamus Olearius V.
hl. facit. Quidam iſtorum Crimenſi Cha-
o parent, ſed laxiore obſequio. Multi in
s Chriſtiani ſunt, & ſacra ſua, lingvâ Sla-
onicâ, ritu Græco peragunt. Sed barbarie
: bellis vicinorum, tum commerciis Ma-
umetanorum & matrimoniis, tum literæ
im religio fermè ibi exolevere. Ad Ara-
athum, cujus paulò ante facta mentio, ex
pſis quaſi Mæotidis aquis prominet exigu-
s terræ tractus *Koſa* vulgò dictus, in quâ
quarum Tartaricarum, Chani inprimis,
roletarii greges paſcunt. Cogitare licebit
uriofis, an Cazeca ſit veterum, cujus & Ar-
ianus in periplo facit mentionem. No-
nen quidem non multùm abhorret. Cæ-
erùm Tartari iſti, poſt Baidonis, vel Batti,
celeberrimi eorum Ducis tempora, variè
quidem agitati, diu tamen omnis externi
dominii impatientes, Ducibus ſuis ex re-
gnatrice Zavolhenſium Chanorum, aut aliâ
domo primariâ, nonnunquam & prout

 libitum,

libitum, aut per tumultum ſumptis paruerunt, quos & ipſos deniq; extincto Zavolhenſium dominatu, Chanos, voce Scythis uſitatâ, quibus Principem ſeu qualiſcunq; ditionis Dominum ſignificant, appellare cæpêre. Illis Turca annuum ſtipendium, ſubditi equos, ditiores annonam omnis generis, nonnunquam etiam tributum, ſed exile pendunt. Multo autem jam tempore Gierejorum familia rerum hîc regimen habet, viris militiâ præſtantibus dudùm conſpicui. In iis Masmet-Gierei fuit, qui Moſchorum Ducem Baſilium, ut Baro Herberſteinius narrat metropoli ſuâ, & penè toto Principatu expulit, fratremq; ſuum Saph-Gierejum Regem fecit Cazanenſium. Illius Mahmet-Giereji ſucceſſor Mengli-Giereus, præcipuam Tartarorum, quî Europæ viciniores egêre, gloriam ad Tauricanos tranſtulit: victo Schachmate æmulo, qui tùm Zavolhenſium Tartarorum partem à Moſchorum imperio liberam regebat, Alexandri Poloniæ Regis contra Tauricanos amicitiam parùm feliciter amplexus. Eadem Gierejorum familia Turcicis Imperatoribus affinitate jam ſolim innexa eſt: quippe de quâ (ut alia vincula taceam) Selymus uxorem habuit, Solymanni magni olim Europæ terroris matrem. Verùm

*Tartarorum regimē.*

Turcis

ırcis jam omnis hæc Tartaria, unâ cum
ıanis ſuis, amiſsâ veteri libertate, tribu-
ria eſt. Nam Auſtralem Tauricæ partem
q; in eâ Caffam jam altero abhinc Seculo
Iahumetes, ut dixi, occupavit. Borealem
ſmanus Basſa ex bello Perſico per Circas-
os & Pontum Euxinum redux corripuit;
ò faciliùs, quod ortâ inter Princeps Tarta-
icos diſcordiâ, præcipuus eorum Turcici
mperatoris auxilium imploravit. Nam,
t ſolet plerumq; populis potentiorum ſo-
ietas in ſervitutem vertere, Turca ad hunc
nodum ex ſocio Dominus factus, terram
ıanc omnem in Provinciam ſeculo ſupe-
iore redegit. Exindè tributum à totâ gen-
e, captivos præcipuè, in ſignum ſubjectio-
ıis: filios verò vel fratres Chanorum obſe-
quii & fidei, pignora accipit: ſed & ipſe
vicisſim certa velut ſalaria tùm Chano, tùm
Præfecto militiæ, qui Galga illis vocatur,
aliisq; nobilium perſolvit, hoc quaſi auto-
ramento fideliores ſibi credens, quos ha-
beat ſtipendiarios. Corpore Tartari (de
propioribus maximè loquor) mediocris
ſtaturæ, ſed toroſi & robuſti ſunt. Oculis
nigris plerumq; & protuberantibus, vividis
ſimùl & acutùm cernentibus. Facies lata,
fuſci coloris, capillitium nigerrimum, bar-
ba ut plurimùm rariuſcula. Occipitium

*Corporũ habitus.*

Sarmatico more tondent, parte anteriore comati. Literarum ferè rudes, cæteri etiam cultûs, qualis inter opulentos populos obtinet, & in luxum ſubinde abit, expertes ante hac ſuêre. Artes regnandi nonniſi à naturali judicio & uſu magiſtro habent: ſimplicitate legum & fide pactorum multis aliis populis ſuperiores. Inter ſe porrò mites ac compoſiti, in peregrinos etiam mercatores non inhoſpitales ſunt. Plerumq; enim, cùm quis talis obvenit, conquirere ex omni viciniâ ſolent, quicquid haberi poteſt gratiorum epularum, cùm uſitatas ipſis delicias ab aliis faſtidiri non ignorent.

*Judicia.* Injuriæ & lites ſeu ex ſimplice populi genio, ſeu ob paupertatem rariores ibi, quàm uſquã alibi, ſi ortæ, ſine longis ambagibus, & comperendinationibus, à Præfectis, quos Begos appellant, graviores à Chanis ipſis dirimuntur.

*Religio.* Deum ex Mahometi impoſtoris præſcripto colunt, ſimulacra omnia in templis abhorrentes, & ſuillâ aliisq; nonnullis cibis, Judæorum more, abſtinentes, quos & circumcidendi præputii ritu imitantur. Neq: circa alia levicula iis cedunt ſuperſtitione: uti nec odio in Chriſtianos, quod in ſegni Judæorum turbâ inerme, hîc bellicoſitate gentis in damna noſtra atrociſſimè identi-

ntidem deſævit. Accedit noxia perſva-
, quod paganos & idololatras nos pu-
ıt. Et ideò Gauros vocant, ſuâq; in *Educa-*
s crudelitate placent ſibi, tanquam in *tio.*
ntiles vel atheos exercitâ. Educatio ado-
centiæ rigidisſima hîc eſt, non inſitâ tan-
m feritate, ſed ex propoſito etiam, ut cor-
ra ad laborum & belli aſpera durentur.
fantes ſuos matres olim frigidâ lavare
litæ, eâq; ſalsâ, quò cutis denſetur, eoq;
inùs poſteà flumina abhorreat, quæ præ-
ator populus hyeme etiam, cum glacies
beſt, tranſnatare ſolet. Pueri in curru ſub
ellibus, & ut plurimùm ſub dio agitant,
ec cibi iis antiquis moribus præbiti, niſi
uos ſagittâ prius tetigisſent: ut ſic bra-
hia ad certos jaculorum ictus à primâ æta-
e asſveſcerent. Veſtitus omnibus usq; ad *Veſtitꝰ.*
oſtrema hæc bella fuit ſimplicisſimus.
Panno vix niſi nobiliores, ſericò velaban-
tur Reguli, & qui eos ſanguine contingunt.
Quibus ideò veſtes ejusmodi inter potisſi-
ma dona ab aliis Principibus, præſertim Po-
lonis, mittebantur. Vulgus rhenone ple-
rumq; tegitur, quo ex pelle ovinâ conſuto,
quovis aëre utuntur. Sed hyeme lanugi-
nem villoſam corpori obvertunt; eadem,
æſtáte, ſoli & pluviæ objicitur. Et hirſutie
iſtâ tantò magis terrent obvios, cum præ-
datum,

*Arma.* datum, aut ad pugnam procefsêre. Arma hactenùs non alia ferè habent, quàm gladium incurvum, arcum & pharetram. Familiaria prætereà inftrumenta, cultrum & fubulam, quibus fcuticas & vincula ex coriis parant, ligandis, quos venantur, hominibus. Sclopos, aliaq; tela ignita non adhibent, & ab aliis adhibita non parùm formidant. Ipfi, cùm cominùs pugnandi occafio aut placuit, aut effugi non poteft, acinaces magnâ agilitate rotant, eminùs fagittas jaculantur, etiam in fugâ. In quam proni illi, eoq; magis invicti funt, quia fugientes nemo facilè asfequitur, & qui fequi audent, facilè feu jaculis, feu fubito fugientium reditu obruuntur. Maxima eorum

*Equi Tartarici.* fiducia & potisfimum robur in equis eft. Quos velocitate potiùs, & laborum tolerantiâ, quàm formâ confpicuos habent. Et his illi nares, incisâ utrinq; cartilagine, laxant, ut tântò ampliore meatu aërem hauriant, tardiusq; adeò fatifcant in curfu. Eosdem exercitatione obfequentisfimos fibi reddunt, ita ut levi freno quamvis in partem facillimè circumagantur. Cùmq; in expeditione plures tales fecum finguli ducant, ubi is, cui infident, fatigatus eft, alterum ponè comitantem, medio in curfu, etiam citatisfimo, infiliunt. Interim nihilominùs

ominùs lasſus ille, quantumvis ilia ducens, hæret lateri, & quoties opus, ſeſſorem recipit. Ex equis porrò præcipuum gentis alimentum eſt. Pane non cibantur, niſi ditiores, & qui in oppidis paulò cultiori vitæ asſvevêre; ubi & ovillæ aliarumq; carnium uſus eſt; creberrimus milii, hordei, ereſymi, quod alioquin frumentum Saracenicum, Rusſis Grika & Pohanka, Polonis Tatarka vocatur; ducto ab hac ipsâ gente nomine, quia id legumen hîc magnâ copiâ, penè & ultrò, labente in terram ſemine maturo provenit. Neq; enim agrum Tartari, niſi rari, & ferè tantùm per captivos colunt; tenuiores victum merentur nobilioribus miniſtrando: omnes prædâ & ſanguine, quàm ſudore victum parare malunt: ſuprà modum laborioſi, ubi in hoſticum excurrunt, domi & arma & ferociam deponunt, ad torporem uſq; deſides. Acceptisſimus iis cibus veteri conſvetudine (quanquam nunc noſtris etiam lauticiis locus hîc eſſe incipit) caro equina eſt. Hanc maluêre hactenùs, quàm bubulam aut ovillam. Nam vervecina hîc penitùs inuſitata eſt, quia caſtrandi modus ignoratur. Vivos autem equos, qui antiquis moribus vivunt, & inprimis pauperiores non mactant, niſi cum morbo aliquis aut labore elanguit.

*Alimenta Tartarorũ.*

*Caro equina.*

Huic

Huic cùm juguli venas inciderunt, ſangvinem exceptum farinâ miſcent, botulosq; parant, qui ipſis deindè pro cupediis ſunt. Truncum in quatuor partes disſecant, quarum unam equi dominus ſibi ſervat, reliquas vicinis aut ſodalibus diſtribuit, vicem liberalitatis ab iisdem recepturus, ubi paritèr necesſitas illis venerit jumentum ſuum jugulandi. Singuli quod in quadrante ſuo carnoſum eſt, in offellas dividunt. (*a*) Quas ubi mandere volunt, equi dorſo imponunt, atq; ephippium carni ſuperinjectum cingulo quàm foitisſimè adducunt.(*b*) Ipſi deniq; conſcendunt, atq; ita dapi ſuæ horas tres vel quatuor inequitant. Poſteà dempto ephippio, palato ipſorum, quâ parte equo incubuit, ſatis coctam vertunt, ut pars altera calore equi paritèr maturetur. Cui porrò, ne ſicceſcat nimiùm, demptam equi ſpumam digito allinunt. Iterùm mox ephippium, & ſeſe injiciunt equo, horisq; aliquot inſidentes provehuntur. Poſteà carnem, ut ab equi dorſo fumat, magnâ cum aviditate vorant. Quod præter hæc carnis pulpa-

*Modus equinã ad cibum parandi.*

(*a*) *Præter alios ita rem refert Beauplarius Gallus libello novisſimè edito.*

(*b*) *Sed nunc iſtum morem exoleſcere accipio, tranſeunte paulatim barbarie priſcâ in alium vitæ modum.*

pulpamenta osſeum de trunco ſupereſt, ſi otium datur, in aquâ elixant, pauco ſale addito. Cujus nonniſi permodicum uſum probant, eò quod parciorem ejus copiam habent, forte & quia perſvaſi ſunt oculorum aciem integriorem ſic ſervari. Minimè autem bullienti huic cibo ſpumam demunt, quia, quod in carnibus ſucci & ſaporis optimi ſit, noſtrâ deſpumandi diligentiâ ejici putant. Sitim vulgus aquâ ut plurimum levat. Sed nec iſta ubiq; in promptu, præſertim inter mediis Provinciæ jugis, quæ ariditate ſqualent. Neq; puteos fodit pigra gentis barbaries. Hyeme nives liquefactas bibunt. Honeſtiores potum ſibi ex milio cocto parant, qui ſpiſſitudine & colore lac refert, largiùs tamen ſumptus caput forti vapore replet inebriatq;. Gratiſſimùm verò ſtomachi ſolatium ex lacte, potiſſimûm equino, petitur. Eo ſe quoq; reficiunt, cùm campos deſertos pervolitant, in quibus nulla aut rara aquæ copia. Vino, ex lege Mahometis abſtinent, aut furtim utuntur, non item liquore, qui deſtillatione ex ſiligine, omni vino potentior, elicitur. Sed is, quia aliundè & difficulter habetur, carò venit. Iſto, qualem deſcripſi, vivendi ritu duravit gens illa inſitam barbariem, efferavitq; ſemper adverſum cul- *Potus.*

*Eorum excurrendi modus.*

tiores populos. Quorum crebrâ depopulatione unicas sibi delicias & opes parat. Ipsa vix impetitur, quia & aquis undiq; ambientibus, & Turcarum patrocinio protegitur. Solitudinum porrò interjectu ab aliis gentibus semota est, pauper deniq; & fugax, justiq; belli ignara. Hæ res oppugnare volentibus ingratam dubiamq; faciunt certandi aleam. Alioquin in belli pretium, quod exspoliis nudissimæ gentis aliud penè nullum est, vel spes ipsa securitatis suffecerit, quâ Russicæ nunc terræ in altissimâ etiam pace frui nequeunt. Has quippè prædones isti, quoties aula Turcica vel jussit, vel permisit (nam inconsultâ illâ nullum nisi in solos Moschos bellum gerere licet Tartaris) uno sæpè anno, bis terve incursare solent. Cùm verò id moliuntur, primùm equos in camporum solitudinibus pascunt curatiùs. Chanus, habito cum Galgâ, aliisq; Sultanis, & primoribus Murzis consilio, imperat ordinatq; agenda. Rariùs ipse, nec nisi cùm operosius bellum instat, progreditur. Quod si verò adesse parat, viritim omnes, quotquot in Tauricâ, & circum eam habitant, accingere se jubentur. Paucis ob ætatem, atq; in tutelam patriæ copia datur manendi. Cùm autem universi ita cojerunt, centum viginti circiter

circiter millium capitum exercitus efficitur. Equorum triplo ferè major numerus eſt, quia ſinguli equites, ut ante dixi, unum atq; alterum ad ſubita caſuum, & in levamen feſsis, ducunt ſecum à latere. Cæterùm cùm alii Ductori, ex agnatis aut nobilioribus terræ, rem delegat Chanus, quadraginta plus minus hominum millia mitti ſolent, prædandiq; magis quam dimicandi, niſi neceſsitate adigantur, animo. Pauciores etiam æſtate plerumq; emittuntur, ut minore ſtrepitu copias Polonicas ex hybernis reduces, vitent. Mira verò tum eorum in tranſmittendis fluminibus, Boryſthene inprimis, ratio eſt: aliquantum diſpar illi, quâ in trajiciendo Danubio olim uſos Nicetas Choniates ſub finem libri ſecundi memorat. Faſcibus junceis vel arundineis ſinguli perticas illigant, imponuntq; ephippium, veſtes, arma. Ipſi nudi jubam equi apprehendunt, alterâ manu flagellum regunt. Sic juxta equum nantes trajiciunt. Faſces cum impedimentis ſequuntur, quippè caudæ ejusdem equi reſte allîgati. Sed jam porrò faſces iſtos eâ firmitudine compingere didicerunt, ut non modò impedimentis, ſed & uni alterive homini vehendis ſufficiant. Vector huic quaſi pōnticulo vel lintri junceo inſiſtens natantem ac faſces trahen-

*Flumina trajiciendi modus Taricus.*

trahentem equum dirigit, quà opus. Cum deinceps è terris Rusſicis redeunt, ſi quid inter prædas vel pretioſum vel imbecillum ducuut, tali modo ut plurimùm transvehunt. Quaterna jumenta juſtæ magnitudinis detruncant, carnemq; omnem & oſſa eâ ſolertiâ eximunt, ut cutis undiquaq; integra maneat, niſi quà jugulus abſectus eſt. Cuti deinde aerem ſufflant, ubi ea ſatis intumuit, quod in cervice patet, arctè conſtringunt vinculis, ne aer poſſit erumpere. Hos truncos, utrium inſtar, inflatos, in quadrum ligamentis perticisq;, relictâ in medio, qualis neceſſaria viſa eſt, intercapedine connectunt, & moxasſeres, ſi adſunt, vel currus, rotis ſuis exutos cumq; his ſimul quicquid in captivo agmine delicatius eſt, resq; alias aquæ impatientes imponunt. Alii robuſtiores ad latera natant, rati tamen iſti, quà posſunt, hærentes, ne flumine abripiantur. Prænant bini equi, ratemq; eo, quo ante dixi, modo, laqueis caudæ innexis trahunt, ducente ſingulos Tartaro, equi jubam amplexo, aliisq; etiam ex rate adgubernantibus. Ac in hunc modum Duces noſtros in conflictu mox deſcribendo captos transvexêre Tartari, ut ex iis, qui ſimùl tum, & eodē modo tranſiêre, accepi.

Sed

Sed majore plerumq; & numero & alacritate Tartari hieme excurrunt. Quia tùm intra villas casasq; Russorum reperiunt ea, quæ petunt; æstate aliàs per campos latè vestiganda. Hyberno præterea cœlo, rivi, flumina & paludes frigore constrictæ nullam transituris faciunt moram, nives insupèr viam molliunt equis. Horum enim alioquin ungulas Tartari nullo ferro adversus glaciem aliamve humi duritiem muniunt. Raro cornu bubulum, aut corium aliquod suppingitur. Porrò cùm in campos desertos venêre, declivia & avia ut plurimùm consectari consveverunt; fallendæ Cosacorum vigilantiæ Quibus ubi de hostis istius adventu suboluit, facto pasśim tumultu, conclamare ad arma, agrestibus verò in oppida & arces concurrete usitatum est. Sed Provinciæ, quas Tartari petunt, latè admodùm patent, lætis ferè ubiq; segetibus, pascuis, apiariis, quæ hîc frequentissima; numero deniq; colentium opimæ: cæterùm nullis penè saltuum paludumve objicibus morantes transitum. Raroq; ita sedulò incolarum vel præsidiorum excubat industria, quin identidem eam latronum istorum celeritas præveniat aut declinet. Et habent illi varios tramites, per quos se in aperta camporum atq; in ipsa etiam ter-

 ræ pe-

ræ penetralia infundunt. Ubi autem, quo ire destinaverunt, perventum, nec progredi ulterius visum est, retrò jam flexo agmine, prædari demùm incipiunt. Itaq; tertia pars exercitûs in diversa dimittitur. Reliqui cum prætoriâ cohorte, (quam vulgò Kosz appellant) paulatim, & ex composito dimensis itineribus recedunt; quò alteri, qui prædationis causâ undiquaq; per viciniam vagantur, scire semper possint, quò confugere, si opus sit, prædasq; referre debeant. Hi cùm redierunt onusti, mox alii mittuntur, qui prioribus intacta perscrutentur, multifariam iterùm, tamen sat ordinatis compositisq; in illâ etiam confusione turmis, dispertiti. Ita vis ingens convectatur prædæ. Neq; greges tantùm atq; armenta, sed viri, fæminæ, pueri, puellæ immenso numero aguntur, ita ut ad multa millia, sæpe & ultra quinquaginta procedat captivorum agmen. Casis agrestium expilatis ignis plerumq; injicitur. Ita extremam ubiq; solitudinem vastitatemq; harpyjæ istæ faciunt. Nec ante populari desinunt, quàm materies prædandi, oppida & pagi deficiant. Cùm in deserta atq; avia camporum reventum est, respirant primùm, & lustratis compositisq; copiarum suarum ordinibus, dividunt spolia & captivos.

*Prædandi modus.*

*Prædæ divisio.*

vos. Quorum decima pars Chano, aut ſi is abſit, procuratoribus ipſius datur à ſingulis. Cæterùm hîc, qui nexu ſanguinis aut contubernio notitiâve inter ſe devincti, fortè & ſimùl capti, hactenùsq; juncti iverant, in diverſa jam trahuntur, magno calamitatis augmento, cujus qualecunq; ſolatium erat, inter truces iſtos notam amicamve faciem videre. Jam maritus ab uxore, à liberis Parentes divelluntur, ſinguli ſeorſim ad fædisſimæ ſervitutis miniſteria, pleriq; etiam ad infanda Turcarum ergaſtula ac triremes, niſi redimantur, ducendi. Non lubet referre, quàm indigna ſæpe hîc patiantur captivi, fæminæ inprimis, inter homines ſolutæ admodùm libidinis, quiq; partem felicitatis in hàc Veneris licentiâ ex lege Mahometis & inſitâ ſalacitate locant. Uxores domi habent, quot omninò alere posſunt: neq; ullis ſangvinis, limitibus circumſcribuntur eorum matrimonia. Ex captivis porrò fæminis, quot & quales libet, adſciſcunt. Attamen nec maſculorum amore abſtinent. Cæterùm captivis omnibus, quos penes ſe habent, poteſtatem ſe redimendi facere ſolent. At pretium immane initiò exigunt, præſertim ſi quem loco aut opibus præſtare intelligunt vel ſuſpicantur. Et confesſionem fortunæ, tùm pretii auctionem, laborum

*Libidines Tartarorũ.*

borum intensione, sæpè & flagris extorquent. Unde multi, quò humanius habeantur, supra sortem suam se æstimant. Eò major posteà in redimendo difficultas. Interveniunt plerumq; Armeni, in lytro ex Poloniâ accelerando, operam, non miseratione, sed lucrandi cupidine, adnavantes.

*Cosacorum cū Tartaris luctæ.* Revertentibus autem ita cum prædâ Tartaris insidiari subinde, ut superiùs dixi, consuevêre Casaci, quippe & ipsi celeres & locorum gnari, tùm scloporum usu plerumq; iis formidabiles, ipsi intra carragines, quas subitò, quoties opus, struunt, adversus sagittas Tartarorum tuti. Et hi prædæ suæ timentes implicitive ægrè revocantur ad pugnam. Cedunt potisù, & relicta quandoq; spoliorum parte aviditatem sequentium morantur aut placant. Quicquid sit, olim non exile his terris munimentum adversus prædatorem populum Cosaci fuerunt, posteà eorundem socii, calamitates Poloniæ, quas avertere aut minuere consveverant, intendere atq; augere cæpêre. His

*Cosaci cū Tartaris se jungunt.* verò demùm temporibus à Chmielnicio & Tohaibego confæderationis, ante hac insolitæ, facta sunt initia: improvisa nostris, quia antiqua, & velut in naturam versa eorum inter se hostilitas omnem necessitudinem videbatur excludere. Verùm insita

tali

tali hominum generi levitas, si non extinguit penitùs, refrigerat tamen facilè odia, ubi ea utrinq; evidentiore lucro, in vicinum effundi possunt. Quoq; hic potentior esse videtur, eò altiùs illi gratiam inter se, & velut adversus communem hostem solidant nexum. Facilè porrò hæc, ut ex longiore digressu ad rem superius cæptam redeam, in illis camporum solitudinibus transigi ita potuêre, ut nostris Ducibus nonnisi serò innotescerent. Ignari itaq; nefariæ societatis, primo vere copias, quas à quartâ redituum ex præfecturis Regiis parte, in stipendium earum sepositâ, Quartzianas vocant, contrahunt, advocatis simùl sex Cosacorum legionibus, quæ militiæ Polonorum post ultimam transactionem, dicto sacramento innexæ, ordinarium stipendium, sub Tribunis suis, Ducibus Polonis, merebantur. Accesserant insupèr (quanqnam solito pauciores) extraordinariæ turmæ ac cohortes Procerum illorum, qui solito in Patriam & gloriam militarem studio, necessariis Reipubl. temporibus, auxilia ejusmodi solent submittere. Atq; ita cojerat in unum septem circiter millium exercitus expertus militiæ, & numero quidem modicus, animo tamen suo, sed & aliorum judicio Cosacis facilè suffe-

*Id nesciunt nostri Duces.*

*Quarciani milites unde.*

*Illi movent copias in Chmielnicium.*

ćturus, si rectè & ordine rem procedere fatum voluisset. Sed id castigandæ Poloniæ jam imminens, omnia secùs vertit. Procedebat in campum exercitus, parùm notis, ut dixi, adhuc hostis viribus, & cum de novo tantoq; Tartarorū subsidio nihil quicquam nostrorum ulli suboluisset. Partiri porrò eum exercitum visum est, quò faciliùs per illas solitudines, pabulum equis virisq; sufficeret. Ac properantibus in occursum hostis, præeundi honor filio summi Ducis, Stephano Potocio, contigit, futuro hîc suis, si pugnandum esset, non vulgari virtutis stimulo, necnon fidei, si transigere rebelles mallent, autoramento. Cui Hyacynthus Schembergius, Arbiter tunc seu Commissarius Cosacorū, Stephanus Czarnecius, qui posteà summis in Patriam meritis toto orbe inclaruit, Joannes Sapieha, ad omnia magna natus, aliiq; multi manu animoq; impigri, adjungebantur. Erat mille quingentorum circiter hominum manus, cui quater mille Cosaci ex ordinariis Cosacorum legionibus additi, & partim itinere terrestri, partim flumine, separatim ire in rebelles jussi sunt. Horum tamen omnium, antequam loco moverent, fidem, repetito jurejurando, firmare visum est. Quanquam qui iis præerant, Tribuni, compertæ

*Duces partiuntur copias.*

*Potocius Junior partem ducit copiarum comuite & Rectore Schēbergio, aliisq;.*

pertæ alioquin & ut mox apparebit, ad extremum usq; immotæ in Rempubl. fidei, nihil de animis suorum dubitandum asseverarent: omnisq; illa turba Chmielnicium viuum brevi adducere fidenter pollicerentur. Ac qui flumini se commiserant, Cosaci ordinarii, feliciter in Insulas Zaporovianas delati, has, à Chmielnicio desertas, & vix quinquaginra hominibus infessas, reperêre. Quorum aliquos interemptos, cæteros unà cum Insulis facilè expugnarunt. Feroces mox illos successus, & fortè ipsæ hæ, quas intraverant, jam olim nempè licentiæ dicatæ sedes reddiderunt. Cumq; adeò insuper de viribus Chmielnicii, quem tantâ Tartarorum ope subnixum, antè ignorâssent, rectiùs edocti, cæteris, qui cum Schembergio sequerentur, & proin omni huic exercitui malè timerent, ire, quà fortuna invitabat, quàm quà fides duceret, maluêre. Et mox festinato, ut inter tales solet, consilio, eos omnes quos in perfidiam non consensuros sciebant, inprimis Tribunos, interficiunt. Indè properè Chmielnicium assecuti, & ab eo in societatem facilè adsciti, reliquos, qui sub Schembergio, aliquot diebus, fide integrâ, in Chmielnicium & Tartaros pugnaverant, ad desertionem partis, tanquam nu-

mero longè imparis, & haud dubiè ſuccubituræ, ſolicitant. Qui ſociorum tùm ſtimulationibus, tùm exemplo, fortè & periculo, quod imminere ſibi ſentiebant, evicti, ubi defectionem orſa eſſet Draganorum manus, quæ Polonicis copiis intermixta ibat, Germana habitu, natione Ruthena, & ejusdem cum Coſacis fidei, clamore in fædisſimi auſûs ſignun ſublato, uno omnes impetu ad hoſtem tranſiêre. Imminutus tantâ ſui parte præcurſor iſte exercitus, & mox ab hoſte, acceſſionibus iſtis tantò jam animoſiore, circumfuſus, nihil quidem per dies ſex adhùc pugnando, virtutis omiſit; tandem tamen pactione inſidiosâ, circumuentus eſt; cùm hoſtis liberum omnibus ad caſtra Ducum regresſum polliceretur, ſi machinas bellicas ipſi tradidisſent. Quod ubi, quanquam multùm reclamante Schembergio, factum, patuit illicò dolus, cùm nullâ habitâ juris gentium ratione, nuncii ſeu legati pactionis, Stephanus Czarnecius & Brzuchanius, ab hoſte retenti ſunt. Cæteri jam ad quadringentos circiter redacti, & eluſos ſe conſpicati, durante tamen in extrema omnia animo, reditum ad Duces moliebantur. Jamq; inſtructâ carragine ſtrenuè pugnantes, tria milliaria eundo confecerant. Cùm tandem Ducibus deſtituti

*Potocius junior cum ſuis laborat.*

tuti (quippè Schembergius ductor istarum copiarum, & Potocius, vulneribus invalidi erant, Sapieha calore pugnandi à suis longiùs provectus, in manus hostium devenerat) deniq; etiam pugnando fatigati, potestatem sui amisêre. Ita quotquot pugnæ superstites essent, capti & à Tartaris, permussu Chmielnicii in Tauricam abducti: ipse Potocius filius summi Ducis, quod æger admodùm esset, relictus est in campis desertis, & ejus habendæ curæ additus Czarnecius. Ille triduò post, ex vulnere, cui gangræna tandem accesserat, exspiravit. Hic apud Cosacos detentus, tandem post transactionem Zborovianam, ad suos magno Patriæ suæ bono rediit. Ingens, in primo hoc impetu infeliciter effuso, vulnus accepit Polonia; amisso, in præcursore hoc exercitu, flore militum; tùm dato atrocissimo perfidiæ Russis aliis exemplo, & ulterioris metu Polonis. Insecutus interim erat, sed lentioribus itineribus, Potocius senior cum Campiductore Calinovio Palatino Czernichoviæ, quinq; plus minus millia militum ducens, & jam quindecim circiter milliaribus à funesto illo loco aberat, successuũ nuncios à Commissario & filio, quos præmiserat, opperiens. Quos cùm diu nullos acciperet, sinistra inde animo præcipiens,

*Prima Polonorum clades ad flavas Aquas.*

*Potocius Dux sequitur cum alterâ parte exercitûs.*

cipiens, Cercasſium rediiit, ubi biduo conſumpto, cùm tandem XI. Maji à Chriſtophoro Grodzicio Codacani præſidii præfecto literas tantæ cladis indices accipit. Ad arcem quippè illam, duo ex infelice pugnâ gregarii profugerant, qui quæ viderant, retulêre. Grodzicius ſine morâ de clade, & juxtà periculo, quod ſibi, & Codaco ipſi, milite rebusq; neceſſariis adverſus vim tantam non ſatis inſtructo immineret, monendum arbitratus Ducem, ſuum ſimùl de arce illâ nonniſi cum ultimo ſangvine dimittendâ propoſitum denunciat. Potocius confeſtim ut literas legerat, easdem ad magnum Regni Cancellarium Oſſolinium celerrimè tranſmittis, orans ſimùl, ut Rex approperatis ſubſidiis, commotôq; omni Ordine Equeſtri, exercitui ſuo ad tantam hoſtium multitudinem diu ſuſtinendam impari opituletur. Mox de fato ſuorum aliunde etiam confirmatus, properantiùs retrocedendum duxit. Motis itaq; caſtris Corſunum oppidum à Stephano Rege ad Roſam amnem conditum tranſit: ſic porrò, quantum fieri poſſet, celeriter perrecturus. Sed paulò poſt à Gedeſzynio, quem exploratum miſerat, monetur, Tartaros ad ſextum inde milliare Taſminum flumen trajicere. Itaq; figere ac munire caſtra jubet.

*Potocius retrocedit.*

Eodem

Eodem die oppidum, ne hosti relictum vires ejus augeret, prædæ militum datum, postridie verò idem, cùm Cosaci Tartariq; appropinquarent, quidam & intra jam essent, succensâ jussu Ducis unâ domo, & inde mox in cæteras grassante flammâ, in cineres totum consedit, solâ arce, & fano uno, quod longiùs paulò abessent, relictis. Stabat noster quinq; circiter millium exercitus, intra castra, supra solenne carraginis sepimentum, festinatis quinq; terreis munitionibus utcunq; firmata. Frontem eorum Henricus Dönhofius vetus militiæ tribunus, quinq; Draganorum vexillis & quatuor machinis tutabatur. Totidem machinis alteram munitionem Vice-Tribuni Corydonis; Stephani Czarnecii & Andreæ Coniecpolscii vexilla tria numero; Tertiam desultorii equites Bieganovii, sed sine machinis (nec enim Dux summus nisi octo machinas adduxerat) quartam pedites & Dragoni Sceniavii: quintam pedites & desultorii equites Dominici Zaslaviæ & Ostrogiæ Ducis, Palatini tùm Sendomiriensis, posteà Cracoviensis, defendebant. Primi oppidanum pontem Tartari trajecerant, & turmatim circumfundebantur castris. In quos Dönhofius explosâ machinâ detonuit, cadentibus ex hoste nonnullis atq; inter eos *Poloni se defendunt.*

primi-

primipilarii, quem ſuorum proximi, equo impoſitum abſtulêre. Coſaci cautiùs ſuccedebant, atq; eminùs, aut ſub collium protectu, Caſtrorum poſitum acceſſusq; ſpeculabantur. A Tartaris interim & viciſſim Polonis magis magisq; præludebatur prælio, connitentibus utrinq; qui caſtris exultaverant, captivo aliquo potiri, qui ſuorum numerum animosq; enunciaret. Fruſtrati ſpe ſuâ tum Tartari: Poloni Tartaros decem, & Coſacorum plures, eo die ad Potocium adduxêre, qui torminibus ſubacti, retulêre, *Tartarorum quadraginta, ſeptem millia Coſacorum primùm adfuiſſe; ſed quibus eo ipſo die plusquam decem millia agreſtium, variè armatorum, acceſſerint; Chanum deniq; Tartarorum, in campis deſertis jam ſtare, bello paritèr accinctum.* Homines iſti, cùm ſibi, ſeu vera, ſeu falſa nunciâſſent, extrema inſtare ſcirent, ut Coſacis ſuis morituri etiam prodeſſent, vires hoſtium ultra verum extulerant, ut poſteà deprehenſum eſt. Sed fidem tamen tùm invenêre. Nam Tartarorum celeritatem & ingentem Polonam animos non neſcientibus, porrò autem de plebis, undiq; ad arma conclamantis concurſu, aliundè admonitis, nihil dicere viſi ſunt, quod verum excederet. Verſis tùm in periculi aleam, animis omnium,
Campi-

Campidiductor ſvadere cæpit, prælio uti res committeretur, *augeſcere morâ periculum, inquiens, & pugnantibus ſpem ſupereſſe victoriæ, paulò poſt nonniſi compedum mortisve, nec forſan ſatis glorioſæ, copiam futuram.* Non placuit ſupremo Duci conſilium, quo uni ictui univerſæ Reipubl. ſecuritas videbatur ſubjici. Et Lunæ diem obtendebat, quem tot experimentis ſibi infelicem cognovisſet. Interim ex ſingulis vexillis, binos ſeligi permiſit, qui rectore Balabano in præcurſores Coſacorum & Tartarorum ducerentur. Sed hos exploſâ una Dönhofii machina ita disjecerat, ut nihil opus eſſet quenquam in eos ducere. Cæterùm uti prælii aleam tentare haud conſultum videbatur Duci, ita nec decorum credebat, loco cedere; aliis contrà acriter inſtantibus, ne teneretur ibi exercitus, ubi, hoſte indies incrementa ſumpturo, ſibi nec auxilii ſpes ulla, & defecturis mox jumento militiq; alimentis, certum exitium expectandum ſit.

*Duces delibe-rant an prælio-res commit-tenda.*

Conceſſit tandem in horum ſententiam Potocius, adeoq; ſtetit conſilium, curruum gravioribus relictis, cæteris in carraginem connexis, agmine lento, & ad pugnam parato, cedere retrò: datumq; mox negotium Bieganovio metatori caſtrorum, viro in rebus agendis notæ dexteritatis, carraginem

*Duces retrò movent.*

ut in-

ut instrueret. Quod ubi factum, jussi singuli militum equis descendere, & his intra carraginem conclusis, pedites locum quisq; suum, in carraginis ambitu, propugnare. *Sed infeliciter.* Occupaverat hostis iter, nihilominùs in eum, masculè obversâ fronte curulis hæc acies ibat, & sclopetorum ictibus obsistere ausos, submovebat. Facto sic sesquimilliari, ad betuletum, quod sensim, mixtis aliis arboribus, in sylvæ altitudinem assurgebat, deventum est, locum nefandum, & veras Polonorum Cannas. Impeditum, & curuli aciei propè ineluctabile iter, dumetorum angustia faciebat, inq; solo uliginoso & ad gradum instabili, hærebant currus, multiq; evertebantur. *Clades Corsunensis.* Quibus inhiantes Tartari & Cosaci, cùm nostrorum tormentis & sclopetis subindè propulsarentur, nihilominùs luctantem Polonorum aciem, in penitiora sylvæ comitati, infestabant undiq;. Alii prægressi, viam fossis transversim ductis & concædibus intercludebant. Cùm ita quatuor ferè horis conflictati Poloni (nam qui ex Ruthenis aciei Polonæ intermixti, plus minus mille octingenti, ad hæc devia ductores fuerant Polonis, in primo luci betulacei ingressu ad hostem profugerant) strenuè se sustentâssent, tandem circa meridiem, stratis cadavere multo viis, tùm interceptâ

ceptâ vepretis, viq; etiam hoſtili perruptâ carragine multitudini violentiæq; urgentium jam impares, in poteſtatem hoſtis devenêre. Multos etiam tùm, quanquam reſiſtere jam impotes, crudelitas gladii hoſtilis hauſit, plures, & in his ipſum belli Ducem Potocium, & Campiductorem Calinovium, duplici vulnere ſaucium, Odrzyvolſcium Caſtellanũ Czernichovienſem, eundemq; Præfectum Vinnicenſem, inſignem militiâ virum; Sieniaviũ, juvenem opibus & avitâ belli gloriâ præſignem, Cazanoviũ, Balabanũ, Henricum Dönhoſium, Bieganoviũ, multis decoribꝰ claros Ductores, Comoroviũ, Corydonem Gallum, qui tamẽ ex tribus vulneribus triduo poſt exſpiravit, Flikum, Lacroſtadium, Centuriones, aliosq; ſtrenuos bello viros ſtrinxêre vinculis, & in Tauricam deniq; abduxêre. Paucisſimos, atq; inter hos Koricium, Gdesſynium, etſi jam vulnere tardum, Cosſakovium item, notisſimos rebus geſtis Ductores, hoſte inter currus & ſpolia occupato, cladi huic, & mox agreſtium, pasſim in victos deſævientium inſidiis, felicior fortuna & virtus ſubduxit. Koricius inprimis nonaginta circiter militibus comitatus, per multas ad Chmielnicium tendentium Rusſorum cædes, Kioviam primùm, & inde rursùs per

*Duces capiuntur & multi alii.*

ſumma diſcrimina, ad ſuos evaſit. Sed & Sieniavius à Tohaibego, clam Chano, qui jam prædæ recipiendæ causâ appropinquabat, ſpondentibus pro lytro, viginti millium aureorum, Potocio & Calinovio, à vinculis citò atq; intra ipſum locum penè cladis, liberatus, cum ſuis aliquot domum incolumis rediit. Ad eum modum duplici intra dies decem clade, protector finium exercitus, & primum velut robur Poloniæ, à barbaro hoſte proculcatum eſt. A Tartaris verò paſſim impunè omnia pervagantibus, ſuper antè memoratos, ingens hominum vis abducta mox fuit, adeò ut ſint, qui captivorum numerum ſupra ſeptuaginta millia proceſſiſſe narrent. Cæterùm cùm ingens eſſet vulnus, quod iſta clades Regno inflixit: eodem tempore alterum ex intempeſtivâ Vladiſlai Regis morte acceſſit. Qui ſub prima tumultuum iſtorum initia in Lithvaniam diſceſſerat, recens tùm filio unico Sigiſmundo Caſimiro ſeptenni, ſed magnæ indolis Principe orbatus. Unde triſtes curas loci & negotiorum mutatione, ſimul & feſſum ex ægritudine, quam non multò antè è Pruſſia redux, Varſaviæ ſat gravem expertus erat, reficere corpus quærebat. Quò eum Regina Maria Ludovica Niverno-Mantuana princeps, nec non frater Joannes Caſimirus deduxerant. Sed hic

*Tartari plurimos homines abducunt.*

*Vladislai Regis extrema.*

inde iter per Poloniam remensus, in Austriam paulò post contendit. Dùm Vilnæ esset Rex, inter prima negotiorum, prælustrium duorum Lithvaniæ Procerum, Janussii Radzivillii Ducis & Leonis Casimiri Sapiehæ Vice-Gancellarii, reconciliationem habuit. Quos tamen odium inveteratum, frontibus magis, quàm animis posuisse, eventus posteà ostendit, cùm iidem, mortuo mox conciliatore, in diversa omnia & adversa mutuò ivêre. Paulò post ex Poloniâ nuncii, de primis Chmielnicii cæptis rebellibus, & serpente indies latiùs seditione, metu deniq; advocatæ in scelerum societatem patrociniumq; potentiæ Tartaricæ, Regi afferuntur. Visum itaq; est, in Poloniam regredi, ubi faciliùs iniri consilium, propiusq; ostentatâ Majestate Regiâ retundi nefaria molimina possent. Sed ubi Merecium, Lithvaniæ oppidum, Reginâ comite, pervenisset Rex, subitò doloribus calculi & febri deprehensus, dies aliquot inter morbi incrementa consumpsit, magis medicamentis, quàm Medicis, ægrum destituentibus. Cùm langvescere se videret, testes ultimæ voluntatis suæ tabulas, Sapiehæ Vice-Cancellario, quem fidissimum sibi & Domui Regiæ expertus semper erat, signandas dedit, curamq; exe-

 quendi

quendi commendavit. Inde magis magisq; vocantium fatorum vim ſentiens, à Gregorio Schönhofio S. I. ad extrema præparatus, nec multo poſt, vigeſimo die Maji, anno ætatis ſuæ LV placidè, & integris animi viribus, exſpiravit. Princeps ſanè inter fortisſimos & felicisſimos ſeculi numerandus. Quem mater Polonia in ſinu minimè delicato, quippè inter bella ferè perpetua eduxerat. Prima rudimenta quindecennis adoleſcens ſub ductu Zolkievii, fortisſimi imperatoris, depoſuit in Moſcoviâ. Et hæc poſt Demetriani belli tempeſtatem mirè fluctuans, eum jam ſibi in Principem Anno 1610. delegerat, poſteà cunctatione Patris Sigiſmundi, internisq; diſcordiis, aliò averſa. Chotimenſi dein expeditioni, volente Patre, auſpicia ſua præſens commodavit, tàm felicia, ut Turcarum Imperator Oſmanes, collectis totius Orientis viribus Poloniæ imminens, ſatis tum habuerit ſecuram à Polonis pacem retuliſſe. Quieto poſthàc Regno, ad exteros verſus, peragratâ utrâq; Germaniâ, Romam & in eâ ſummum Pontificem ſalutavit. Poſt Patrem deniq; Sigiſmundum mortuum Anno 1632. concordibus ſuffragiis omnium, Rex creatus, cum ſceptro ſimùl mox arma capesſiit. Smolenſcum enim tum Moſchus ingente exercitu

*Vladislai vita & virtutes.*

exercitu circumſederat. Quod brevi tempore ita Vladislaus liberavis, ut ipſum deniq; obſesſorem exercitum obſideret, & ad deditionem ſummâ ſuâ & Reipubl. gloriâ cogeret. Inde in Podoliam cum victore exercitu transgresſus, Abaſibasſam, quem ingente Turcarũ & Tartarorum vi incumbentem Polonis, Coniecpolſcius magnus militiæ dux fortiter hactenùs ſuſtinuerat, ipſo adventu ſuo territum, & pacta promptè amplexum, ad ſua repulit. Hinc eundem in Prusſiam exſpirantes induciæ, quas cum Svecis in ſex annos pepigerat pater, revocârunt. Cujus terræ cum magnam partem celeritate & vi armorum præreptam aliquot annis tenuisſet hoſtis, eam tùm bellis Germanicis diſtentus, ſed inprimis Vladislai felicitatem veneratus, productis in annos 26. induciis reſtituit. Ex eo tempore hoſtis magis, quàm belli amor Vladislao defuit, Tartaris, quos paupertas ſua & pernicitatis fiducia, in Rusſiæ viſcera identidem antehac impulerat, ita auſpiciis Regis, Conjecpolſcii verò, Potocii, Chmelecii, aliorumq; Magnatum Virtute refrænatis; ut nec crebrò, nec niſi extrema Regni, & trepidè admodum, plerumq; etiam non impunè attentarent. Nec Coſacorum, quanquam aliquandò fræna mordentium conatus aut

*Turcica expeditio.*

*Vladislao hoſtes deſunt.*

*Cosaci sub Vladislao quieti aut domiti.* tus aut progressus tanti fuêre, quin iis comprimendis Regis etiam absentis fortuna, Coniecpolscii dirigentis autoritas, & deniq; executrix Potocii manus abundè sufficerit; posito tum quoq;, ex consilio inprimis Coniecpolscii ad ripam Borysthenis castro Codacensi, tam Cosacorum quàm Tartarorum molitionibus observandis compescendisq; per opportuno. Sub hoc itaq; Rege, si unquam, pace beatissimâ & ad luxuriam propè floruit Polonia, nonnisi sacris dissidiis sibi interdùm molesta. *Pax religiosa.* Quibus & ipsis tamen ille, ponere obicem laboravit, Atq; eo fine amicabile Colloquium Thorunii instituit, cui Regiâ autoritate primùm Dux Georgius Ossolinius Regni Cancellarius, post eum verò Joannes Comes de Leszno Castellanus tùm Gnesnensis postea Palatinus Posnaniæ & tandem ad majus Regni Sigillum evectus, præfuit. Partium dissentientium moderatores constituti: Georgius Tiskievicius Episcopus Samogitiæ, Sbigneus Goraiscius, Castellanus tùm Chelmensis, posteà Kioviensis: Sigismundus Guldensternius L. Baro Præfectus Stumensis & Aulæ Regiæ intimus familiaris posteà Castellanus Gedanensis. Foris bella Vladislaus adeò nunquam recusavit, ut postremò etiam ferè quæsiverit:

domi

domi ſemper pacificus, benignus, fronte animoq; in amænitates omnimodas, beneficiis in prodigentiam propè effuſus. Sed hæc obiter libereq; de vitâ & moribus Vladislai inſerere, morte ejus admoniti ſumus.

## LIBER II.

COſaci victoriâ tam memorabili, Ductore Chmielnicio, adjutantibus Tartaris, potiti; diviſis inter ſe ſpoliis ad Album Fanum (vulgò Bialocerkujam appellant) conſederunt; affluente indies illuc undiq; plebe, & militiam Chmielnicii aut ſaltē patrocinium quærente. Ut adeò intra paucos dies ad ſeptuaginta millia hominum excreverit iſte exercitus, trepidante interim, ac quà quisq; poterat, diffugiente tum Nobilitate; tum Oppidanorum iis; qui ob diverſa ſeu ſacra ſeu Studia Coſacis fidere non poſſent. Ac juſtisſimo quidem metu Polonia omnis perſvaſerat ſibi, progresſurum tùm ſtatim hoſtem, & augeſcente in immenſum multitudine univerſas Regni Provincias, nemine reſiſtere auſo, inundaturum. Sed non fuit ea Chmielnicio mens, aut ſi fuit, fatis

*Chmielnicii victoris exercitus creſcit.*

*Ille sistit cursum victoriæ.* adgubernantibus, mutata est. Quamdiu quidem mortem Regiam ignoravit, veneratione Principis, cujus virtutem, autoritatem, felicitatemq; non nesciebat, substitit. Quin imò missis ad eum deprecatoribus ac literis *turbarum istarum calamitatumq; occasiones, gravissimas nempè Præfectorum injurias, Judæorumq; depeculationes latè exsequitur, simùl veniam orat eorum, quæ in necessariâ sui defensione, commissa sint. Tartaros remissurum se, & porrò in obsequio Regis mansurum pollicens, dum data jam olim à Regibus libertatis usus sibi & Cosacis permittatur firmeturvè.* Posteà simùl cum obitûs Regii nuncio accepit literas Adami Kisieli, Palatini tum Braclaviensis viri autoritate validi, ob sacra etiam communia apud Cosacos gratiosi. In iis Palatinus ad Chmielnicium scribens. *Nihil se*, ait, *de bono ipsius erga Rempubl. affectu dubium, ut paritèr is prosperam apud alios Senatores ac Cives existimationem ac famam experiatur, efficere conari. Militem Zaporohianum semper quidem libertatis & gloriæ avidum, obsequium tamen Regum suorum nunquam exuisse. Et gentem ipsam Ruthenam fidei suæ adeò tenacem esse, ut mortem potiùs decoram, quàm vitam perfidiâ deformem probet. Patriam deniq;*, quam-

*Et scribit ad Regem.*

*Chmielnicium Kisielus mitigare studet efficace epistolâ.*

*quamvis nunc discordibus & sanguine mutuo pollutis eandem esse, in quâ sua cuique jura, sua libertas, aut asserendæ saltem libertatis ratio non desit; patente inter cæteros & præter cæteros viris militaribus in liberâ Republ. pro se loquendi tantâ potestate, quanta in nullo Regnorum alio. Hæc reputantem Chmielnicium non posse Reipubl. Polonicæ inimicum esse; indeque adeò sibi, ad ipsum, ut amicum, per Monachum hominem sacris & ætate venerabilem, scribendi natum impetum, quo sic simùl suam erga exercitum Zaporohianum benevolentiam velit testatam. Non ignarum Chmielnicium, & quotquot cum ipso militant. se solum Senatorem religionis Ruthenicæ, templorumque, & jurium ejus Patronum, in eâ curâ consenuisse & porrò mori velle. Post Cumeicense bellum intactas sibi sanguine Rustico manus; & si quid durius in ipsos consultum sit, se invito & repugnante factum. Merito itaque suo postulare se, ut fidem sibi habeant, cujus negandæ nullam obtendere possint causam. Quæ facta sint, infecta fieri non posse. Bella, atque hinc ortam famem, pestilitatem mala esse, divinitùs immitti solita. Ea singula perdendis Provinciis idonea, Reipubl. jam incumbere aut instare universa. Eadem porrò ampliùs lacessere, provocare, aut in exitium*

*Cosacis in Reipubl. potestate manere utile.*

*tium patriæ asperare velle, indignum & nefas. Satiùs enimverò ultricem Numinis manum precibus, suam pænitentiâ inhibere, mitigandisq; potiùs, quàm diducendis, vulneribus applicare. Certum sibi, quæcunq; acciderint tristia, præter voluntatem defuncti Regis accidisse. Potocio etiam ipsi, quem infelix expeditio in captivitatem jam deduxerit, diu componendi magis tumultûs, quàm armis persequendi placuisse consilia. Scire se deniq; ex Zdanievio affine Chmielnicii, nec ipsum quidem cùm in insulas Zaporohianas secederet, quicquam adversi in Regem aut Rempubl. molitum, in hostilitates nonnisi post suum ex illis abitum deventum: quibus stimulis, quâ culpâ, nec motum Satis, nec ptomptum sibi dicere. Cæterùm seu victor ab hoste seu victus abieris, non uno certamine vel victoriam pertegendam, vel farciendam cladem. Interdomesticos ubi certatur, etiam victori gloriosius gladium cohibuisse, quàm strinxisse aut ostentâsse ultrà. Id circò & Chmielnicio se autorem esse, ne Dei Majestatem, nec Reipubl. quietem lacessat ampliùs. Quin relegatis ad sua Tartaris, & retracto ad suetas Cosacis sedes exercitu, inde per Delegatos vera tumultûs istius primordia injuriasq;, quà exercitûs, quà suas sed simùl mox fidem, inposterum Reipubl.*

*Bella domestica.*

*publ. haud defuturam exponeret. Seipsum* addit (*idq; sanctitatem Ecclesiæ suæ, cujus uterq; ipsorum filius sit, & antiqua gentis sanguinisq; Rutheni sacra & decora obtestans*) *Causæ ipsorum quicquid operâ & autoritate possit, semper promptissimè commodaturum. Talem sibi in Republ. locum esse, ut se inscio, nec belli nec pacis consilia haberi aut rata esse queant; eum porrò animum, qui non bello ejusmodi interno fomenta, sed malorum, quibus ingemiscat, remedia terræ & Religioni patriæ apta, æquamq; inprimis pacem afferre optet. An enim non melius vires, in mutua mala jam conversas, in communem potiùs Christianæ gentis & religionis hostem impendi? annon vel ab illo saltem modum internis calamitatibus medendi discendum? Non semel scilicet istas gentes, Tartaricas inprimis, mutuis discordiis inter se commissas ad arma provolare; facilè tamen, ubi primæ detumuerint iræ, & sine arbitris externis, in concordiam redire. Ipsos igitur Barbaros facessere jubeant, cæterùm eorum in ponendis dissensionibus exemplum servent & sequantur.* Qui literas portabat Monachus, ægre manûs Tartaricas eluctatus, in exercitu etiam Chmielnicii turbida omnia reperit. Tandem tamen convocatâ ad consilium bellicum turbâ,

numerosâ

numerosâ admodùm, eòq; ad audiendum ægrè compositâ, literæ lectæ sunt, & primus Chmielnicius Palatini consilium approbavit. Cui assensis, sine morâ, cæteris, constitutum, positâ omni hostilitate responsum ab aulâ præstolari; Tartaros in campestria dimissos extra noxam Provinciæ, in casum tamen promptos habere, ipsum verò Palatinum ad se invitare. Et in eam sententiam missum Palatino responsum, additâ detestatione *malorum, quæ ipsis nolentibus & deprecantibus orsa, in nocentes juxtà & innoxios reciderint.* Eodem tempore, quo Monachum ad Cosacos, alium tabellarium Varsaviã expedierat Palatinus, quæ Chmielnicio scripsisset, nuncians; simùl consilia addens, de quærendis honestæ compositionis modis, & antequam ad eam accedatur, mittendis properè subsidiis; milite inprimis Prætoriano, quem præsentis animi consiliiq; viro committere svadebat. Summam verò belli autoritatem Palatinus Cracoviensis dandam censebat Duci Zaslaviæ & Ostrogiæ Dominico, qui primario inter Senatores loco (erat enim tùm Palatinus Sendomiriæ) & ordinariâ suâ aliquot millium hominum potentiâ, opibusq; suis præ aliis eam dignitatem sustinere posse videretur. Cæterùm grato animo

*Chmielnicius paret Kisielo.*

*Kisieli consilia de Ducibus eligendis.*

omnia

omnia hæc accepta ſunt à Collegio Senatorum, qui primo Senatore & quaſi interrege Matthiâ Lubienſcio Archiepiſcopo Gneſnenſi, Regni Primate, viro ætate, prudentiâ, & probitate venerabili, negotia Reipubl. curabant. Sed magis etiam poſteà animos omnium erexêre aliæ literæ, quibus Monachi ad Coſacos adventus, & flexa horum ad arma ſiſtenda inclinatio memorabatur. Et actæ Palatino pro iſto in Rempubl. ſtudio ingentes gratiæ, ſimùl & miles prætorianꝰ, ducente Oſſinſcio Tribuno, deinceps verò Caroli Principis Poloniæ, Epiſcopi Uratislavienſis & Plocenſis deſultorii equites quingenti in Ruſſiam ire juſſi ſunt. Scriptæ item ad varios literæ, de conſenſu quidem Senatûs cæteri, ſed impulſu maximè nutuq; Ducis Georgii Oſſolinſcii Cancellarii: qui vir oris ingeniiq; dotibus ingens, & incomparabilis experientiæ, immotâ, quantumvis inter multa inimicitiarum & ſuſpicionum adverſa, autoritate, præcipua rerum tùm etiam regebat. Datum inprimis reſponſum ad Chani Tartarici epiſtolam, quâ ille *à Rege Vladislao, morte ejus nondùm intellectâ, quatuor annorum tributum & Coſacorum in veterem fortunam reſtitutionem*, ſuperbè ſatis & calamitatibus Regni non modicè inſultans,

*Senatus Regni negotia adminiſtrat præſide Archiepiſcopo.*

*Conſilio inprimis Oſſolinſcii Cancellarii.*

*Reſpon-detur ad Chani li-teras.* tans, poſtulabat. Cui repoſitum à Senatu *ad tributi nomen inſolens & intolerandum Polonis ſemper viſum, nec unquam Tartaris quicquam datum, niſi eâ lege, ut vicisſim requirentibus operam Polonis præſtò esſent: ab iis verò ſæpiùs contra factum. Et nupèr in fraudem domûs Ottomannicæ, cui obſequium debeant, violato apertisſimè fædere, rebelles Polonorum ſubditos ab iis adjutos, magnamq; hominum multitudinem miſerè abductam. Quid itaq; & quantum ſtipendii ipſis debeatur, non paucorum Procerum, qui in honorem Regii corporis & ſubita necesſitatum, congregati esſent, ſed majoris Conventûs esſe, definire. Qui ad 16. Julii diem indictus, propediem inſtet. Coſacis, ubi ſupplices veniam commisſorum petierint, juſta & æqua à futuro Rege, interponente ſe Senatu, non iri denegatum. Cæterùm minas Chani, ut terrori non ſint quamvis afflictæ Reipubl., ita ſtimulo fore, ne imparatos ille inveniat, ſi ultra minas ſævire voluerit.* Eo-*Literæ ac Veſirũ Turcicũ.* dem ſvaſore Cancellario ad Veſirum quoq; Turcicum misſæ à Senatu per Gazubam, nobilem Lithvanum literæ: *Chanum Tartaricum incuſantes, qui & libertatis à Rege defuncto olim receptæ immemor & Polonici cum Turcarum Imperatore fæderis irreverens, cum Coſacis Poloniæ rebellibus & in*

Turcas

*Turcas ipsos hostilia subindè agitantibus, societatem pactus sit, immisisq; magno numero Tartaris, custodem finium exercitum, tam insperatæ multitudini imparem circumvenerit, Ducesq; ipsos & plurimos bellatorum alios, post infelix Poloniæ prælium, in captivitatem Tararicam abduxerit.* Oratus Vesirus, *autoritate suâ apud Imperatorem efficiat, ut homini, imperium majoris Domini adeò non moranti, fautori juxtà rebellium, fæderum deniq; violatori scelera sua non sinat impunè esse. Et ut idem Duces, nullâ in Tartaros aut Turcas destinatâ acie captos, restituere jubeat.* Rogatur insupèr ab iisdem Senatoribus Galliæ Legatus qui aderat, *uti res Polonicas Christianissimi Regis apud portam Ottomannicam Oratori, quàm diligentissimè commendet.* De belli deniq; Ducibus in eo Senatu deliberatum, quos ternos bello illi præficere visum. Primus ordine & autoritate, Dominicus Dux Zaslaviæ & Ostrogiæ, de quo antè, nominatus est. Alter Nicolaus Comes de Ostrorog, Pocillator Regni, vir majorum gloriâ & suis meritis illustris. Tertius Alexander Coniecpolscius, Vexillifer Regni, unicus magni illius Stanislai Coniecpolscii, quem verè remoram fatorum Poloniæ dicere posses, filius. Si Jeremias Dux Visnovecius Palatinus,

*Duces militiæ constituti.*

*Visnovecius non est inter Duces nominatus.*

Palatinus Rusſiæ, paulò citius ex remotioribus extremæ Rusſiæ oris eluctari potuisset, multùm ſanè ambiguam eligentium curam fecisſet. Sed is, ultra Boryſthenem, cum ruente in eandem rebellionem plebe agreſtium, diu conflictatus, poſteà malo immenſis auctibus creſcenti illic imparem ſe ſentiens, quæſitis per Lithvaniæ fines ambagibus, trajectoq; iſtic Boryſthene, fidelioribus ſuorum comitatus,in loca tutiora, ſeriùs aliis, evaſerat. Poſteà quantumvis publicæ voces, militarium inprimis virorum, quorum ille favorem populari humanitate & virtute toties ſpectatâ collegerat, ſummæ eum rei deſtinarent, adverſa tamen illi pars evicit, ut in placito Proceribus Aulicis regimine militari nihil mutaretur. Et deinceps in ipsâ Convocatione (ſic in Poloniâ primus à fato Regum Conventus vocatur) hæc ordinatio confirmata eſt, etſi non deesſent, qui aliò judiciis inclinarent, imò aliqui etiam ſiniſtra omnia ſub tali militiæ regimine portenderent Reipubl. Illi autem habendo Conventui diem 16. Julii Archiepiſcopus literis publicis tùm præfiniit, mortem ſimùl Regiam, ex more, Civibus Regni omnibus ſignificans, & quæ ad tuendam Regni ſecuritatem & Rusſiæ tumultuantis ſeu pacationem,

*Convocatio indicitur Varſaviam.*

nem, seu levamentum facerent, de sententiâ Senatorum præsentium, solicitè monens. Nec mora, concurrunt ubiq; Cives, agunt Conventus, quæ posceret necessitas, deliberant. Illicò & post Conventus istos provinciales, ubiq; per Palatinatus colligitur miles, & in militis stipendium pecunia; aliis suo ære, aliis publico militiam & patriæ curam susceptantibus. Nec facilè meminimus tempus, quo majore conatu vires suas Polonia omnis concusserit. Ut videatur specimen, Posnaniensem primò Palatinatum nominabo, qui omnium Poloniæ terrarum à Russiâ, adeoq; à periculi aleâ remotissimus erat. Et is tamen breve intra tempus bis mille ducentos milites contraxit, lectis ex primæ notæ Proceribus, qui ducerent, Tribunis quatuor, Andreâ Carolo Grudzinio, Rogozinensi Præfecto, postea Palatino Posnaniensi; Jacobo Rozrazevio Coninensi Præfecto posteà Palatino Inovlodaviensi, Francisco Czarnkovio Medzericensi & Pizdrensi Præfecto, posteà Castellano Posnaniensi; Hyacyntho deniq; Rozrazevio, viro præsigni, & cujus egregia decora, mortemq; posterior Historia memorabit. Cæterùm singuli horum, supra assignata è publico ærario stipendia, proprii æris non parùm in eam

*Miles colligitur in Polonia.*

expedi-

expeditionem, patriæ laudisq; amore, erogârunt: suâ scilicet manu nonnulli ducentorum militum publicas cohortes turmasq; augentes. At ultrà has copias, in Russiæ laborantis subsidium destinatas, tria millia militum ad tutelam ejusdem Palatinatûs, quòd is Silesiæ affinis & aliarum gentium conatibus opportunus esset, Boguslao Lescinio Generali Majoris Poloniæ Præfecto commissa sunt. Non dispare in Rempubl. animo alii Palatinat⁹ expediêre copias suas. Prussi quoq; quamquam alium & propiorem tùm hostem formidantes, mille pedites, equites ducentos ad extinguendum commune incendium misêre; commisso eorum regimine Ludovico Veihero, Castellano tunc Elbingensi, posteà Pomeraniæ Palatino. Sed his mille ducentis, cæterorum Prussiæ Procerum alacritas totidem alios addidit. Dantiscani quoq; laudabili in Rempubl. fide, & acri Archiepiscopi sollicitatione impulsi, trecentos pedites suo stipendio auctoratos Varsaviam misêre. Cæterùm eadem Prussia, ne his delectibus exhausta & quodammodò nuda, eò magis hostium finitimorum incursibus pateret, aliis qui militem in idem bellum legere vellent, jus & privilegia sua opposuit; ne literas quidem Archiepiscopi, qui inhibi-

tionem

tionem illam juxtà cum aliis ægrè acceperat, morata. Etiam portorium, quod Elbingæ Gedaniq; Regi pendi solitum, in copias contrahendas tùm postulabatur, denegatum est eo nomine, quòd more dudùm recepto, Regi futuro id reservaretur.

Isti autem armantis se Poloniæ apparatus Chmielnicium equidem non latebant. Nihilominùs is amica sibi omnia, sponsore Kisielo Palatino Kioviensi, à Republ. promittens, haud dubiè & viribus suis fretus, ad Album Fanum, injecto successibus suis sufflamine, stabulabatur. Et tantùm aberat, ut de augendo militum numero laboraret, ut potiùs nimiam exercitûs molem metuens, ultrò accurrentem multitudinem à castris suis, quanquam frustra ferè, prohiberet. Nam immensa rusticis armis accinctæ plebis agmina, cùm non admitterentur, castris accubabant. Sed nonnullos Cosacorum Ductores tædium quietis, tùm haud dubiè desiderium prædæ, in excursus faciendos, prolicuit. Ac cùm intellexissent non exiguam Nobilium manum Tulcinum (vulgò Nestervar dictum) se recepisse, illuc primùm, connivente vel potiùs jubente Chmielnicio, vertêre. Vetus id Calinoviorum, & adversus Tartarorum insultus firmum satis municipium erat. Nunc insuper

*Chmielnicius ad Bialacerkvam moratur.*

*Tulcinū invāditur.*

cohortibus aliquot militum, raptim à Baibusâ nobili viro collectis defendebatur. Quibus & Mrozovius cum turmâ Conieċpolſcii Vexilliferi Regni ſpeculatum misſus, poſtremò Czetvertinii Ducis, & Zamoſcianorum militum aliqua manus accesſit. Ac iſtorum quidem virtute repulſus aliquandiu hoſtis, ſed majore mox impetu reverſus, cùm obviam prodire auſos, numero & viribus prævalens, diſiecisſet, oppidum primò, deinde arcem cepit; tandem pretium vitæ & libertatis offerentibus ignoſcere viſus eſt: at hâc conditione, ut Judæos dederent. Quos mænibus egresſos, inter atrocisſima lamenta, nullo ætatis vel ſexûs diſcrimine, gladius hauſit. Gerebantur hæc Ganzæ Tribuni ductu. Cujus cum avaritia pecuniis, crudelitas tot cædibus ſatiata videretur, ſupervenit alius Coſacorum Ductor Oſtapa (Euſthatius nobis) qui pactum cum Ganza initum nil moratus, oppidum & ipſe arcemq; vi invadit. Atq; ut faciliùs loco potiretur, ignem turri ligneæ, in quâ pulvis pyrius asſervabatur, injicit, unde magno accenſi pulveris fragore attoniti, qui in civitate erant, eò facilius hoſtem, magno impetu in valla nitentem, admisêre. Tum miſerabili cæde multa millia hominum, nobilium inprimis utri-

*Idem oppidum miſerè excipitur.*

mis utri-

mis, utriusq; sexûs, perierè. Ibidem inter alios Zetvvertinius ex priscis Ruthenorum Ducibus oriundus securi rusticâ peremptus est. Tum quoq; Niemirovia, sed ferè sine negotio, occupata est: quòd nemo aderat, qui oppidanos, in nova jam nimiùm pronos, in officio retineret. Si qui obsistere, aut minùs favere turbidis viderentur, immaniter trucidati: præcipueq; in Judæos utriusq; sexûs sævitum. Sed fæminis plerisq; non ante stuprum mors illata. Quandam ex primoribus, & liberalioris formæ, servavit Cosacus incolumem, conjugiũ ab eâ stipulatus. Annuere ipsa, & in sacra insuper Græca transire velle visa est: hâc tamen lege, ut sibi, antequam mutaret, semel adhuc Hebræo ritu Deum adorare liceret. Consentit ille, sed abeunti tamen custodem addit. Contendit ad flumen Hebræa, ibiq; præceptis Decalogi, quæ secum gestabat, capiti impositis, in aquam sese præcipitat, memorabili contemptu vitæ, quam, nisi incolumi religione & castitate, mulier servare noluit. Dùm ista hîc geruntur, non procul inde incertum an connivente, an coercendæ effræni turbæ impare Chmielnicio, licentiæ majoris signum sustulerat, Krzyvvonosſius, homo olim ferris bombardisq; faciendis exercitus: nunc belli aliquo

*Niemirovia.*

*Crzyvvonosſius Dux Cosacorũ, præcipuè agrestiũ.*

li aliquo uſu, ſed inprimis aſtu ſenili & audaciâ, modicæ primùm manûs, mox vaſti exercitûs ductor factus. Etenim turbidisſimus quisq;, cui nec Chmelnicius ſatis barbarus videbatur, prædæ cupidine & publico quodam quaſi furore ad eum ruebat. Cui ante alios omnes Jeremias Viſnovecius, Dux magni animi & bello felix, ex ultimis Rusſiæ trans-Boryſthenianæ oris nuper eluctatus, ſe oppoſuit; primo impetu Poherebiſcos & Niemiroviam, oppida perduellia, aggresſus. Poherebiſcis aliquot Rutheni, qui cæteris ad perduellionem præiverant, in furcam acti. Niemiroviani venienti à Principe Baranovio portas præcluſerant. Poſteà vim experti & majorem metuentes, misſo obviam Magiſtratu, Duci ſe purgârunt, & ut tutiores adverſus hoſtem esſent, militem in præſidium popoſcerunt. Miſit ducentos equites deſultorios Viſniovecius, Scanſcio & Juskievicio Ductoribus. Sed hi vix mænibus ſuccesſerant, cùm Coſaci Braclaviani advocantur, qui magno numero oppidum ingresſi, omnes iſtos præſidiarios, adjutante oppidanorum perfidiâ, trucidârunt. Inſignitum Niemirovianorum ſcelus abominatus Viſniovecius, & ſimilem aliarum iſtîc Civitatum perfidiam metuens, cùm neminem ſibi in auxilium

*Poherebiſci capiuntur à Viſniovecio.*

auxilium venire sentiret, retrò ducit militem suum. Iter ingresso obvius fit cum aliquâ manu suorum Janussius Tiskievicius Palatinus Kioviensis adferendam Machnovvcæ, oppido suo hæreditario, quod hostis occupâsset, opem flagitans. Nec deserendum sibi tantum amicum, & tam solicitè orantem putavit Visniovecius. Cùm Machnovvkam venissent, harpyjas hostiles direptioni oppidi intentas reperiunt. Irruunt in palantes, & per intima ædium venantes prædam, nullo negotio fugant trucidantq;. Quod ubi nobilis turba, quæ undiquaq; ab hoste circumfusa, in arcis quodam conclavi, ad extrema omnia se obstinaverat, intellexit, summâ alacritate accurrit, & in cædendo hoste non segnem novat opem. Mox ad castra quoq; Crivonossii itur, quæ non procùl ab oppido remota erant. Hæc verò ipsa quoq; prævius jam terror ita perculerat, ut undiq; in fugam ruere hostiles catervæ cernerentur. Et parùm aberat, quin duo hi magnates ad extrema ibi hostem redigerent, facturi sanè utilissimum patriæ, sibi gloriosissimũ belli compendium. Sed publico bono privata se utilitas interposuit. Fuit enim, qui patrimonio & subditis suis, quorum plurimi inter hostilia agmina erant, metuens,

*Visnovecio se adjungit Tiskievicius Palatinus Kioviensis.*

*Machnoviæ hostis deprehenditur.*

*Victoria corrumpitur.*

tuens, effecit autoritate & precibus, ut cædium victoriæq; cursus sisteretur. Nox prætendebatur, æquè victoribus, quàm victis periculosa. Interim tenebrarum opportunitate usus hostis, desertis castris & impedimentis, exitio se, in summam terrarum illarum perniciem, subduxit. Nam paulò post idem accursu plebis innumeræ eò virium spirituumq; processit, ut victorum copias, nullâ aliunde ope sublevatas auderet lacessere. Deniq; etiam recedente nonnihil ob impares vires Duce, Polonnam Stanislai Lubomirscii Palatini Cracoviensis oppidum, ingenio loci & opere validissimum, septuaginta dudùm machinis bellicis, arcendæ vi externæ, instructum, aggressus est. Non alius sustinendo atq; etiam retundendo hosti sufficientior locus videbatur, ejusq; ad tutelam Visniovecium Ducem animus ferebat, sed à comite Palatino attinebatur, qui fraude oppidanorum omnes Polonorum conatus irritos fore suspicabatur. Cæterùm præsidii Visnioveciani fiduciâ, vicina Nobilitas & quisquis hostem timeret, inter alios etiam Castellanus Kioviensis Brzozovius, & Czernius sub-Præfectus Bialocerkviensis, aliiq; viri insignes se & carissima quæq; in Urbem hanc intulerant. Sed nullo post apparente, mox & despe-

*Polonna capitur & miserè habetur.*

& desperato omni auxilio, animadversâq; civium in Cosacos inclinatione, multorumq;, ex præsidiariis etiam, ambiguâ fide, cautissimus & promptissimus quisq; inde se proripuit. Qui fugere nequirent, vel ob hostis propinquitatem timerent, gliscenti proditorum civium perfidiæ aliquantùm reluctati, eidem deniq; cedere cogebantur. Adeoq; nemine prohibente ingressa barbara colluvies, quicquid crudelitas & libido juberet, perpetravit, cædibus in Polonos juxtà ac Judæos, stupris in sexum imbellem, nobiles præcipuè fæminas, direptionibus deniq; in omnes atrocissimè grassata. Putes fædissimum hostem darè voluisse specimen sævitiæ, quod sparso longe lateq; terrore, omnium animos ita dejiceret, ut nemini non consilium fugiendi quàm resistendi videretur melius. Et sanè post Polonnam ita facile occupatam, nihil impervium hosti, nihil tutum esse Polonis visum est. Latè mox, atq; in omnes circum partes diffusa colluvies, & augebatur eundo, & quicquid usquam ad obsequia minùs obvium reperiret, malè mulctabat. Ubi sic in sanguine fundendo plebem agrestium aliquandiu exercuerat Crivonosius, efferatiorem & tot perpetratis scilicet egregiis facinoribus nihil non ausuram, duxit

*Constantinovum tendit Crzyvonosſius.* verſus Conſtantinovum, Dominici Ducis Zaslaviæ Oſtrogiæq; hæredium, urbem commerciis celebrem, & vallo pæalto cinctam. Ei defendendæ Dux poſſeſſor mille quingentos equites, pedites ter mille circiter, regente illos ductore inſigni Coricio, hos Suchodolſcio non ſpernendæ experientiæ viro immiſerat. Quibus commodum Osſinſcius caſtrorum Lithvaniæ metator pervenit, prætorianam Regis defuncti legionem ducens. *Idem defendunt Poloni.* Ubi copias junxerant, parte peditatûs intra urbem relictâ, aciem ritè inſtruunt hoſtemq;, ut ex ſpeculatoribus intellexerant, propediem adfuturum opperiuntur. Interim Dux quoq; Viſniovecius, cùm fruſtrà ante Osſincium Coriciumq; ad ſe invitâsſet, nunc majore ingruente periculo, ab iisdem ad capesſendam Conſtantinoviæ defenſionem ſolicitè invitatus, comitante Palatino, advolat, quinq; circiter millium exercitum ducens. Vix de nocte in unum cojërant copiæ, cùm ecce ſequenti mox die hoſtis, misſis primùm præluſoribus, qui ſpecie paucitatis in acie ſtantes Polonos in camporum aperta prolicerent; paulò poſt, cùm nemo prodiret, totâ eâq; immensâ multitudine vicinos urbi campos opplevit. Stagno & paludum uliginibus duo adverſi exercitus interjungebantur.

Sed

Sed per stagnum quia arte factus agger dabat trajectum, eo occupato, ire in Polonos decreverat Crivonosſius. Hi verò transitum prohibituri, pariter cis trajectum, constiterant. Ipsum aditum trajectûs custodiebant circumpositi Ducis equites desultorii, quibus intermixti stabant Ossinsciani pedites, ab equite ita contecti, ut conspici ab hoste non possent. Alterum latus, quod in campos respiciebat, Coricio dabatur tuendum. In subsidiis collocatæ erant turmæ Palatini Kioviensis & Visniovecii, iisq; præfectus Zamoscius. Hostis istos omnes exitium sibi ipsis ultrò parare arbitrabatur, quippè qui adeò modico suo numero tam ingentem exercitum opperiri non dubitarent. Itaq; aggerem & quæ aggeri subjecta erat, uliginosam planitiem trajicere properat multitudo, secura sui, & victoriæ certa. Cùm ultra medium aggeris venisset, dato à Ducibus signo, equites in latera discedentes, pediti spatium faciunt in hostem sclopis detonandi. Hosti improvisus iste pilarum nimbus fuit. Unde ubi stragem ille in primis Ordinibus haud exilem vidisset, subitò prior audacia in formidinem vertit, ita ut sine morâ omnes fugam retrò maturarent, pars viam per stagnum vel paludes quærerent, vel trajectu, ab aliis præire

*Feliciter rem agunt Poloni.*

*Krzyvonosſius profligatur.*

præire nitentibus, depulsi; vel quia per angustias aggeris non satis celer fuga consternatis videretur. Alii, quibus præcox alacritas invia paludum ante peruia fecerat, nunc quicquid tardum iter redderet, evitantes, facto per campos circuitu ad suos evadere laborabant. Sequebantur quà poterant Poloni refugos. Et equitum plurimi, præviis Sokolo & Curossio, trajectum & uligines alicubi superaverant, ut hostem undiq; exciperent urgerentq; Krzyvonossius cum Præfectis aliis & cæterâ multitudine, pugnæ magis quàm pavoris adhuc experte, recepit se ad castra: quæ quia structâ carragine adversus vim firmata, jam & machinis fulminare cœperant, persequentium ardorem stitêre. Redditâ luce, instandum hosti, & impulsam ejus fortunam fortiter urgendam censebat Visniovecius. Sed alii, quòd tam parvo exercitu insuperabilem hostium multitudinem crederent, & fama esset, Chmielnicium à Pavluco oppido non longè remoto ire suppetias Krzyvonossio, jamq; aliquot inde turmas accurrisse: non tutum putabant denuò fortunæ aleam istic experiri. Quare stetit sententia, reducendum exercitum; donec receptis à Republ. subsidiis, tantò majore fiduciâ, minoreq; periculo iri posset in colluviem istam, fatis

*Fortunã non urgent victores.*

interim

interim suis & discordiis internis relin- *Crzyvo-*
quendam. Krzyvonosfium prioris diei cla- *nosfius*
des haud facilè dixerim, turbaveritne magis *retentat*
an irritaverit. Equidem postero die rur- *fortunā.*
sùm suos versus locum, pridianò adhuc
sanguine cruentum, duxit. Sed inter traji-
ciendi tamen aggeris tentamenta minasq;
tùm suam tùm adversam aciem diu tenuit
suspensam. Posteà firmatis ad expiandum
dedecus hesternum animis, haud dubiè &
de discessu pedestrium copiarum aliquà
edoctus, commotis castris universis & simul
machinis in hoc, quod residuum erat exer-
citûs, invehebatur. Duplici autem agmine
procedebat. Dextro latere carrago duce-
batur, cui tuendæ circumfusa ingens turba,
aggere trajecto in camporum subjecta pro-
dibat. Qui trajectu superato, latus sini-
strum obtinuerant, primi ad pugnam se
parare jussi sunt. Polonorum acies ita or-
dinata est, ut dextra ala Tiskievicio, sini-
stra Visniovecio ducenda contingeret.
Convenerat autem inter hos, minimè im-
pedire transitum hostis. Imò & gradum *Iterùm*
paulatim, integris ordinibus, referre jus- *vincitur*
sus est miles: quò securius solutiusq; hostis *Crzyvo-*
insequeretur nostros, quos fugere existima- *nosfius.*
ret. Ac pulchrè utiq; processit dolus. Fu-
gere enim Polonos rata multitudo hostilis,
undi-

undiquaq; per udum & ad gradum instabile solum proruebat. Ubi tempestivum visum est, vertêre vestigia Poloni, atq; in hostem nòn cogitantem ire cæpêre. Inter primos ipse Dux cum equitatu in frontem adversam erupit. Explosis semel sclopis illicò ad gladios res devenit. Quos maximo ardore impetuq; dùm rotant Visnioveciani, quæ obvia erant hostium agmina, ubi necquicquam sclopos exonerassent, turbata primùm, mox non tam pugnæ quàm cædis fuêre materies. Et eodem terrore mox perculsi proximi terga pariter dabant victoribus. Palantes plerosq; & trepidos hausit gladius: ita ut ad sesquimilliare usq; cadaveribus omnia opplerentur, Ruthenorumq; lacernis albescerent campi. Plurimos in aquas & invia paludum pavor egit. Tormenta sex májora tum adempta sunt hosti, Signa militaria quadraginta, atq; inter ea aliquot in clade Corsunensi amissa, inprimis illud, quód aulica Calinovii Campiductoris turma duxerat. Captus etiam Pulianus, non postremæ notæ Centurio, & omniũ ferè, quæ inter Cosacos agitabantur, conscius particepsq; ; Qui à Baranovio Dapifero Braclaviensi adductus, seu verè, seu, ut tormenta effugeret, enunciavit, *monitũ à Chmelnicio Krzyvonosium, ut mora-*

*ut moraretur Lachos, dum ipſe Pauluco, ubi hucusq; bareat, promoveret caſtra.* Ita eo tempore ſiniſtra aciei hoſtilis ala inſigniter profligata atq; acciſa eſt, victoriâ eo memorabiliore; quod pauco hinc ſanguine conſtiterit. In primo tamẽ incurſu Viſnovecius, dum acerrimè pugnã ciet, duos primariæ notæ ductores amiſerat, Mokrſcium Tribunum, & Caſparum Curoſſium prætoriæ turmæ ſubpræfectum. Dextram hoſtium alam pariter ingens terror pervaſerat, ut qui iſtic erant, æquè fugam capesſituri fuerint, niſi carragine deſertâ in manus Polonorum circumſultantium incidere metuisſent. Verùm & in illo carraginis anguſto *Carrago*
concluſos haud levis tenebat metus: pa- *Coſaco-*
rumq; aberat, quin plebs infelicia ſeditio- *rum*
nis cæpta jam abominans, in præfectos in- *tantùm*
ſurgeret, vinctosq; in pretium ſuæ incolu- *non ca-*
mitatis traderet Polonis. Seriùs poſteà id *pta.*
Ducibus innotuit, alioquin hæc ipſa caſtra tùm, extremâ haud dubiè hoſtium pernicie, fuisſent aggresſi. Sed hi carraginem non perfunctoriè inſtructam conſpicati, pedite inprimis & machinis oppugnandam credidêre. At peditatus unà cum impedimentis retrò ad pagum Rosſolovvee misſus, ad duo milliaria à loco pugnæ jam aberat. Hic ſi Polonis ita feliciter pugnantibus adfuisſet,

non

*Hostis eluctatur malo Poloniæ fato.*

non dubitatum, modico illo septem circiter millium exercitu debellari Krzyvonossium, & in hoc universam rebellium fortunam impelli ac comprimi potuisse. Ea; rei agendæ occasio postquam effugerat, nihil visum conducibilius, quàm ista duplicis palmæ decora portantem, sed & fessum jam laboribus exercitùm reducere, antequam ab infinitâ illâ multitudine circumvento, commeatus & subsidii è Poloniâ spes interciperetur. Cùm abiissent illi, flumen impunè trajecit hostis, & mox Constantinovum urbem defensoribus vacuam occupavit, & deniq; illâ Urbis parte, quæ Poloniam respicit, fixis, valloq; & fossâ circumductis castris, consedit.

*Chmelnicii nuncii cum literis Varsaviam perveniunt.*

Ad eum modum dum Russicæ quaterentur provinciæ, Varsaviam interim nuncij illi, quos supra à Chmelnicio ejusq; exercitu ad Regem, cujus mortem tum nondum intellexerant, cum literis missos diximus, pervenerant. Qui simul ad Regem, tum Regni Mareschalcum, posteà Palatinum Ravensem Lucam Opalinscium ætate & meritis gravissimum senem, nec non ad Regni & M. Duc Lithvaniæ Cancellarios; epistolas ferebant, ejusdem ferè cum alteris ad Regem scriptis argumenti: *excusatrices* nempe *facinorum, in qua atrocibus Præfectorum,*

*fectorum Judæorumq; præcipuè injuriis compulsi essent. Quorum ut modum ipsi, à Kisielo Palatino moniti, sibi posuerint, ita veniam se jam poscere, rogaréq; simul, ut remissis intolerandæ servitutis oneribus, antiquæ libertati restituantur.*

Sed quoniam in his libris Judæi, ut non minima belli hujus causa, & simul pars calamitatum, subinde memorantur, fortasse non abs re fuerit, de eo hominum genere quædam altiùs repetere. Judæi, gens olim DEO dilecta, postquam missum cœlitùs Servatorem occidere, quam amplecti maluêrunt, gratiâ omni Divinâ, & hinc non tantum libertate, sed terrâ etiam patriâ excidêre. Neq; , post destructam à Tito urbem sanctam, ullum amplius illis ad restaurandam solii antiqui, sacrorumq; suorum sedem patuit postliminium; adeo usq; flagrante in perfidos irâ DEI, ut nec contumaciam in illis, nec pœnas contumaciæ cessare hactenus voluerit. Dispersi per omnes pænè Orbis partes agunt, nusquam honoris ullius, aut muneris publici participes, ubiq; supra exulum sortem contempti, exosi & injuriis plerumq; expositi. Nec cultu agrorum aut artibus laboribusve decoris, sed sordido ut plurimum quæstu vitam tolerant, magnam partem laniones,

*Digressio de Judæis.*

H aut

aut institores. Spectatiores inter ipsos immani fænore, aut vectigalibus rem faciunt. Aliqui ad opima etiam commercia exsurgunt, cæteris mercatoribus plerumq; graves, quibus victu tenui viliq;, tum & vigilantiâ ac sagacitate, plerumq; etiam pravis artibus lucrum præripiunt. Poloniam gens ista multis retrò seculis habitat, non alibi usquam liberalius exilium experta. Primum ejus seminarium Boleslaus Dux Calissiensis in majoris Poloniæ oppida aliquot, præsertim Calissium, recepit ex Germaniâ: Unde linguam hanc, etsi corruptam, usq; etiam retinent, quotquot usquam per Poloniam fixêre sedem: peregrino sermone secreta sua inter se faciliùs celantes. Sed nunquam benignius habiti sunt quàm sub Casimiro magno, qui mulierosus cum esset, inter alias pellices Estherem habuit; quæ gente Judæa, favore, quo apud Regem valebat, ad erigendam popularium suorum fortunam scitè usa est. Unde multas immunitates adepti, per omnes Regni provincias sese diffudêre. Eâ inprimis supra omnes & indigenas & peregrinòs prærogativâ superbi, quòd nullis Urbanis magistratibus, neq; etiam Satrapiarum Regiarum Præfectis parere tenentur, sed jura sua à solis Palatinis accipiunt. Quos muneri-

bus ap-

bus apprimè delenire ſciunt; ab omni onere civili ac militari immunes: nec ad tributa alia, niſi quæ publicis Regni Comitiis decreta fuerint, trahuntur. Porrò parſimoniâ victus & præproperis impuberis etiam ætatis nuptiis, quantum robur gentis libidine infringitur, tantum fertilitas & multitudo augeſcit. Inde magnam partem Urbium Regiarum implevêre, liberrimè quovis modo quæſtum, tum & ſacra ſua publicis Synagogis exercentes. Eâdem libertate minora oppida incolunt, invitantibus eos aut certe non reſpuentibus pleriſq; nobilium & Magnatum, dum frequentiam coloniis ſuis conciliare quærunt. Et quoniam cætera ferè plebs ſolitâ ignaviâ ſocordiâq; in diem plerumq; vivit, eò magis illorum ſobrietas & ſolertia Dominis fundorum probatur. Nec obſtat, quòd artibus ſuis cæteros incolas & corrumpant & exhauriant. Nam & potulentis, quæ præcipuè ac pæne ſoli vendunt, in bibacitatem per ſe pronos ſtimulant, & uſuris enormibus pecuniæ egenos emulgent. Iidem plerumq; cauponas heriles, molendina item, uti & prædia, integraſq; ſubinde præfecturas conducunt, ſupra pretium, quod Locatoribus pendunt, ingentia ſibi compendia ac lucra, non ſine multo plebis ru-

ſticæ onere, trahentes: conniventibus ad iſta Dominis, illis præſertim qui ad ſubita neceſsitatum non aliunde ferè, quam à Judæo pecunias quærunt. In Ruſsia utiq; ubi magna rerum, non item nummorum affluentia eſt, pluſculum iſtis hirudinibus facilitas Magnatum, his præſertim temporibus, indulgere viſa eſt. Eâq; fiduciâ Judæi, conductis ſubinde potulentorũ aliarumq; rerum proventibus monopolia ante inuſitata moliri cæpêre: Edicta plerumq; à Præfectis eblandientes; quibus ſubditi alii eos, quos poſſent, domi potûs conficere vetabantur, ut ita eosdem pretio, quale Judæus poneret, quisq; cogeretur mercari. Atq; ea ſervitus paulatim ad Coſacos quoq; extendi cæperat, quantumvis vetera Regum privilegia obtendentes, quibus homines militares ab iſtiusmodi oneribus eximantur. Verum alii, non toties rebellibus, ſed in obſequio manentibus gratiam Principum ſervire regerebant, publicæq; rei intereſſe arbitrabantur, libertatem iſtorúm ſenſim magis magisq; attonderi: Parte utrâq; ſat ſpecioſis coloribus cauſam ſuam agente, donec fatis diſpenſantibus, tempus ſubiit, quo controverſia incaſsùm rationibus agitata, judice gladio decidi cæpit, neq; ſic tamen forſitan, niſi plurium

plurium annorum vicissitudinumq; intercursu terminabitur. Sed ego à Judæis ad Cosacorum nuncios, quos Varsaviam venisse memoravimus, revertor. Hos verò ad instantem ordinum conventum retinendos censuit Cancellarius. Ad literas per eos allatas Archiepiscopus sine morâ respondit in hanc sententiam. *Ex iis, quæ Cosaci partim scripsissent ad Serenissimum Regem, nunc cœlitem, partim etiam nunciis suis coràm agenda dedisent, intellecta sibi, quæ molesta ipsis contigisent hactenus. Et se quidem iniqua illa asperáq; toleratu haud diffiteri: sed aliis profectò modis amolienda fuisse, non tali sanguinis profusi impensâ, non junctis cum infideli hoste armis, & objectâ ejus libidini tantâ Christi sangvine redemptorum hominum multitudine. Gratam tamen sibi ipsorum de malè actis pœnitentiam, sed eam, prout apud Regem defunctum testatam illi voluerint, ita coram Rempubl. à Regibus suis nunquam dividuâ, testandam fuisse. Non dubium, illam ut benignam matrem in redeuntes ad obsequium, & societatem Tartaricam exuentes, oculum reflexuram. Sibi sine consensu totius Reipubl. tàm ardua negotia, quale sit ipsorum, nefas esse transigere. Sed instare conventum, orbato, optimi Rectoris morte, Regno, rebusq;*

*Chmelnicii literis respondet Archiepiscopus.*

*turbatis consultorum. Ad hunc allegandos hos feciales; aliosq; insuper, resipiscentiam ipsorum pleniùs expositurós. Firmiora futura, quæ universæ Reipubl. comprobatione sancita, tum retulerint. Cæterùm mirari se, quî tàm malè literis ipsorum respondeant, quæ famâ constantissimâ afferantur. Nimirum hîc veniam & pacem orari, alibi ferrum stringi, & in Regni incolas atq; oppida modis infandis sæviri, jubente, certè non inconsultò ipsorum ductore. Cohiberent, si fidem sinceri ad obsequium reditûs facere velint, licentiosè grassantium globos, & autores novissimorum facinorum castigarent. Captivos prætereà, quos vel ipsi vel Tartari in vinculis haberent, libertati redderent. Id hominibus Christianis dignum facinus, id recti in communem patriam affectûs indicium & pignus fore.*

*Eidem Cancellarius respondet.*

His literis Magnus Regni Cancellarius alias suas, sensùs prope ejusdem, addidit. *Percepta ex literis ipsorum & cum curâ expensa sibi ea, quæ excusando inconsiderato & præcipitis audaciæ facinori suo afferrent. Exercitui Zaporobiano favisse se semper, virtutemq; ejus & quæsita multorum annorum laboribus, perpetuâq; in Reges & Rempubl. fide decora, etiam Regi defuncto commendâsse. Eò acerbiùs jam sibi, illos fidei &*

*partæ in Republ. existimationis immemores, in repetendo, quod habuerint aut prætendant, jure, viam ingressos orbi Christiano tristem, & abominandam omnibus; inito videlicet fœdere cum internecinis Religionis & Reipubl. hostibus: Pronius sine dubio & laudabilius ipsis ad Regem suum tot beneficiis cognitum, quàm ad Christiani nominis adversarios & pestes, patuisse perfugium. Jus legitimè petentibus non defuturam fuisse, sui & animi benevolentiam, & muneris autoritatem.* Nec *impunè abituros, quos injuriarum violatæq; ipsorum libertatis reos inquisitio deprehendisset. Jam data à se præludia, cum sub ipsa anni hujus auspicia, vivo & jubente Rege, judicium recuperatorium designâsset, cognoscendis ipsorum injuriis. Cæterum, qui factorum, quæ non sponte, malè tamen facta ipsimet confiteantur, veniam à Republ. postulent, etiam nunc se apud Ordines (brevi consiliorum causâ coituros,) efficere conaturum, ut faciliùs & expiare facinus commissum, & laudabilibùs inposterùm ausis labefactam fidem famamq; resarcire possint.* His literis præmissis, reliqua à conventu expectare jussi sunt nuncii. Quem quovis Interregno ante Electionem haberi solitum, necessaria tum Reipubl. tempora festinari postulabant. Tempore itaq; du-

*Convocatio Varsaviæ habita.* dum definito, hoc est, XVI. Julii, convenêre Senatores Regni, magno numero, & cum iis delecti à Nobilitate viri, quibus suorum Palatinatuum postulata deferre, & agere causam incumbebat. Ac primò dies aliquot extracti sunt piis erga defuncti Regis manes officiis, tum luctûs communis, coram Reginâ viduâ & Serenissimis fratribus Defuncti, contestationibus. Quæ per Andream Gembicium Episcopum Luceoriensem, & Sbigneum Goraiscium tum Castellanum Chelmensem, factæ, . Posteà literæ cùm aliorum, tùm inprimis Chani & Cosacorum publicè prælectæ: à Kisielo deniq; Palatino exordia tumultuum facundè exposita, tum simul legationis ad Moschos feliciter obitæ ratio ab eodem reddita est, Hinc sententias super Reipubl. negotiis & periculis dixêre Senatores, præeunte omnibus Archiepiscopo. Inde tandem ad tribunitia ordinis Equestris suffragia cum descensum esset, ab aliis alia illata, ut maximè necesſaria & præ aliis curanda. Sed potiores & periculi publici intelligentiores, inter primas curas expeditionem nunciorum Cosacicorum esse voluêre. Quorum sententiam Senatus juvit crexitq;: missis in illorum conclave binis egregiæ autoritatis Castellanis Zavviechoviensi, Kochavonio, & Chel-

*Cosacicorum nunciorum expeditio urgetur.*

& Chelmensi Sbigneo Goraiscio. Introductos itaq; tandem nuncios interrogavit, urgente ordinis Equestris consessu, Boguslaus Comes de Leszno, consessûs istius moderator, de nonnullis in instructione, ipsis à Chmelnicio datâ, repertis: inprimis verò ubi sint *literæ, quarum Chmelnicius in instructione faciat mentionem, à quo scriptæ, quo Regni annulo signatæ? Deinde cujus autoritate permissum sibi ferant Cosaci, exercitum suum sex millium accessione augere? Quis potestatem iis fecerit retentandi intermissam tot annis Ponti Euxini navigationem? Quis pecuniam suppeditaverit ad parandos lembos necessariam? Nuncii nullas sibi literas commissas, respondêre, præter quas Archiepiscopo, Magistro Aulæ seu Mareschallo Regni, Magno deniq; Cancellario reddidissent. Nec ad cætera quæsita, quod respondeant, habere se, illos, à quibus missi essent, percunctandos.* Multis tali ignoratione seu reticentiâ secretorum non placuêre hi nuncii, tamen comiter, quia tempora svadebant, ex consessu, & postero die, Varsaviâ dimissi sunt: responsum ferentes ab ordinibus Reipubl. universis, haud dissonum ab iis, quæ antea Archiepiscopus & Magnus Cancellarius scripserant. *Nimirum literas ipsorum, quas ad defunctum Re-*

*Nuncii examinatur.*

*Ordines Poloniæ scribunt ad Casacos.*

*gem exarâssent, ad se, quibus post obitum Regium universæ Reipubl. negotia incumbant competantq́;, delatas, inq́; iis supplices preces, quibus magnorum & Deum juxta ac Rempubl. gravissimè lædentium, facinorum veniam rogent. Non opus esse verbis dilatare quæ ab ipsis admissa sint. Ipsos confiteri, violatum à se omne fidei divinæ ac humanæ sacramentum, quando factâ cum infestâ Christianæ rei gente conspiratione, in exiguam Reipubl. manum, eamq́; divisam, vim & sævitiam exercuerint. Ac adesse equidem Dei beneficio Reipubl. vires, sumendæ de tali hoste ultioni pares; & cœli profectò favorem divinæ æquè ac suæ injuriæ vindicibus Polonis haudquaquam defuturum, contra eos, qui Rempublicam, cui debuerint obsequium, perfidiâ lacessant. Cæterùm sanguinis humani reverentiâ, tum humili ipsorum post patrata facinora submissione, ad meliora se flexos, destinâsse jam Recuperatores, viros insignes, qui voluntatem Reipubl. super eo negotio luculentiùs explicaturi sint. Interim jam nunc quoq;, de suâ in ipsos tanquam subditos clementiâ aut commissorum condonatione non dubitandum, dummodò ipsimet firmam satis sinceræ de commissis pœnitentiæ fidem faciant. Facturos autem, si captivos quos habeant, quàm primùm dimittant.*

*Duces*

*Duces verò rebellium globorum Russiam nunc passim pervolitantium, & in nobilitatem præcipuè sævientium, Recuperatoribus sistant. Quicquid deniq; sit societatis aut fœderis, quod cum Tartaris susceperint, abjiciant. Quæ alia transigenda cum ipsis restent, Recuperatoribus se commisisse, quos modestis animis exspectent, ab omnibus interim injuriis abstinentes, & nullâ infestâ amplius manu, Regno vel Mag. Lithvaniæ Ducatui graves. Postremò cùm in formulâ commissorum (vulgò instructione) nunciis suis datâ, mentio facta sit literarum, tum privilegiorum, istorum nihil Ordinibus redditum esse.* Et sic quidem ad suos remissi, quos Chmelnicius post victoriam Corsunensem Varsaviam miserat, pacis Oratores. Quos proprid. Cal. Augusti durante adhuc conventu, Kisielus Palatinus turbarum Cosacicarum pacator destinatus, cum collegis supra nominatis, insecutus est, comitante eum Serenisſ. Principis, postea Regis Joannis Casimiri, cohorte. Nam his ipsis seditionibus, res quoq; Palatini adeò accisæ erant, ut itineris sui securitati, functionisve susceptæ dignitati suis opibus consulere non sufficeret. *Kisielus mittitur ad Cosacos.*

Cæterùm amoto hoc primo & Rempubl. omnium maximè urgente velut lapi-

de, tantò

de, tantò tranquillioribus animis, in alia, quæ in iſtiusmodi conventu agi conſvevêre, itum eſt. Et poſt multas plurium dierum concertationes, quæ à tantâ ſentiendi disſentiendiq; libertate abeſſe vix ſolent, vel posſunt, in hæc tandem capita, quæ propter curioſiores apponere libet, conventum eſt.

*Confœderatio Ordinū.* *Primùm omnium, ad morem antiquum, à quo & Confœderationis nomen huic Conventui inditum, omnia Regni, ex tot diverſis Nationibus coaliti, membra & ordines omnes, in commune concordiæ ac pacis mutuæ fœdus novo & ſanctisſimo nexu conſpirant, abdicatâ ultrò & quodammodo ejuratâ copiâ à reliquo corpore ſecedendi, ſeorſimvé ullis ſimulationibus vel modis, publicæ Electionis libertati damnoſis, quenquam, non expectato unanimi omnium Ordinum conſenſu, Regem nominandi, vel deniq; ante jurium, privilegiorum, immunitatum confirmationem ſacramento factam, pro Rege recipiendi audiendivé. Qui ſecus faxit, pro hoſte patriæ habendum. Ac cum ab orbitâ legum juriumq; non parum diſcesſum ſit, ſpondent ſibi mutuò, non accesſuros ſe ad Electionis ſuffragia, aut cum Canditatis pacta, niſi ſanatis primùm Reipubl. ac libertatis vulneribus, & exorbitationibus, quas ullæ*

*Regni*

*Regni provinciæ publicè privatimvé factas ostenderint, correctis & sublatis.*

*Inprimis Religionis diversitatem nemini fraudi fore, stipulantur, fidem, honorem & conscientias inter se obtestati. Decreta etiam Tribunalitia, vim legis, & adversum quid isti libertati spirantia, mandata item Regia, pacem Religionis luxare aut convellere visa, abrogant; & ne post-hac fiant, cavere pollicentur. In quibuscunq; urbibus Regiis publicus & solennis sacrorum usus dissidentibus in Religione antehâc usitatus fuerit, eundem pariter deinceps licitum esse; ubi is exulaverit hucusq;, tumultibus amoliendis, posthac etiam exesse volunt: ita tamen, ut privatim sacris suis operari peregrè advenientibus fas sit. In violatores verò securitatis dissidentium, cùm antehac anno 1631. acris lex lata fuerit, eam istius insuper conventûs autoritate firmant, denunciatâq; promptiori in peccantes inposterùm animadversione stabiliunt, ordine sacro quantumvis obnitente.* Sacrorũ cavetur libertati.

*Ecclesiæ Rusficæ, Religionis suæ, in quâ illa gens olim cum Regno Poloniæ coaluerit, jura & privilegia antiqua firmantur, addito insuper, si quæ sub Rege defuncto labefactata, vel imminuta sint, ut futuro Electionis Conventu in integrum restituantur, & citra contradictionem aut etiam disquisitionem, futuro* Ecclesiæ Græcæ jura.

*turo Regi tuenda exequendaq́; commendentur.*

*Judicia constituuntur.* *Posteà justitiæ administrandæ curam intendunt; mutuò sibi ingeminantes, ut in Regnis nunquam, ita multò minùs in Interregnis, quibus ferè, ut criticis diebus, corpora Regnorum debilia maximè, mutationiq́; opportuna sint, legum autoritatem hebescere debere. Sententiæ itaq́;, ante publicationem mortis Regiæ ab Archiepiscopo factam, quocunq́; in judicio legitimo latæ, pro ratis habentur: contractus, testamenta, protestationes, relationes etiam post publicationem mortis Regiæ, apertis de consensu Palatinatûs vel territorii cujusq́; libris publicis insertæ, pro legitimis promulgantur.*

*Judicia sub interregno instituta, (quæ à velo magni luctûs indice Capturalia dici solent) sanctiones, & consilia omnia, ad defensionem patriæ, conflationem æris in delectûs militares, juris deniq́; tuitionem instituta approbantur firmanturq́; additâ tamen conditione, ne vel publico vel privatorum, etiam aut spiritualium, ærarii deniq́; publici juri quicquam derogent.*

*Lithvanica porrò, si quà à cæteris abeunt, aut extra fines antehac usitatos extenduntur, ne in exemplum posthac trahantur, aut juri communi noxam, solvendævé uniti corporis compagi occasionem afferant.* *(Ele-*

*Electioni Regis sextam Octobris diem, locum propè Varsaviam à Mareschalcis agere subitaneo circumducendum, assignant, id caventes, quod lege anno 1587. latâ cautum sit, ne quisquam peregrinis hominibus, vel machinis bellicis instructus veniat. Cætera ut ad modum & institutum majorum, Anni inprimis 1573. revocentur, & si quæ dubia, vel sequius facta, ea ut sub ipsa Electionis auspicia primis congressibus emendentur componanturvé.*

*Electioni tempus adsignatur.*

*Electionis leges.*

*Cavetur pariter, ne ab euntibus ad Electionem vel jam præsentibus vis aut injuria cuiquam inferatur; illata ut cognoscatur à Judicibus in id primo statim conventûs die delectis ac juratis, inter quos Regni & Mag. Ducat: Lithvaniæ Mareschalli futuri sunt.*

*Thesauro Regni Cracoviæ asservato, tum & Lithvanico, lustratores, viri ex Senatu & Nobilitate primarii designantur.*

*Pacta cum Principibus & Regnis vicinis antiqua renovari, incerta stabiliri, missis in id, sumptu publico, sed modesto, legatis, imperantur, inprimis verò repetundarum à Tartaris cura commendatur illi, qui ad Turcam iturus esset.*

*Militiæ autem præfecti coram Belli arbitris seu Commissariis adigi jubentur in tale sacramentum: Ego N. juratus spondeo, me*

*Militiæ præfectis dantur exercitui leges.*

*exercitui mihi tradito fideliter præfuturum, & operâ illius ad reprimendas hostium invasiones usurum, Regni fines tutos, dignitatem & securitatem Reipubl. pro viribus indemnem inviolatamq; præstiturum: si, quod Deus avertat, Regnum seditio invaserit, nulli parti adhæsurum, damna incolis Russiæ, Poloniæ, Voliniæ &c. nulla illaturum, & ne à militibus inferantur, omni ratione provisurum. Pensiones verò tam ab Ecclesiasticis, quàm aliis personis quibusvis, nullas omnino exacturum, & ne milites exigant, curaturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Crux.*

*Iidem Præfecti militiæ, exercitum Reipubl. in viscera Regni seu totum, seu partitè, sub tempus præcipuè Electionis, & in locum huic destinatum admovere prohibentur: si secus faxint, pro hostibus patriæ declarantur.*

*Consiliarii adduntur præfectis*

*Ut belli res consilio maturiore procedant, præfectis militiæ pro Consiliariis seu Provisoribus, nomine Commissariorum, triginta sex ex primoribus Senatûs & Nunciis terrestribus adduntur: quibus extra ordinem adscriptus est Christophorus Arcissevius, ille, qui annis superioribus, rebus in Brasiliâ gestis apud Batavos florentissimus, in patriâ tum rei tormentariæ curam gerebat. Lithvaniæ Ducibus bellicis quinq; millium exercitum*

*citum conficere, coërcendæ Cosacorum, illi quoq; provinciæ imminentium rebellioni; permissum: sed simul, ut is sub rectæ disciplinæ fræno habeatur, severè injunctum. Ubi exercitu postea opus non fuerit, numerato stipendio dimittendum; aut ad ferendam Poloniæ laboranti opem, suis à Ducibus, & integrâ eorum potestate mansurâ, ducendum. Arcis præterea Smolenscensis cura & reparatio imperatur iis, quorum id muneris sit. Adhæc quia turbatissimæ nunc Reipubl. negotia præsentissimis consiliis & magnis adjutoribus egeant, Archiepiscopo Gnesnensi, cui ut primati suprema autoritas relinquitur, adduntur ex Senatu & Ordine Equestri Consiliarii, viri dignitate, & prudentiâ pollentissimi; quorum curæ committitur, Legatos externos recipere, ad subita necessitatum Reipubl. excubare, reservatâ in gravioribus, ad Electionis conventum, decisione.*

*Lithvanicæ militiæ præfecti.*

*Smolenscum.*

*Corpori etiam defuncti Regis, ut honos suus à memore meritorum Republ. constet, ei adesse & quæ decus Regium postulet, administrare primariæ dignitatis viri, præcipuè ex Aulæ continuis Mareschalci & Cancellarii jubentur.*

*Cadaveris Regii honori cavetur.*

*Quod si hostis potentia adeò ingravesceret, ut præsentes Reipublicæ exercitus ei cohibendæ*

*Expeditio Generalis.*

*bibenda non sufficiant, expeditio publica jam nunc indicitur, quò ad eam omnes parati sint: & ubi Archiepiscopus cum Consiliario Senatu tempus definierit, ut ritu majorum sine divisione belli, loco, qui nominatus fuerit, adsint sine morâ.*

*Descriptio militum tam à Republ. quàm particulatim per Palatinatus autoratorum in castris institui jubetur; simul & Palatinatibus stipendiorum suo militi tempestivè numerandorum cura mandatur, eum verò militem non nisi, cum Comitia Coronationis Reipubl. non necessarium judicaverint, exautorare permittitur.*

*Exercitibus leges praescribuntur.*

*Exercitus ab Electionis conventu procul esse, ubiq; verò ab injuriis abstinere, & bonis Nobilium, Ecclesiasticorum, Regiis praecipuè Oeconomiis, innoxii agere jubentur, praesentissimâ in delinquentes poenâ sancitâ.*

*Thesaurariis interdicitur, tributa Regni sine scitu Archiepiscopi & ejus assessorum, aut aliò, quàm in stipendia militum publicorum erogare.*

*Reginae viduae reditus mensae Regiae destinati, usitati item salinarum & vectigalium proventus relinquuntur, usq; ad exequiarum Regiarum tempus. Omnium tamen ratio à Thesaurariis poscitur, in Comitiis Coronationis reddenda. Salinarum simul Cra-*

*covien sium*

*covienſium ruinis remedia feſtinari juſſa, commiſſo eas luſtrandi negotio, tribus eximiæ dignitatis & virtutis viris: Hieronymo Milonſcio Caſtellano Roſpirenſi, Stephano Coricinſcio Oſviecimenſi Præfecto, Joanni Schlichtingio Judici Wſchovenſi.*

*Palatinis inſuper & præfectis arcium limitanearum, ut intra loca iſta, hoſtium conatibus proximè patentia, maneant, edicitur.*

*Arci Cracovienſi trecentorum militum præſidium, inde toto hoc Interregni tempore non abſtrahendum aſſignatur; ſimul ut pyrii pulveris & aliorum belli apparatuum ſufficiens copia eò inferatur, Chriſtophoro Arciſevio, cujus paulò ante mentio facta eſt, imperatum.*

*Turbarum Coſacicarum compoſitio demandatur Adamo Kiſielo Palatino tum Braclavienſi, poſtea Kiovienſi, cui collegæ adjunguntur Franciſcus Dubravius, Alexander Sielſcius Poſnanienſis tum Dapifer, Theodorus Obuchovicius, viri omnes facundiâ & meritis in Republ. inſignes.* *Coſacicæ turbæ componi jubentur per commiſſarios.*

*Quia incertum habeatur, quantum ex cæſo Reipubl. exercitu, quem Quartanum vulgò vocant, ſuperſit; numerum ſuperſtitum inire jubetur ſcriba Caſtrenſis, adjunctis, qui curam ſocient, quinq; Equitibus.*

*Legiones jussu Archiepiscopi à Tribunis nonnullis, inprimis Christophoro Przyjemscio, claro natalibus, & Germanicâ Gallicâq; militiâ ad patriæ usum apprimè exercito, coactæ approbantur.*

*Urbium quarundam jus ad Electionem.* *Quia urbes nonnullæ jus Regis, juxta cum aliis Regni civibus, eligendi habere gloriantur, iis ad suffragiorum libertatem aditus non ante permittitur, quàm jus illud suum, quod prætendant, liquidum fecerint.*

*Palatinatibus singulis certi dies conventuum, quibus hactenus acta, relictis domi civibus, seu, ut se mutuò appellant, fratribus referenda essent, definiti.*

*Lithvaniæ expeditio generalis.* *Magnus verò Ducatus Lithvaniæ, qui ante, cum de expeditione publicâ ageretur, ampliùs inter suos domi deliberandum censuerat, in tributum ultrò consensit, aliis Palatinatuum quaternas agrarias, aliis ternas binasve promittentibus. Civitatibus bonisq; aliis Regiis & Ecclesiasticis quaternæ agrariæ, totidem Judæis, sed in singula capita, exactiones imperantur.*

*Tributa* *Tributa deniq; omnia, tam ea, quæ in ærarium Reipubl. illata, quàm quæ singulorum Palatinatuum administrationi hucusq; relicta essent, in delectus militares, ad arbitrium militiæ Præfectorum erogari jubentur.*

Hæc

Hæc autem omnia, antequam universo conventui allubescerent, magnis sanè animorum motibus & laterum contentionibus agitata sunt. Inprimis Religionis negotium multas dabat turbas: dissidentium quovis libertati suorum sacrorum, quò justius timere videbatur, eò fulcra solicitiùs quærente. Ac satis quidem omnium securitati superiorum Interregnorum confœderationibus cautum videbatur; adeò etiam, ut Episcopi, & quotquot flagrantiore in Ecclesiam Romano-Catholicam studio agerentur, nimium cæteris indultum putarent. Hi verò factam à decessoribus concordiæ ac pacis contesserationem urgebant; tolliq; exceptiones volebant, quibus obrogari confœderationi illi, & cum injuriâ partium infirmiorum contraveniri querebantur; fidemq; adeò promissam, & legis, quâ pax religionum niteretur, assertionem declarationemq; minus patentem effugiis postulabant. *De libertate Religionis controversiæ.*

Sed magno quoq; æstu, in hoc conventu, provinciarum internuncii in extraneos efferbuerant, quibus præcipua munerum, in Aulâ, multis ab annis, dari indignabantur. Et parum abfuit, quin aliqui istorum exauctorarentur, ægrè à magnis Senatoribus, Episcopis præcipuè, protecti. Nec ante quie- *Extraneos remotos volunt quidam.*

te quievit oppugnantium strepitus, quàm promitteret Archiepiscopus, illos Saltem extraneorum, qui alibi larem fixisſent, à negotiis Regni inposterùm prohibitum iri. Non parum deniq; cum Prusſicis internunciis negotii fuit, idq; duplici nomine. Primum quidem, cum de Sanctionum omnium sub Interregno hoc per provincias factarum approbatione ageretur, nunciorum unus, Ignatius Bonkovius, vir facundiâ & rerum usu spectatus, ob insignes dotes posthàc Palatinus Pomeraniæ creatus, approbationi illi haud ante subscripturum se pertendit, quàm addita foret cautio, juribus Prusſiæ, quæ hæc terra ad Regnum peculiaria attulerit, & adhuc servet, nihil illâ sanctione decesſurum. Et quamvis huic postulato à plurimis intercederetur, evicit is tamen, ut lex ista ad solius Poloniæ provincias restringeretur. Alterum de quo sub finem conventûs cum iisdem Prusſis disceptatum est, portorium Pruthenicum fuit, quod ex mercium exoticarum proventu, partim Regi, partim urbibus, in quibus colligitur, cedere solitum, cum delectibus faciendis ab Archiepiscopo ejusq; collegis destinaretur, negabant internuncii, tempore Interregni, ab urbibus illis in ærarium Reipubl. debere inferri. Cumq; lis illa finiri

*Prusſorũ querela.*

niri aliter non posset, quicquid etiam pro ærario dicerent magnæ autoritatis viri, recipiendum fuit Archiepiscopo, se scriptis literis Elbinganos & Gedanenses moniturum, ut tam necessario Reipubl. tempore, istud exhausto ærario subsidium ne denegarent.

Antequam Varsaviâ in Russiæ extrema, hoc est à finito Convocationis Conventu ad Cosacos redeam, par erat divertere aliquantùm in Lithvaniam, cujus res quanquam haud dubiè suum seorsim, ut meruê, re, scriptorem aut habent, aut habebunt, à Polonicis minimê divellendæ sunt. Ea enim regio, æquis legibus & pari per omnia libertate Poloniæ innexa, magnam Russiæ Polonicæ partem olim sibi bello imperioq; subjectam tenuit. Quæ hodieq; Russia Alba appellatur. Incolas verò Ducatus penè totus earundem cum Russis cæteris consvetudinum, ejusdemq; in sacris ritus habet, Eò facilius nunc quoq; seditionum hæc contages, inter vicinos, & genii morumq; similes, transmissa diffusaq; est. Ac primum ultra Borysthenem, cum Visniovecius Dux prævalidæ seditiosorum multitudini se & quotquot sibi fidos perfidisq; invisos videret, inde subduxisset, pestis illa sine impedimento omnes illas oras

*Lithvania à Cosacicis turbis non libera.*

Lithvaniæ finitimas pervasit, idq; tantò effrænatiùs, cum bina militum signa à Mirscio excubiis Lithvaniæ præfecto, ad occupandum Berezynæ fluvii trajectum missa, subitò furibundæ multitudinis accursu circumventa atq; obtrita essent. Inde sumpto impetu hostis in viscera Lithvaniæ progredi tentabat, haud ignarus, omne istic vulgus, simili religionis œstro agitari. Et magis mox erupturum, ubi ex Ukrainâ propinquarent, qui plebem istic armaverant. Eâ spe, Bichovum, vetus Chodkeviciorum hæredium, situm ad Borysthenis ripam, & præaltis aggeribus munitum decem millia Cosacorum, ductore Orcussâ, promptos sibi oppidanorum animos polliciti, accesserant: sed hi destituêre illorum conatus, seu suopte ingenio fidei supra cæteros retinentes, seu quòd à validissimo præsidio custoditi, promere perfidiam non auderent. Etenim Leo Casimirus Sapieha Lithvaniæ Procancellarius loci illius possessor, ultra mille quingentos præsidiarios istic ære proprio jam dudum alebat. Qui & suggredientes hostiles catervas ita fortiter excepêre; ut majore earum parte cæsâ, quod reliquum esset, ægrè sibi fugâ consuleret. Inprimis verò Janussius Radzivillius tum Campiductor Lithvaniæ periculum Regno universo

*Cosaci ad Bichovum.*

*Defenditur Lithvania.*

verſo imminens oppoſito Lithvanico exercitu amoliri, ſuarum partium esſe duxerat. Kiska enim Palatinus Polocenſis, ſummo belli in Lithvaniâ regimini præfectus, per corporis debilitatem dignitatis tantum nomen gerebat, omni armorum curâ in Radzivillium, ſorore ipſius genitum, Ducem annis animisq; virentem, depoſitâ. Sed hic nec multum è publico æris, nec exercitum, quantum diſcrimina Reipubl. requirerent, dari ſibi querebatur, aliis periculi magnitndinem nondum æſtimantibus ſatis, aliis âlia cauſantibus, & in Duce ipſo requirentibus non parùm. Nihilominus is collecta vetere ſuorum, tum & recens, autoratâ manu ita rem agebat, ut & pronam ubiq; in perfidiæ ſcelus plebem, oſtentato cominꝰ periculo, compeſceret, & hoſtē omnia latè inundaturum refrænaret. Quem etiam tandem auctis in modicam molem copiis, poſt velitationes haud paucas, ad Lojoviam memorabili in omnem poſteritatem prælio debellavit; triginta iſthic millium exercitu partim profligato, partim cæſo, caſtris occupatis, capto ipſo exercitus illius ductore Cryczevio, & mox ex vulneribus mortuo. Sed iſta omnia in tempore memorabimus uberius.

# LIBER III.

Nunc tandem ad Chmelnicium, quem ad Fanum Album (Bialacierkevv vulgò) reliquimus, ſeries temporis reverti jubet. Is interim exercitum ſuum ex illo tractu, in quo literæ Palatini ipſum ſtitêre, non moverat, ſpecioſâ ſatis patientiâ & fide, promiſſorum conatuumq; Kiſielanorum eventum opperiens. Krzyvonosſium ſeparatæ colluviei ductorem, immanemq; tum Ruſſiæ calamitatem, nec juvabat apertè, nec inhibebat. Hic verò ut relatæ nuper ad Conſtantinovum duplicis cladis ignominiam inſigni aliquo facinore elueret, Barum aggreſſus eſt, urbem mole & operibus ſic ſatis firmam. Et in eâ machinas, aliosq; apparatus militares depoſitos ſervari non ignorabat. Coniecpolſcius Regni Vexillifer, ne loco tanti momenti deesſet, legionum ſuarum unam, ductore Bronievio immiſerat. Sed hic ſuſpectam civium fidem habens, converſo aliò itinere, locum Germanis peditibus tuendum tradit, quos in auxilium laborantis Ruſſiæ Carolus Poloniæ Princeps miſerat. Horum pars arcem, Potocio rectore, inſedit, pars

*Chmelnicius ad Fanum-Album patienter hæret.*

*Krzyvonosſius vagatur.*

*Barum occupat.*

dit, pars ad portas civitatis jussa est excubare. Krzyvonossius magno exercitu urbem circumvenit. Dum speculatur, quà faciendus esset assultus, oppidani seu metu, seu pridem meditatâ fraude portas hosti aperiunt. Illicò in excubitores Germanos fit impetus, & ad unum omnes trucidantur. Inde dilapsa per urbem hostilis turba quicquid usquam Germani vel Poloni militis lateret, summa ima ædium perreptando venantur occiduntq;. Non templorum non altarium sanctitas quenquam servare potuit. Neq; mortuis furor barbarus pepercit. Judæorum magnus in eâ urbe numerus antiquitus agit, cui tum ingens advenarum ejusdem sanguinis multitudo accesserat. Cùm mortem alibi effugissent, hîc non effugerunt, miserrimis modis unà cùm hospitibus suis interempti. Periisse ejus gentis quindecim millia capita istic feruntur. Arcem ducentorum peditum manus, ducente Potocio, per quinq; dies fortiter defendit: neq; pauci istic oppugnantium occubuêre. Adeò ut tandem hostes per cadaverum suorum strues niterentur in vallum. Repulsi diu sunt, tandem tamen eâ parte, quâ stagno objecta arx hostem minus metuebat, minusq; munita erat, suggressi, quicquid reperiret præsidiarii militis,

*Præsidiarios cædit.*

militis, quicquid hominum non ſui generis, ferro demesſuêre, uno ſervato Potocio juvene. Barum occupatum animos Krzyvonosſio ad majora tentanda addidit. Et Cameneciam ipſam aggredi auſus eſt: operam ei ſociantibus, qui in illis Moldaviæ finibus, vitam latrocinio tolerant. Sed obſidionis iſtius opus irritum & ſupra vires ſuas expertus, ad Chmelnicium ſeu ſponte ſeu juſſus rediit. Ille, quod hominem collectis ex prædâ opibus prægravem ſentiret, fortè & Polonorum, quibus cum pacis tentamenta aliqua ipſi intercedebant, gratiæ aliquid daturus, comprehendi eum juſſit, & machinis bellicis adſtringi. Sed ubi non exiguam vim auri argentiq; & omnis generis ſpoliorum ab ipſo expresſisſet, facilè deinde adduci ſe pasſus eſt; ut eum deſiderio plebis, turboni illi nimis quàm faventis, redderet. Viſniovecius Dux, apud Zbaraſium, oppidum ſibi gentilitium, aliquandiu moratus, & cum Potocio Palatino Podoliæ, Coniecpolſcio Vexillifero, Calinovio juniore, Czolovanſcio, Dziko aliisq; habito conſilio, ubi Barum expugnatum intellexerat, reverſus eſt ad exercitum, qui circa Camienum Czolhanſciorum dictum, & Lachovecias, Sieniutarum hæredia, tum agebat; paucitatē copiarū, quibus Krzivonosſii

*Krzivonosſius Cameneciam aggreditur.*

*Capitur à Chmelnicio.*

*Sed dimittitur.*

nosfii molimina & grasſationes coërcere non posſet, tum cunctationes lentius venientium auxiliorum, & deniq; compoſitionis tardè procedentis moras ægerrimè ferens. Chmelnitio verò, uti præ aliis ſemper formidatus iſte Dux, ita tum pro pacis remorâ habitus, imò pro turbatore ſermonibus literisq; traductus eſt. Kiſielus autem Palatinus, quanquam patriæ juvandæ ſtudio æſtuans, primùm tamen publicis deliberationibus Varſaviæ, dein itineris longitudine, & deniq; viarum, quibus ad Chmelnicium per medias hoſtium catervas eundum fuerat, difficultate præpeditus, alicubi etiam cum globis oppida pasſim populantibus confligtari coactus; ſuſcepti negotii maturatione, vota nec ſua, multò minus aliorum adæquare poterat. Unde & multorum non ſuſurris tantum, ſed & publicè vocibus minùs ſecundis & literis deniq; Belli Commisſariorum perſtringebatur. Quibus ille, ita ut æquum erat, motus, innocentem ſe multis excuſationibus probabat. Et ut re magis probaret, misſis aliis atq; aliis nunciis Chmelnicium ſubinde urgebat, ut locum & tempus cæptando negotio deſignaret: qui tandem Conſtantinovum nominavit. Quò cum Palatinus cum collegis tenderet, mittebat iterum iterumq; nuncios

*Kiſielus tardè ad Chmelnicium pervenit.*

*Quo nomine carpitur à multis.*

nuncios de adventu ſuo Chmelnicium præmonituros: ſed ii partim diu detenti, partim etiam, dum quidam de exercitu noſtro factâ ad Oſtrogiam excurſione hoſtem offendisſent, interempti, aut certê inclementer habiti ſunt: ut ex epiſtolâ Palatini mox ſubjiciendâ colligere licebit. Alibi quoq; ad Luceoriam nobilitas disjicitur, & oppida plurima effræni agreſtium licentiâ pervaſtantur. Hinc exſtimulatus Palatinus literas facundi doloris plenas ad Chmelnicium ſcribit; in hunc modum: *cum Sanctisſimæ Dei matris, nationis verò Ruthenicæ protectricis adſcenſioni ſit ſacer dies, quo triſtes has & forſan extremas ad te exaro: primò omnium eandem Dei ſacratisſimam genitricem veneror, ut interpoſitis apud Filium ſuum precibus animum tuum mitiorem reddat, & ad hæc, quæ jam aguntur aut ingruunt, rectè introſpicienda advertat. Non filio paternum, non ſervo herile negotium tam flagranti curæ esſe poteſt, atq; mihi fuit id, quod Tibi & Coſacis cum Republ. eſt. Dies noctesq;, ita me DEUS amet, omni animi & corporis contentione incumbo in hanc cauſam, ex quo mihi curam ejus imponi pasſus ſum. Judicia & voculæ ſiniſtræ, quas eo nomine ſubii, nō per Poloniā tantū, ſed extra eam quoq; jam percrebuêre Perluctatus tamen*

*Kiſielus Chmelnicium acri epiſtolâ admonet officii.*

*men omnia fide constantiâq́ʒ, quicquid tū & exercitus Cosacorum à Republ. petere magis, quàm sperare ausi estis, impetratum ferebam, felix orator & jam meriti apud Deum fiduciâ, ob inhibitum sanguinis Christiani diluvium, propè superbiens, cèrtè exultans. Properabam ad vos, diffidentiam omnium, atqʒ etiam vestram reipsâ confutaturus; nihil ipse quoqʒ dubitans, omnia me eo loco, quo reliqueram abiens, reperturum. Sed ô quàm contra accidit! quot oppida, quot arces, quot ditiones Reipubl. devastatas & ignem ferrumq́ʒ expertas; quàm miserè indigneq́ʒ habitam etiam Huisciam meam, & quicquid in eâ pretiosissimarum rerum habebam, ablatum reperi! Hæc scilicet gratia fidei, labori & optimæ voluntati meæ relata erat. Neqʒ sanè mirum cuiquam videri potuisset, si tum missis adversum homines, datæ mihi fidei oblitos, suspiriis, negotium hoc omne excusissem cervicibus meis. Ego tamen injuriis alienis à proposito meo non absterritus, à te usqʒ persuaderi mihi passus sum, omnia illa infanda, te invito & inscio, perpetrata esse, & literis tuis extremis Constantinoviam invitatus, eò cum collegis meis magnâ fiduciâ pergebam. Ac vix diei unius atque alterius iter jam supererat, cum Barum à Vestris invaditur; & paulò post,* *Huiscia expilatur.*

*me propè*

*Barum invaditur.* *me propè adſpectante, Oſtrogia: mox & alibi ſacra profana proculcantur; plebejiq; pariter ac nobiles bonis vitaq; ipsâ exuuntur: viæ deniq;, quibus eundum erat, copiis obviam miſſis, mihi intercluduntur. Vici & tunc animum, pacis ſequeſtrum me cogitans, & injuriâ iſtâ, planè equidem hoſtili, ad colloquium tuum reſervatâ, Tribunos miſſis nunciis monui, darent viam non arma ſed pacem ferenti, & euntem comitarentur præirentve. Conſenſêre illi hâc conditione, ut* *Obſides violantur.* *denos mutuò obſides daremus; ego nobiles, illi ſuccenturiones. Fidem habui amicitiam præferentibus, decemq; nobiles viros ex pacto miſi, nihil ſiniſtri ſcilicet metuentes. At ô quàm iterum ſpes me fefellit! quàm inaudito, quàm inexpectato facinore conatus noſtri interverſi ſunt! ſeptem ex obſidibus illis trucidârunt, tres triſti terrore detinent, ſimili fortè crudelitate mactandos, niſi jam mactati ſunt. Si milites Viſnioveciani excurſione factâ Oſtrogiam tentârunt, id non luere iſti, non ego debui, expers, Deum teſtor, atq; inſcius planè ejus conſilii. Cujus ſi fuiſſem particeps, an quæſo tot nobiles viros, cives & fratres meos, ultionis veſtræ libidini, præſentiſſimoq; adeò periculo objeciſſem! Quid ſupereſt jam, quod diffidentiam & reſumptæ inter nos hoſtilitatis curſum refrænare*

nare

*nare possit? Ipse rem considera; etiam atq; etiam cogitans, esse in cœlis Deum, qui & possit facilè vel validissimos exercitus obterere, & vindictam fidei ac sangvinis, præter fas effusi, non soleat tramittere. Altaria tam Græcis quàm Latinis ceremoniis consecrata, sexus imbellis, & ætas innocens crudeliter habita, omnesq; illæ injuriæ, quas Christiani Christianis, civibus hujus Reipubl. Heris suis subditi, gravissimas, & à Turcis Tartarisq; vix expectandas intulêre, divinam Nemesin invocant. Ego igitur, acerbis lacrymis inanes labores meos prosecutus, ex viâ ad vos susceptâ, sed nunciorum meorum cadaveribus jam obseptâ, revertor ad exercitum Reipubl., cui propior factus, cum Collegis copiisq; meis extra castra subsistam, ultimos à vobis nuncios præstolaturus. Tu fac, cœlo atq; orbi innotescat, sine scitu tuo factum, quicquid à perfidis istis perpetratum est. Pient illi noxio cruore tot hominum innoxiorum sanguinem, & tot domuum, pagorum, oppidorum, templorum deniq; immani sacrilegio expilatorum ruinas. Ipse autem in faciem tuam coram Majestate, omnia nostra, etiam cogitata, pervidente, supplex procumbe, & veniam commissorum roga. Quid patria in te commisit, mater, nutricia & alumna tua? quid Dei, cui vitam & omnia* Belli mala.

*debes, fana & altaria commeruêre? quid nos, tibi & exercitui Zaporobiano, nullis injuriis, aliqui verò multis benevolentiæ pignoribus cogniti? Nemo usquam vivit mortalium, qui non conscientiæ tangatur sensu, qui ad Deum creatorem suum non suspiret. Te Christianis sacris imbutum quî non moveant vulnerentq; intimè ea, quæ facta sunt, quæq; fiunt: quî futura etiam non habeant sollicitum? reputantem scilicet, quò iste tantæ multitudinis, & nil nisi sanguinem spirans concursus, quò tanti tumultus evasuri sint? Deus Opt. Max. & sanctissima Virgo, cui hunc diem Ecclesia esse sacrum voluit, meliorem tibi mentem dent; adeoq; te emolliant, ut emendandis, atq; in melius flectendis rebus animum intendas. Sex en dies præfinio tibi: quibus sententiam suam ultimamq; destinationem, non procul ab exercitu nostro, cum Collegis meis opperiar. Tu ne ampliùs expectationem nostram morare, sed effice, ut propensa in melius voluntas tua, stricto in perfidos istos ultore gladio, nobis & Reipubl. clarè pateat. Sin obduruit mens, sciat age saltem hæc à subditis suis adeò præter meritum afflicta Mater, num merè fatorum arbitrio rem committere, vindicemq; Dei manum expectare debeat. Quod abominatus ego semper, & usq; abominans,*

*Deum*

*Deum oro, ut ſacram hanc noxam, & quâ nullam deteriorem peſtem ſcimus, bellum domeſticum, à nobis averruncet.* Penetravit Chmelnicii animum epiſtola, à viro magnæ autoritatis profecta, & ad eam, remiſſo, quem inter alios Palatinus allegaverat, Copiſtinio, ſic ſatis reverenter reſpondit: *Illa quæ ad Oſtrogiam contigiſſent, non ſibi, ſed Polonis* (Viſniovecianos autem expertê nominabat) *potius imputanda. Quibus frænum injici optat, ſe viciſſim quicquid ſuorum militum Oſtrogiam inſediſſet, revecaturum ad caſtra, atq; in id Semenum Tribunum Caniovienſem jam miſiſſe. Deniq; ut pateat inducias & pacis tractatus continuare ſe paratum, conciliatores Conſtantinovum denuò invitat, eò ſe quoq; voluntatis ſuæ & Coſacorum internuncios miſſurum.* Scriptæ hæ literæ erant 28. Auguſti. Quibus acceptis ſine morâ Palatinus, cum Collegis, verſus locum deſtinatum tendunt, præmiſſo, qui indicium faceret propinquantium, Glembovio. At interim neſcio quo infauſto ſidere invaditur denuò à Polonis excurſoribus Oſtrogia, nullo bono profectu (nec enim urbem obtinuêre,) potius verò immenſo Reipubl. malo. Nam ad hunc ſanè ſcopulum illiſum pacis tractandæ univerſum negotium in nihilum cecidit. Chmelnicius

*Chmelnicius reſpondet Kiſielo.*

*Oſtrogia invaditur à Polonis.*

enim his irritatus, Glembovium, & quos deinceps nuncios misit Palatinus, machinis castrensibus alligatos retinuit, sacerdotem etiam Ruthenum ultimò missum non remisit, ad bellum nempe se jam parans, cui instaurando prægrandem habebat exercitum, & Tartaros ad omnia paratos advocare constituerat. Polonicæ copiæ, quæ hactenus ad Lachovecias, Camienum, Jampolum, Zalofcias, se utcunq, continuerant, belli quidem ab inani compositionis conatu suspensi moras, nec non habenas Ducum, inconsultos exercitûs impetus cohibentium, parum æquis animis tolerare visæ, expectabant tamen reliquum ex Poloniâ militem. Qui ex singulis Palatinatibus collectus magnâ splendoris ostentatione, sed sparsim & lento admodum gradu, insuper verò itinera sua ubiq; rapinis signans, coibat. Neq; ad eadem castra, cum omnibus imperatum esset, Glinianos uti tenderent, confluebant omnes, conjunctionem morante æmulatione, & discordiâ Ducum; dubitantibusq; adeò multis, cui illorum sese adjungerent. Quidam etiam sine dubitatione, posthabitis, qui Varsaviæ constituti erant, militiæ Rectoribus, rectà ad Visniovecium ibant. In quem inde tantò major cæterorum invidia & indignatio concitata

*Exercitus Polonicus tractatuum moras agrè fert.*

*Æmulatio inter Duces.*

concitata eſt. Ut Commisſariis ſeu mavis Conſiliariis belli, quorum plures in Convocationis Comitiis, Ducibus adjunctos diximus, primo omnium laborandum fuerit in ſopiendis inimicitiis, quæ inter Dominicum & Viſniovecium Duces; illum tum ſummum belli moderatorem creatum, hunc multis militiæ decoribus, etiam recentibus, inſignem Reipubl. propugnatorem, dudum gliſcebant. Etenim rem fortunamq; Polonorum omnem turbaturæ illæ videbanrur. Et primus quidem conciliationis conatus à nonnullis magnæ etiam autoritatis viris ſuſceptus, prorſus fuit inanis. Alter demum labor Stanislai Witovvſcii Caſtellani Sendomirienſis, rem confecit; cui Sigiſmundus Dönhofius Præfectus Sokalenſis gnavus hîc adjutor exſtitit. Ubi autem effectum tandem erat, ut hæc primaria Reipublicæ capita privatas ſimultates publicis utilitatibus remitterent: primus Viſniovecius vicit animum, ut caſtra altera ingrederetur; cui ad æquum viæ ſpacium Dominicus cum Nicolao Oſtrorogio, Regni Pocillatore, altero belli hujus moderatore, proceſſit. Ita poſt mutuos amplexus, ad conſultandum primum de re communi, deinde ad epulas, raptim, & velut ſtringendo tantùm arctius amicitiæ nodo, verſi ſunt. Fa-

*Diſcordia componitur.*

*Duces amicè tandem conveniunt.*

ctâ sic animorum armorumq; conjunctione, speculatores emisit, qui quid hostis agitaret, explorarent. Is verò interim, cum exercitum Polonorū à Glinanensibus campis in Podoliam progressum; magis magisq; grandescere intelligeret, satagebat rerum suarum, nec contentus multitudinem illam ingentem ad bellum componere, Chanum quoq; Tartaricum, nunciato periculo, quod sibi & Tartaris à Poloniâ, in bellum jam totâ effusâ, instaret, denuò ad se invitat. Qui fœderis-conscientiâ, sed multo magis amore prædæ, tum verò insuper literis à PortâOttomannicâ allatis, quibus ad continuationem belli Polonici excitabatur, stimulatus, indictâ in singula capita expeditione, omnibus potentiæ suæ viribus premere Poloniam minabatur. Sed antequam ille adveniret, aut suppetias etiam mitteret Chmelnicio, Poloni Tartarorum adventum animo præcipientes, propius accessêre ad Kisieli Palatini copias, quæ duûm millium circiter, in viciniâ hostis, pacifica ab hoc responsa exspectantes stabant. Factâq; conjunctione, quantumvis inter languida aut minus audita diversorum imperia, discordia & confusio glisceret, res tamen identidem non infeliciter adhuc gerebatur. Ac ad primam venientium

*Chmelnicius Chanum evocat.*

*Poloni propiùs admovent copias ad Chmelnicium.*

tium famam Constantinovū 19. Septembr. receptum est, Ostaphone tribuno rebellium, istic vim venientium expectare non auso. Inde ad ipsas Pilavecias (arx est nobilis viri Czermienscii, ab amne præterfluente ita dicta) ubi Chmelnicius cum centum circiter millibus armatorum stabulabatur, processit exercitus: non æquo sanè omnium consensu, & ut res posteà docuit, magno cunctorum malo. Multis, atq; inter eos Visniovecio utilius visum erat, ad Constantinovum morari, dum novus iste exercitus rectius componeretur, militiæq; meliùs adsuesceret. Sed Ducibus plerisq; adventum Tartarorum, qui in procinctu esse dicebantur, prævertere svadentibus, properatum deventumq; est in loca confragosa, multisq; collibus & stagnis intersecta; adeò ut castra istic solito aggerum circumductu ritè muniri non possent. Interim verò hostem, etsi numero validiorem, & utriusq; ad illas paludes, ripæ potentem, audax hæc Polonici exercitus acceleratio non parum consternavit. Eumq; suo, pariter tum malè adhuc coalito robori fidere non ausum, de retrocessu jam cogitâsse ferunt, quò posteà integras suas vires auxiliis Tartaricis adjungere posset. Etiam hoc accepi, plurimos è gregariâ agrestium multitudine de-

*Constantinovum deditur Polonis.*

*Pilaucos progreditur malo consilio.*

*Hostis trepidat.*

ditionem sui agitare cæpisse; metu scilicet Dominorũ appropinquantium percellente animos serviles. Nutantes ita, magis mox etiam belli præludia, Polonis quàm Cosacis feliciora turbaverè. Agger, sed angustus, & solo humili atq; uliginoso ad gradum pene instabilis, interjectu suo prohibebat, ne rectà iri posset in Chmelnicium. Et hic suâ ex parte aggeris aditum binis propugnaculis infestum Polonis reddiderat. Illinc proturbare hostem, ardui operis, sed egregium ad famam & ominosum ad cætera fore videbatur. Itaq; alæ aliquot, Carolo Corecio Duce & Samuele Lasczio præeuntibus, stagni caput circumgressiæ, aliæ, quàcunq; capax vestigii vadum erat, properato transitu, in exercitum hostilem irrupêre. Cumq; non cogitantibus supervenissent, antequam arma consternati hostes arripere possent, orta ibi confusio est. Et mox ubi plures nostrorum, quà data via, accurrissent, munitiones hosti ademptæ, custodiaq; earum dein Prætorianæ cohorti, quæ strenuam hîc operam navaverat, commissa fuit. Sed non diu ea nostris seu fortuna seu alacritas mansit. Postero enim die nullâ certâ ex causâ, alia longè facies, alius animorum habitus, quâm qui hesternam victoriam deceret, in castris fuit. Sparsus ne-

*Munitiones duæ occupantur à Polonis.*

us nescio quo autore rumor erat, Chmelnicium, hesternis belli præludiis irritatum, cunctis viribus in Polonos ire velle. Inde toto die in armis stetit miles, Cosacos, & cum iis prælium assiduè prospectans. Datum tum documentum est, *majoribus solere animis invadi, quàm expectari hostem: & milites, qui impetu valuissent, morâ interdum flaccescere.* Hîc interea etiam voces, debile aut dissonum exercitûs regimen incusantium, crebescebant. Et quidam omnia pessima sibi & universis augurabantur. Neq; deerant, qui malè rem cedere optarent, ut major inde Ducibus, in quos obliqui erant, infamia nasceretur. Adeò non *veretur invidia publico etiam damno iras privatas satiare.* Sed hîc jam insuper nebula accesserat, quæ ut diem, ita pectora quodammodò fuscabat. Alter alterum vix nisi de proximo cernere & agnoscere poterat. Noctem esse crederes, immissam, ut pavorem, tenebras comitari solitum, vel afferret vel portenderet. Atq; uti fieri solet, cum oculorum usus eripitur, ad quemlibet motum vel sonum arrigebantur corda, & ne quà à latere, beneficio tenebrarum, sibi hostis, talibus furtis assuetus arreperet, metus erat. Sed ille eo die pariter suos in castris continuit, impetum exspectans potiùs,

*In exercitu Polono mutatio animorū.*

quam inferre cogitans. Pauci aliqui excursores utrinq; commeabant, speculaturi, num quæ pugnæ prætentamenta apparerent. Sub vesperam repentinus, in castris hostilibus, tubarum tympanorumq; clangor, mox & tormentorum fragor exsonuit. Qui auditus incertiores animi Polonos faciebat, quia, quid is sibi vellet, ignorabatur. Plerisq; tamen creditum, advenisse Tartaros, illosq; his lætitiæ signis à Chmelnicio excipi. Exploratores, seu segnitie sua, seu vitio agrestium, hosti quàm Polonis amiciorũ, nihil quod dubitationes solveret, afferebant. Eò magis jam nonnulli numerum pugnacitatemq;, Scytharum in majus secum augere: & quâdam specie prudentiæ in sequiora omnia labi animo & sermone. Dubitare inprimis, an tàm ingenti hostium multitudini par esse possit exercitus. Sed ii tamen aliorum adhuc præsentiore animo, fiduciâq; meliore coerciti, non audebant nimis apertè, vel pertinaciter tueri metus suos. Duces interim edici jubent militi, ne abeat stationibus, majorq; adeò, pars exercitûs in excubiis tum mansit. At hostem, quid in castris Polonicis ageretur, non latebat. Et quia Tartarorum inani umbrâ consilia animiq; multorum adeò turbati erant, augendam
fraude

fraude formidinem ratus, die postero, qui erat 28. Septembr. suos educit, præmissis quatuór millibus Tartarorum, quos dudum jam secum habuerat. Adjuncti eis non pauci agrestium, ita vestiti armatiq;, ut Tartari esse crederentur. Hi confertis agminibus & solitâ Tartaris vociferatione (Alla alla) ingeminantes, in ereptas hesterno die munitiones impetum faciunt. Quas Palatini Sendomiriensis, summi tum militiæ Ducis, prætoriani pedites, ductore Suchodolscio, insederant: Excubantibus simul circa aggeris exitum turmis equestritus, Sendomiriensis præcipuè Palatinatûs, Volinensis præterea, & Brestensis. In omnes istos, quia proximi erant, vehementissimo impetu vis hostilis primò incubuit. Neq; suppetiæ iis maturè mitti poterant, ob viæ, quâ eundum illuc erat, uliginosam angustiam. Sed nec, cum poterant, culpâ mali regiminis, missæ sunt. Interim pedites illi multitudine oppressi pereunt, & eques numero impar, tum in loco tàm iniquo, armis suis, hastis præcipuè, uti impotens, multùm similiter laborabat. Multi ante aggerem cadebant, non pauci & in ipso aggere, partim ab hoste urgente, partim mutuâ, atq; horum quoq;, qui in auxilium veniebant, trusione obterebantur;

*Terrorem dolo auget hostis.*

*Laborat exercitus.*

aliqui

aliqui in ipſo amne Pilavvkâ, vicinâq; ei ulvâ peribant. Ipſe Sendomirienſium Caſtellanus & tum ductor Stanislaus Witovvski, cum equus, cui inſidebat, ex vulnere procumberet, vix demum alio à famulis ſuppeditato, ſummo diſcrimini ereptus eſt. Etiam Chriſtophorum Balduinum Oſſolinſcium Præfectum Stobnicenſem in uliginoſâ ripâ hærentem, ægrè ſervavit gregarius miles, nihil moratus periculum, dum Herum in cœno illo ſidentem, & jam proterentium calces experientem ſublevat, atq; à loricâ, ſalutis ante tegumento, nunc remòrâ, diſciſſis cultro vinculis, expedit. Labente in veſperam die, Proceres raptim ſub dio, & quidam, ut ex pugnâ adhuc calebant, de ſummâ rerum conſultabant, ac aliis alia afferentibus, potioribus tamen placuit, quia jam meliore ex loco & viribus longè majoribus hoſtis pugnaret, adverſum diſſonos & ſuâ quaſi mole ruituros, ut ſub ſtructæ carraginis tegumento Conſtantinovum rediret exercitus. Atq; eâ mente ſinguli ad ſuum militem redibant, cæperantq; jam currus in carraginem connecti. Sed paulò poſt nonnullis, neſcio quâ fatali cæcitate aut deſperatione correptis, nimis lentus eſſe ille protegendæ privatæ & publicæ incolumitatis viſus eſt modus. Quare ſeorſim denuò

*Caſtellanus Sendomirienſis periclitatur & B. Oſſolinſcius.*

*De retrocesſu conſultatio.*

denuò capita conferentes, & quò etiam ſu- *Conſiliū ſubitum de fugâ.*
os fallerent, murmure ſecreto ſuum & ſimul Reipubl. quæ in iſto civium flore periclitaretur, diſcrimen ſibi mutuò oſtentant. Mox & licentiam invicem dant ſumuntq; quà quisq; poſſet, ſibi conſulendi. Vellem hæc quæ memoro, & continuò hinc memoranda habeo, potiùs ſilentio tranſire poſſe, quàm in lucem protrahendo mihi & Operi huic invidiam conſciſcere. Sed agendum eſt liberè, fidem veritatis profeſſo, & fruſtra ſiluero, quæ in ore famæ poſita ſunt, ac forſan alicubi in majus corrumpuntur. Cur verò etiam diſſimulemus dedecora, quorum nulla expers natio fuit, quando juſtum Caput non habuit. *Ut corpora vel maxima labaſcere ac diſſilire neceſſe eſt, quæ vel nulla vel diſcors anima gubernat, ita exercitus, cui aut Rector, aut ex ipsâ multitudine regentium, regimen deeſt.* Hîc utiq; novus pauciſſimisq; veteranorum fultus exercitus & auſpiciis & ductu caruit, cum nec Regem haberet Regnum, & legitimi Duces Scythicis Tauricæ vinculis attineretur. Qui ſubſtituti interim erant, non audiebantur. Carrago itaq; ut rem dolendam, poſtquam cæpta eſt, pertexam, omitti illico, & quà connexa jam erat, diſſolvi cæpit. Primi omnium, qui neſcio an ſubito, *Subito tumultu exercitus dilabitur.*

bito, & in hâc arenâ nato, occulto certè consilio in fugam inter se consenserant, sese proripiunt. Inde mox terror in proximos quosq;, hinc in reliquos, porroq; ita in totum diffunditur exercitum. Alii, quæ ista consternatio sit, inquirere, alii nihil quærentes, sequi tantum cæteros: omnes fere, & in iis strenuissimi quiq;, veræ rei ignorantiâ, falsa omnia fingere sibi, ipsâ etiam inprimis nocte omnia incertiora reddente. Ita ruitur undiquaq; è castris, & non secus atq; victor hostis tergo instaret, properatur, non curribus tantum omnibus, quorum ingens numerus, sed & pretiosissimis quibusq; rebus derelictui habitis. Fuêre quidam ex veteribus militiæ, qui voce manuq; obsisterent, gloriam majorum, fugæ dedecus, sed inprimis etiam, placitum carraginis consiliũ objicientes. Sed nemo rectè monentiũ audiebatur. Dilapsis ita partim suâ, partim alienâ trepidatione omnibus, soli supererant, qui aut longius à castris per excubias dispositi steterant, aut è statione pugnâve eo die reversi, quieti se dederant, inscii omnium, quæ cæteri agerent, sed tandem strepitu ipso admoniti, cum discèssu reliquorum desolatos se intellexissent, triste exemplum, abominantes, & necessitate coacti excusatiq;, sequebantur

tur. Visniovecio Duci jam à paucis aliquot deferebatur belli regimen; sed is, quod rc integrâ sibi negatum esset, conclamatâ, recipere abnuebat. Alicubi tamen restitans, inclamabat fugientes, ut sisterent gradum: esse adhuc, qui manentibus præesse possit. Sed nemini vacabat jam auscultare aut sequi Ducem. Quidam peditum cum ex stationibus reduces, deserta castra, & relictam in curribus tantam rerum pretiosarum copiam deprehendissent, vestigiis cæterorum, quantum possent, sibi quoq; insistendum rati, manus tamen à prostante prædâ non abstinuêre. Rem optabilem fecissent, si igne tot illis curribus subjecto, hosti tantas opes præripuissent. Sed id vel insperatâ rerum facie atttonitis, non venit in mentem, vel festinantibus arduum factu visum est. Atq; ita non tantum ille adeò splendidus & tot millium exercitus, novâ insolitâq;, sed haud dubiè, ad excutiendum veternum, cœlitùs permissâ formidine paucas intra horas, dilapsus est: sed & simul tormenta, suppellectilis aureæ, argenteæ, sericeæ curruum, equorum, omnis deniq; generis impedimentorum incredibilis vis, hominum etiam, qui seu equis destituti, seu morbis vulneribusq; invalidi sequi alios non potuerant, haud exilis turba in manus hostis de-

*Visniovecio frustra regimen jam defertur.*

*Castra expilantur.*

*Multæ opes hosti relinquuntur.*

ſtis devenit. Qui fortunam ipſe ſuam diu neſciens, aut cum de vacuis Polonorum caſtris nuncii afferrentur, dolũ ſuſpectans, diu ſuos ab invaſione caſtrorum, & à divite illâ prædâ continuit. Hâc dein potitus, quàntùm animos ac criſtas erexerit, facilè cuivis eſt conjicere. Quippe vehementer ſe formidatum videbat exercitui, qui tantas opes hoſti relinquere non dubitasſet. Sed & ſe ſuosq; milites, adeò præter opinionem & laborem, velut fato ipſo ducente, ditatos, haud dubiè, ad majora vocari credebat. Nihil certe tam improbum fingi queat, quod ſperare ille non auſus ſit, tam inexſpectata asſecutus. Et patebat equidem ejus libidini omnis propè Polonia, protectore exercitu, in diverſa prolapſo, & terrorem inſuper undiquaq; per provincias circumgeſtante. Multi Procerum Leopolin tacito pudore prætervecti, alii urbem ingresſi, de retrahendo exercitu, eluendâq; maculâ, conſilium inire cæpêre. Viſniovecius, quicquid illàc militum iret, hortatu, prenſatione, precibus, nummis deniq; ab oppidanis in fidem Reipubl. & ſuam acceptis, retinet. Pocillator etiam Regni Oſtrogius, misſis raptim Varſaviam ad Archiepiſcopum literis, rem omnem exponit, conſilia ſua, inprimis de carragine, non audita

*Hoſtis inde erigit animum.*

*Leopoli proceres quidam deliberant.*

memo-

memorans: ſimul tamen in rem præſentem ſuadens, *ut edictis publicis miles, tam qui diſperſus jam vagaretur, quàm qui lentius progresſus, ad Pilavecias nondum accesſisſet, ad ipſum apud Leopolin properè coire juberetur: peregrinus præterea miles, inprimis pedeſter & exercitatus, undiq; legeretur: deniq; ut publica ediceretur expeditio; addito poſtremùm, videri ſibi melius mori, quàm Patriam ita pereuntem ſpectare.* Bonum ſine dubio conſilium erat, ſed eâ celeritate, quâ opus erat, in tàm præcipiti Reipubl. diſcrimine, ad effectum deduci non potuit. Hoſtis præmisſis Tartarorum aliorumq; velitum alis, & qui quovis Tartaro velocior eſt, terrore omnia optimè cogitata disjecit. Vix usquàm juſta aliqua manus militum reſtitabat, niſi poſtquam eò pervenerat, quò hoſtem tam citò ſequi non posſe putaret. Oppida etiam pleraq;, arces deniq;, quæ in Rusſiâ ſat frequentes, certàtim deſerebantur. Ipſum Zbaraſium, vetus & ſat benè munitum illius tractûs propugnaculum, tum quidem quinquaginta machinis bellicis aliisq; apparatibus inſtructum, ſed præſidiario milite vacuum reperit Chmelnicius, cum dimisſis per diverſa Nieczajo, Niebaba, Tyſsâ, Glovacio aliisq; ductoribus, huc primnm cum grandiore

*Pocillator Archiepiſcopo diſcopo lapſum exercitû nunciat.*

*Oppida patent hoſti.*

*Dubna exercitu se convertit.* Alibi Dubna, Domi-*nõ item.* nici Ostrogiæ & Zaslaviæ Ducis arx, à præsidio suo, ductu imprimis Radlovii, qui ex dispersione illâ publicâ huc se receperat, protecta, impetum hostilem exclusit. Sed majore vi Brodana arx oppugnata est. Con-*Nec Arx Brodana.* dita illa annis superioribus à Stanislao Coniecpolscio, Castellano Cracoviensi, eodemq; exercituum Duce, & egregiis posteà operibus munita; Cosacis verò nunc præ aliis locis invisa erat, ob possessorem ejus Alexandrum, magni illius Ducis filium, Regni vexilliferum, quem Chmelnicius inter præcipuos persequebatur. Adsitum arci oppidum non exiguæ molis. Quippe cui ex-*Oppidũ Brodi, desertũ occupavit hostis.* ornando ditandoq; multam curam defunctus exercituum Dux adhibuerat, vocatis illuc Gedano & ex ipsâ Bataviâ opificibus variis, præsertim talibus, qui conficiendis rarioris artificii texturis sericeis oppidi famam augere idonei essent. Ac cæperat *Opifices oppidi Brodani & commercia.* idem Dux cum Batavis quibusdam modum agitare, quo sericum aliæq; Persicæ merces ex Oriente in Poloniam terrâ portarentur: ut ita, non sine Ducis, Regniq; totius commodo, compendium fieret itineris, quod hactenus per tot marium discrimina, magnis sumptuum mensiumq; multorum impendiis, faciendum esset. Sed oppidum hoc quia

quia latiùs diffusum, minusq; adhuc munitum erat, quàm ut contra vim magnam defendi posset, desertum nunc fuit ab incolis. Horum quippe major pars cum uxoribus liberisq; in Arcem se receperat: alii aliò erant dilapsi. In Arce centum pedites à loci hærede fuerant relicti. Quibus totidem ferè de legione Ossinscianâ, post triste illud Pilauciarum Poloniæ vulnus accesserant. Ex viciniâ triginta circiter nobiles, ex oppidi civibus ducenti plus minus aderant, qui arma tractare possent. Nec tormenta varii generis, aliiq; apparatûs bellici deerant. Cura Arcis tutandæ Paulo Gavlovio & Alexandro Casperscio demandata erat. Hostis paulò post Calendas Octobris ad oppidum accessit: quod cùm vacuum reperisset, domos & templa prædator aliquandiu miles percursavit, sed idem non multò post ad Arcē se admovere cæpit. Cū propugnatores strenuè inde jacularentur, Chmelnicius animos obsessorum tentaturus, fortè etiam, ut Auxiliatori suo Scythæ gratificaretur, literis ad Præfectos missis, Tartaros, qui istic in vinculis, multis adhinc annis, detinerentur, liberos dimitti petiit. Eâ re impetratâ, oppido Arciq; vim se nullam spondebat illaturum. Erant octoginta numero Tartari, quos belli Dux Co-

*Præsidiarii Arcis Brodanæ.*

*Tartari dimittuntur ex Arce Brodanâ.*

niecpolſcius, diverſis temporibus captos compedibusq; oneratos ad opus, in Arce novâ & multas manûs adhuc requirentẽ, faciundum damnaverat. Sed eos, tanquam fesſos & emeritos dudum dimittere ſtatuerat Regni Vexillifer filius. Tanto itaq; pronius Chmelnicii precibus eosdem dare jam placuit, cum præſertim ita oppidum redimi posſe ſperaretur. Igitur per murum dimisſi ſunt illi Tartari. Poſthæc movit caſtra Chmelnicius Leopolin, ulteriùs dein in Poloniæ viſcera progresſurus. Pars tamen exercitûs (viginti ampliùs millia hominum) contra fidem datam, obſidionis operi continuando, ſub Danielis Nieczaji & Stempi, Tribunorum Coſacicorum, regimine relicta. Qui ut Arce potirentur, nihil reliquêre intentatum. Ac primùm quia viginti tormenta habebant, ea ædibus oppidi lapideis impoſita ſunt, quo certior tanquam de ſuggeſtu in Arcem jactus esſet. Uti ſanè non parum inde noxæ datum eſt obſesſis. Domos præterea ligneas demoliti, binas inde velut turres fabricabant, quæ magno longoq; labore in eam deniq; altitudinem ſurrexêre, ut Arcis mœnia æquarent. Sed & fosſas iisdem domuum fragminibus implere cœperant, atq; ſic ad ipſos Arcis muros munire ſibi viam. Videntes periculum

*Brodana arx oppugnatur variè.*

periculum Præfecti, captato tempore, quo decidens pluvia, etsi levior, Cosacos securiores reddiderat, peditem ex Arce demittunt, qui pilam pyrio pulvere artificiosè effertam, struici ligneæ injecit. Quæ paulò post accensa ignem latè sparsit, & hostile illud duarum hebdomadum opus eo die in cineres deposuit. Nam etsi Cosaci flammam magno concursu niterentur extinguere, frustra tamen erant, & eorum non pauci ex arce figebantur globis. Eodem igne correptum est stabulum, quod præmagnificum defunctus Coniecpolscius Arci olim subjecerat. Nunc verò id obsessoribus tegumentum dabat adversus obsessos. Octo post diebus altera quoq; strues, eaq; penè major, incensa est, submissis in eam rem ex Arce triginta peditibus, quorum etiam tres in ipso hoc conatu periêre. Irritati inde Cosaci vindictam explere statuerunt ignibus oppido injectis, cui hucusq; pepercerant. Atq; ut tanto plus damni inferrent obsessis, placuit ventum expectare, qui ex oppido in Arcem non fumum modò, sed & flammam sparsurus videretur: quia in Arce quoq; ædes aliquas ligneas, igniq; adeò concipiendo aptas esse noverant. Ubi commodus ipsis ventus adspirare visus est, missi agminatim Cosaci diversis

*Opera obsidentium exuruntur.*

*Oppidũ Brodi incenditur.*

partibus ſuccendere oppidum cæperunt. Sed cum extrema ejus citiùs corriperentur, alii qui in foro rem eandem tardius aggresſi erant, ignibus ſubitò circumdati ægrè efſugêre exitium. Alibi etiam combuſti ſunt. Cùm univerſum jam oppidum flagraret, pro Aquilone Auſter flare cæpit, qui incendii vaporem & periculum ab Arce avertit. Fruſtrati ita toties Coſaci, jamq; etiam oppidi latebris deſtituti, vi omninò Arcem adoriri ac tranſcendere decreverunt. Ac proinde continuis aliquot noctibus connisi ſunt muris ſcalas apponere: quas in id præaltas paraverant, ſylvis proximis ſat uberem ad talia materiem præbentibus. Verùm obſesſi tum machinis ſuis omnibus, quas plerasq; non globis majorib9, ſed granis plumbeis implebant, ut latius vulnera & mortem ſpargerent, tum ſaxis lateribusq; undiquaq; viritim propulſabant ſubire auſos. Horumq; adeò magnus ſubinde numerus peribat. Tandem, ubi vim omnem eludi viderent, ad dolos converſi ſunt hoſtes. Collecto omni exercitu diſcesſum ſimulant, caſtrisq; motis verſus Bereſteciam tendere incipiunt. Sed iidem, ubi ad primum lapidem ventum erat, conſiſtunt, ac deinceps mediâ nocte redeunt tacitè, quinquaginta amplius ſcalas ſecum vehentes.

*Coſaci in muros Brodanos nituntur.*

*Sed inani conatu.*

Has

Has ſubitò ſuggreſſi, admovent muris, omni ope Arcem ingredi laborantes. Sed extremis quoq; viribus obniſi ſunt præſidiarii, præter machinarum jacula, quicquid ad manum eſſet, quod nocere hoſti poſſet, ingerentes. Cæterùm cum ad hunc modum per octo amplius hebdomadas cum hoſte, non nunquam & cum ſuis quibusdam, ad hoſtem metu tandem inclinantibus, certâſſent obſeſſi, mitigatus interim, ut in progreſſu hiſtoriæ dicimus, Chmelnicius & relicto Zamoſcio in Ukrainam tendens, hunc Brodanæ quoq; Arcis obſeſſorem exercitum ſecum reduxit. Atq; ita Arx, quod paucisſimis tum locis contigit, evaſit, non ſine magnâ conſtantiæ laude, periculum. Eademq; cum oppidum ſervare non poſſet, oppidi tamen cives pleroſq;, & multos ex viciniâ ſervavit: quanquam etiam ex ætate & ſexu imbelli ingens ibidem multitudo fame & morbis interiit. Verùm mihi ad Leopolim, principem Ruſſiæ meridionalis Urbem, &, ut ſequentium annorum hiſtoria docebit, immotâ inter tot obſidia, fidei conſtantiâ præclarè de & Regepubl. meritam, reflectendus jam ſtylus eſt. Hanc Proceres quidam poſt cladem Pilaucianam, ut dixi, huc digreſſi, omnibus modis tuendam ſtatuerant. Sed ex dilapſo per diverſa exer-

*Arx Brodana liberatur obſidione.*

*Leopolin defendere statuunt Proceres.*

situ nullos aut paucos huc milites tulerat impetus. Longè verò paucisſimis ſiſtere hîc impetum libuit. Inſtabat porrò novi Regis electioni deſtinatũ tempus. Quem conventum ſine his, quæ Leopoli jam esſent, Regni Capitib9 haberi nefas, nec è Republ. videbatur. Itaq; conſilio raptim hîc inſtituto, ſummum quidem belli regimen Visnovecio Duci demandatur. Sed ſimul mox pleriq;, obſidii hîc diſcrimen opperiri nolentes, Zamoſcium primò, inde Varſaviam, locum ſcilicet Electioni dicatum, contendunt. Urbis cura in Chriſtophorum Arciſſevium, quem rei tormentariæ in patriâ præpoſitum ante diximus, rejecta eſt. Qui laboribus morbiſq; fractus, munus iſtud, à multis alioquin expetitum, jamdudum invitus ſuſtinebat. Tum verò id adminiſtrare penitus detrectabat, niſi ſervato gentium, apud quas militiâ inclaruerat, more, legionem militum, ad cuſtodiam armamentorum, accurandumq; commeatum, haberet. Quam non adeptus, ſed ex venturis demum è Prusſiâ copiis ſperare, ac Leopoli interim ſubſiſtere juſſus, ei defendendæ magis adeſſe conſilio, quàm imperio præeſſe recepit. Quippe ſuo milite, ad obſequia remq; bellicam exercitato deſtitutus, ſolis civium præſidiis, haud ſatis feliciter pro-

*Varſaviam iidem abeuntes deſerunt locum.*

*Leopolis Arciſſevio committitur.*

*Sed is abnuit ibi regimen.*

ter processuram civitatis defensionem arbitrabatur: præsertim ubi plurimos eorum, metu instantis periculi, ab urbe se subduxisse, intellexerat; adeò ut hominum ad arma induenda utcunq; habilium, vix quingenti supra mille superessent. Quibus serò demum una Draganorum cohors sub Andreâ Cikovio, accessit. Cæterùm simul ut urbem ingressus erat Arcissevius, multa equidem nobilitatis primoribus, qui istic judiciorum, ut vocant, Capturalium causâ coiverant, multa & civibus suasit muniendæ propugnandæq; urbi necessaria. Ac fidem quoq;. Primorum Urbis, virorum sanè insignium, & magnam partem doctrinâ etiam excellentium, nec non civium plerorumq; (nam quosdam ex Russis in hostem propensiores dies & calamitas posteà aperuit) integram immotamq;, alacres etiam cunctorum ad consilia operamq; aures, sed lentiores judicum ante dictorum ad sumptum faciendum manus, expertus est. Et hâc ex causâ, Arcis, quæ alioquin loco ad defensionem sui, & viciniæ, sita opportuno, parvâ impensâ in magnam hostis remoram emuniri poterat, omissa cura est. Sic cùm idem Arcissevius certis vallorum spatiis, stationes, militi excubitori & inprimis civi, aëris injuriarum minus patienti, neces-

*Defectus in Urbe & Arce Leopolitanâ.*

ſaria ſuffugia ſtrui, ſepes item militares, quæ raræ & malè admodùm hærentes, facillimum cuivis tranſitum dabant, vibiis transverſis firmari, inter alia, poſtulâſſet, auditus quidem eſt, ſed auditus tantùm; effluente, inter obedientium cum cæteris certamina, agendi opportunitate. Interim magis magisq; propinquabat hoſtis, & adventum ejus ex collucentibus undiq; ignibus latè ardens cœlum, triſti præludio, denunciabat. Donec VII. Octobr. Tartaricæ primum turmæ conſpici cæpêre. A quarum ductore Tohaibejo præmiſſi quidam, & præbitis amicitiæ ſignis, ad colloquium admiſſi, à Sieniavio urbis hujus Præfecto, quem poſt Corſunenſem cladem à Tohaibejo, fidejubentibus pro lytro binis belli Ducibus captivis, è vinculis dimiſſum ſupra narravimus, ſummam promiſſam poſtulabant; ſubindicantes, eo impetrato, urbem tutam fore ab hoſtilitate. Sed, Sieniavio abſente, colloquium ſine effectu fuit. Interim IX. Octobr. Coſaci quoq; ſucceſsêre. Et hi oppreſſis ſubito impetu civium iis, qui extrema ſuburbiorum ſepimenta tuebantur, primò Domos, foſſæ urbis imminentes, occupabant eoq; mox tegumento, ad infeſtandos cives, in vallis excubantes, utebantur. Unde quod nulla ante ratio potuerat,

*Tartari appropinquant Urbi.*

potuerat, necessitas persuasit civibus, ut suburbia incendi paterentur. Is ignis biduo ferè arcuit hostem ab urbis accessu. Postea arx, trium dierum continuo conatu oppugnata est. Quam initio Bratkovius Burggrabius, posteà, cum is in urbem unà cum majore militum manu noctu recessisset, viginti aliquot pedites, abitûs caeterorum aliquandiu ignari, strenuè eandem defendêre. Sed his ipsis tandem, deficiente omni commeatu, reliquos sequi coactis, arx in potestatem hostis devenit. Qui eam XIV. Octobr. ingressus, quicquid istic reperit, (nihil autem ferè hominum reperit, nisi si qui fugâ sibi nequiverant consulere) miserrimè trucidavit. Infantum certè, quos barbarus persecuerat gladius, reperta sunt posteà, plus minus ducenta cadavera. Juxta autem tum Chmelnicius non vi tantùm moenia urbis, sed dolo etiam, & blanditiis animos civium tentabat; scriptis literis obsessos, & praecipuè Russos monens, ut à caeteris Lachis (sic genuinos & inprimis Romanae fidei Polonos Russi vocant) sese abjungant: universos porrò civitatis incolas, ostensâ armorum suorum, quae necessitate subactus induisset, aequitate, simul & inopiâ Pecuniae, quâ ad satisfaciendum Tartaris, sociis jam suis, indigeat, ad colloquium

*Arx occupatur.*

*Urbs dolo tentatur.*

quium & ad compoſitionis tentamenta invitans. Nulla ſpes erat ſuſtentandæ diu urbis, quam à milite & annonâ imparatam, exercitus trecentorum circiter millium circumſepſisſet. Adeoq; hoſtem inani obſtinatione, ad extrema laceſsere nemini etiã fortisſimorum, videbatur conſultum. Quòd tamen initio dolus adhuc metuerétur, neq; ulla niſi cum ipſo Chmelnicio túta videretur compoſitio, quæſiti inter oppidanos, qui Chmelnicium nosſent. Et reperti duo ſunt Mokrſcius Sacerdos & Armenus quidam. Quorum ille olim in Patrum Jeſuitarum collegio bonas literas profesſus, inter auditores adoleſcentem Chmelnicium habuisſe ſe meminerat, nuncq; adeò tantò gratioſiorem ſe apud illum fore rebatur. Prodiit itaq; ille cum Armeno, noſcitatum, quis colloqui, & quo animo poſceret. Reverſi ipſisſimum adesſe Chmelnicium, & legatos ad ſe mitti velle, retulêre. Ita conſulum unus Vaklevicius, cum eodem Sacerdote & binis civibus, Armeno uno, altero Ruſſo, ad colloquium egresſus, redimi posſe urbem, ſed pretio non modico, intellexit. Quippe ducenta aureorum millia poſtulabat Chmelnicius. Illi regerere, *esſe iniquum poſtulatum, & excedere vires civitatis. Quam nunquam adeò nummis abundantẽ,*

*Urbs dedere ſe parat.*

*Urbs paciſcitur.*

*nunc*

*nunc insuper proceres Poloni, antequàm abirent, in delectuum novorum stipendium, plusquàm nonaginta millibus florenorum, hoc est omni præsente pecuniâ nudâssent. Si quid argenti non signati, aut mercium pretiosarum superesset, lubenter daturos obsessos mitteret hostis suos aliquos, rem omnem suismet oculis arbitraturos.* Venit Glovacius, unus ex Chmelnicii Tribunis, homo Polonus, sed qui patriæ caritatem & sacra priora novis rebus posthabuerat. Eum comitabatur Scytha, castrorum apud Tartaros metator. His præsentibus ad Chmelnicium mille ducentæ selibræ, vulgò marcæ, argenti solidi, &, quod majus, sacris ferè usibus dicati, ad faciendam seriæ compositionis fidem, missæ sunt. Sequentibus diebus cum magis magisq; urgeret hostis, argenti signati ad sedecim millium florenorum non sine magno labore civitas confecit; ad quos viritim postulati Ecclesiastici sexcentos universim florenos contribuêrunt: privatim ferè cunctis inopiam excusantibus; at sacræ, si quid superesset supellectilis, communi necessitati omnes Religiosi ordines lubenter obtulêre. Ita hi sacras opes; cæteri cives, præter pecunias ante dictas, sericearum, lanearum, pellicearum mercium haud modicam vim misêrunt.

*Urbs se redimit.*

runt. Nempe necessitas, durum telum, nihil non extorquebat obsessis, inprimis postquàm fames & simul morborum contagio ingrueret. Aquæ præterea, præcisis quorundam hosti benè cupientium perfidiâ ductibus publicis, deficiebant: puteo, qui unus in cœnobio quodam supererat, non sufficiente omnibus, & plebe pleràq; passim de lutosis scrobibus pluviam hauriente. Panis caro veni bat, & ægerrimè jam haberi poterat. Quæ annonæ difficultas, etiam post compositionem aliquandiu mansit, relictis passim ab hoste per oppida, vicos, & villas custodibus Cosacis, qui exercitui suo annonam servantes, nullâ ope oppidanos juvari patiebantur, & egredientes ex urbe inclementer plerumq; excipiebant. Exercitus Chmelnicii 24. Octobr. moveri à Leopoli cæpit. Ipse gratiis civitati actis, cum lectioribus Cosacis postridie secutus est: ulteriora jamdudum animo agitans, à quibus longâ ad unam urbem morâ abstrahi, & senescere impetûs suos nolebat. Cæterum uti hactenus nihil propè non obvium apertumvé reperit: ita ab Urbe hac discedenti passim jam omnia magis patuêre, uno excepto monasterio Sokalensi, ad Bugum amnem sito. Quod superioribus annis Monachorum, & vicinæ nobilitatis solici-

*Annonæ defectus & aquarum Leopoli.*

*Chmelnicius pergit Socalū.*

ſolicitudo, circumducto ex arte muro & propugnaculis firmaverat. Oppidum ipſum Sokal à civibus Ruthenis facile deditũ eſt. Quippe qui jam pridem Græcæ Eccleſiæ accisam dignitatem indignè tulerant, eoq; nunc propenſiores in Coſacos erant. Cæteri, quos nulli ejusmodi affectûs Chmelnicio conciliâsſent, ſeveritatis nuper à Polonis in Ruthenos, ut proditionis ſuſpectos, exercitæ memores, adeoq; talionem metuentes, tempeſtivè ſe ſubduxerant. Et ſalutare hoc fugæ conſilium illis fuisſe eventus mox docuit. Etenim atrociter admodùm in omne id, quod ad profugos, diverſæ inprimis religionis, compertum eſt pertinere, ſævitum fuit. Non ſepulchrorum clauſtra, non templorum religio improbos retinuit, quò minùs in intimis adytis omnia, ac ſub humo cadavera ipſa excutientes, aurum argentumvè veſtigarent. Parem immanitatem Thomasſovia experta eſt: ne alia jam memorem obſcurioris famæ oppida, Magierowiam, Lipſciam, Florianoviam. Naroliam porrò vir nobilis Georgius Laſzczius, incertum, an ſubito incurſu deprehenſus, an ſuo in fundo occumbere quàm fugere malens, ſangvine ſuo conſperſit, commoriente illi loci ejusdem Presbytero. Tam immanib9 veſtigiis Zamoſcium tendens hoſtis ſignabat

*Socalenſes cives.*

*Coſaci Zamoſciũ tendunt.*

ſignabat iter ſuum. Hæc verò urbs à Johanne Zamoſcio, æterno illo Poloniæ ſuæ, cujus exercituum Dux & Cancellarius fuit, ornamento, parentum noſtrorum memoriâ, condita eſt. Et multiplici decore, inprimis verò Academiâ & munimentis, ſupra plerasq; alias Poloniæ urbes, eminet. Illam ſi occupâſſet hoſtis, cor quodammodo Sarmatiæ in manu ſibi videbatur habiturus. Ingentes porrò theſauros iſtic reperturum ſeſe ſperabat: iis ſcilicet opibus inhians, quas partim domûs Zamoſcianæ, opulentisſimæ ſanè, curâ repoſitas, partim concurſu nobilium, qui magno numero illic ſua congesſisſent, accumulatas non ignorabat. Aberat tum urbis hæres, magni illius Joannis nepos, Avo cognominis; anno circiter ante, ingenii excolendi causâ, ad exteros profectus. Sed ejus in urbe defendendâ vices multi egregii viri tuendas nunc ſuſceperunt. Præ aliis ipſe Viſniovecius, Zamoſcii, ductâ ejus ſorore, affinis: qui poſt disſipationem Pilavicenſem, ſe & pretioſiora quæq; huc intulerat. Cui Aulæ Zamoſcianæ clientes, multi ſanè numero, tum cives urbis ex Polonis, Germanis, Scotis mixti, ſtrenuam operam animosq; in omnia promptos, obtulêre. Acceſſit Belzenſis Palatinatûs nobilitas, quæ, ſumpto

*Ad hanc Urbem multa hoſtem illiciunt.*

*Zamoſcianum præſidiũ.*

ſumpto ſibi ductore Stanislao Sarbievio Præfecto Grabovienſi, viro ab ingenio uſuq; rerum multum illuſtri, in mutuam ſui & urbis defenſionem conjurârat. Ex quâ etiam paulò poſt modica Polonorum manus, Duce eodem Sarbievio, ſpeculatum ultra Sokaliam progreſſa, hoſtium turmam profligavit, cæſisq; inde plurimis, undecim captivos, atq; inter eos Ruthenum Sacerdotem ſecum adduxit. Sed bona fortuna aliâ majore & inopinatâ ope Urbi huic ſuccurrit. Ludovicus Veiherus tum Caſtellanus Elbingenſis, poſteà Pomeraniæ Palatinus, junctâ cum fratre Jacobo, Palatino Mariæburgenſi operâ, mille quingentos quà pedites quà equites in Pruſſiâ conſcripſerat. Cum iis in Ruſſiam jam tendebat. Sed eundem tardiuſculè, quippe è longinquo, venientem, rei malè geſtæ fama offendit ſtititq; apud Zamoſcium. Ubi hærentem Visnovecium adventu ſuo mirificè recreavit. Qui illum mox non modò ad ſociandam ſecum fortunam invitat, ſed &, cum Electionis ergò, Varſaviam ipſe properaret, cuſtodiam urbis eidem tradit, adjuncto in partem curarum præſigni viro Vladislao Miſzkovio Marchione de Mirovv, poſtea Palatino Sendomirienſi. Aucta tam egregiâ bonorum & Ducum & militum acceſ-

*Auxiliũ à Veiherorum copiis.*

ſione urbs eò erectioribus jam animis expectabat hoſtem: cui ne ſuffugio aut munimento esſent ſuburbia, quantumvis pulchra & opulenta, igni ſine morâ à propugnatoribus data ſunt. Tanto denſior undiq; turba in urbem ſe trudebat, ſuburbanis ſcilicet receptibus ſuis ejecta. Plurimi quantùm poſsent, copiarum & ſuppellectilis inferre in urbem nitebantur, ſeu quod perdere nollent, ſeu penuriæ in futurum famiq; arcendæ. Magna inde ingredi certantium lucta circa oſtium urbis, quod unicum & ſubterraneum, magnâ nobilium aliquot & centum peditum curâ ſervabatur: ac miſerabilis omninò rerum iſtic facies erat: cum nec omnes, multò minùs cum impedimentis ſuis admitterentur, & multi quoq; exire juberentur: qui ſcilicet ad defenſionem inepti, fruges tantùm conſumpturi videbantur. Fuêre, qui funibus ſe trans mœnia cum alimentis ſuis trahi peterent, traherenturq;. Multi Urbe excluſi, ſub mœnibus fatum ſuum expectabant, curruum præſidio ſe tuentes adverſùm cœli injurias. Quæ tum ſolito graviores, iis etiam moleſtæ erant, qui intra urbem ægrè alicubi in angulis, intercolumniis, ædiumvè projecturis vitam tolerabant. Unde omnia puerorum planctibus, fæminarum lamentis, famelicorum

*Zamoſcium multi confugiunt.*

rum

rum algentiumq; gemitibus perſtrepebant. Sub hoc tempus legionis Veiherianæ trecenti equites, Samuelis Regovii Subdapiferi Chelmenſis ductum ſecuti, in legionem Niebabæ Tribuni Coſacici, quater mille minimum homines ad Chmelnicium ducentis, incidêre. Caſu verò cum hoſte tam numeroſo, non procul Naroliâ commiſſi ita pugnârunt, ac ſi deliberatò in certamen, & pari numero deſcendiſſent. Et primum ſat æquam experti fortunam, omnem hanc Coſacorum manũ formidine perfuderant. Calina quoq; excubiis apud Coſacos præfectus in manûs tum venit, & Zamoſcium abductus eſt. Cumq; laborantibus hîc Coſacis Keldy Scytharum Ductor, Tohaibegi frater, opitulari vellet, Buimanni ſtrenui Centurionis manu occubuit. Sed & ipſe hic interfector à ſuperveniente mox Scytharum agmine majore occiſus eſt. Interim hoſtes auxilio iſto, tum & rectius cognitâ paucitate noſtrorum, animoſiores, redintegrant conflictum: & quia cum laſſis jam negotium erat, pleroſq; Germanos cecidêre: pauci abducti ſunt vivi. Regovius cum expeditiore equite elapſus eſt. Interim Tomaſſoviâ, quam V. Novembr. ingreſſus erat, Zamoſciam verſus movebatur Coſacorum Tartarorumq; exercitus;

*Excurſio.*

Duce Chmelnicio ſubinde auream urbem aggredi ſe ingeminante, quo animos in prædam inhiantes tantò magis incenderet. Viſum illi tamen eſt, primùm placidi ſibi animi circumdare ſpeciem famamq;. Cum enim militem fortè ſpeculandi causâ cum aliis egresſum nactus esſet, per eum literis misſis monet oppidanos, ut amicum potius ſe, quàm hoſtem experiri malint; mitia omnia Pacem quærentibus promittens. Ad literas antequam reſponderent propugnatores, intra urbem omnia quàm ordinatisſimè componenda ſibi duxêre. Portis itaq; omnibus jamdudum ritè obfirmatis; ſtationes & excubiæ per ſingula murorum propugnacula diſpoſitæ ſunt. Primi propugnaculi cura inter centum viginti Visniovecii Ducis pedites Ungaros, & Aulæ Zamoſcianæ præſidiarios Germanos, quos Procopius Szornelus ducebat, diviſa eſt, quibus centum equites Jacobi Veiheri Mariæburgenſis Palatini, Ulrico Schafgotzio Comite Sileſio, cujus Sororem Palatinus thori ſociam tum habebat, adjuncti fuêre. Alterum quod è regione palatii Zamoſciani eſt, ducenti quinquaginta pedites Veiheriani tuebantur. Tertium à totidem Veiherianis defendebatur. Quartum Davidi Tidemanno Gedanenſi hîc tum Vicetribuno,

*Zamoſcianos blanditiis tentat Chmelnicius.*

*Diſpoſitio præſidiariorũ Zamoſcianorum.*

tribuno, manu ducentorum peditum, equitum quinquaginta contigerat tuendum. Quintum, cui pulcherrimo & omnium firmisſimo, templum Armenorum imminet, nobilitas Belzenſis, quater propè mille equites, propugnandum ſuſcepêre: asſumptis in partem laboris civibus quinquaginta, quos Jacobus Haz Tribunus regebat. Sexto, quod murus depresſior, & ſtagni alveus aquis ſuis nudatus impresſioni hoſtili maximè opportunum facere videbatur, cives variæ nationis, ſupra mille, ductoribus Jacobo Bernio & Nicolao Hadziejovicio, invigilabant. Spatium quod inter ſextum & ſeptimum propugnaculū pari periculo objacet, ſeptuaginta equites Germanos, quinquaginta pedites Polonos ex civibus defenſores habuit. Septimum Academicorum pubisq; literariæ, cui Covalſcius Rector datus, ſed inſuper centum peditum cuſtodiæ commisſum eſt. Ad ſubita porrò necesſitatum, in areâ, quæ patentisſimo intervallo arcem à civitate ſejungit, centum pedites, ſub imperio Martini Comorovii, ſed ſimul nobilium advenarum ingens manus perpetuò excubabat. Cætera plebs ad majora inhabilis, falcibus ſuis aliove agreſti armatu inſtructa, muros pasſim implebat, adſcenſus hoſtiles cominus impeditura.

Interim hoſtis VI. Novembr. Sole ad occaſum vergente, propius ſuggresſus, poſitis ab orientali civitatis parte caſtris conſederat; cineribus ſuburbiorum deuſtorum ſpatium inter ipſum & urbem facientibus. Qui & oculis hoſtium, vento ferente, noſtrisq; ſubinde per tormenta ſtrenuè ſupplodentibus, unà cum fumo ingerebantur. Illi nihilominus, & fumi caligine & poſteà noctis obſcuro uſi, homines è flammis ſua audentius ſubducentes, aut ab urbe, ob anguſtiam loci, metumvé famis, excluſos, ſublegebant, quidam & ſtagnum natando trajicere laborabant, nihil grandine pilarum territi, quæ ex urbe volantes, multos ſubinde necabant. Eàdem illi audaciâ pecudum & generoſisſimæ notæ equorum equarumq; magnum numerum, ex horto Zamoſciano olim amœnisſimo, tum, ne hoſti ſuffugium daret, ſucciſo, abegêre. Mox & ſtagnum, quod magnam partem urbis alluens, hoſtem inde arcebat, perfosſis aggeribus, pervium facere ſibi conati ſunt. Et derivârunt equidem inde aquas, ſed earum tamen quantùm necesſarium esſet, oppidani foſsâ urbi proximâ exceperunt; factâ ad fosſæ ejus os aperiendum ſingulari excurſione. Tum etiam Chmelnicio reſponſum tandem datum eſt, misſis per tubicinem (nam miles, qui

*Suburbia deuſta.*

qui Chmelnicianas attulerat, nolebat re-dire in manûs, è quibus ſemel elapſum ſe gaudebat) literis, nullam obſeſſorum tre-pidationem, ſed præſentem potius &, ad omnia extrema paratum animum loquen-tibus. Simul è propugnaculis tormenta explodebantur, quibus quicquid operum acceſſuumvé ſtrueret hoſtis, diſturbabatur. Iterum iterumq; per eundem tibicinem ob-ſeſſos ad pacta hortatur Chmelnicius; ſed conſtantes ſemper expertus eſt, & cum fortè in concione ſuper oppidanorum reſponſo & rebus præſentibus deliberaret, parùm ab-fuit, quin ei pila tormentaria exitium affer-ret. Unde capiti ſuo jam cautiùs proſpici-ens, in pagum Labunie ſeceſſit: legionibus circa urbem ad exequenda juſſa ſua relictis, ad quas & ipſe identidem, ſed minus obſer-vabilis, ventitabat. Cæterùm nihil is hacte-nus proficiebat, quippe tormentis ſuis ad-huc deſtitutus. Unde erectioribus animis noſtri crebrioribusq; excurſib9 infeſtabant obſeſſores. Ac quia templum, non adeò dudum S. Catharinæ dedicatum, publicam nuper ſuburbiorum conflagrationem eva-ſerat, & jam non niſi barbaricæ licentiæ ſtabulum, mox & latibulum machinatio-num, atq; etiam fortè pro ſuggeſtu tormen-tario fore videbatur, factâ eruptione illud,

*Chmelnicii blandimenta rejiciuntur.*

*Templū S. Catharinæ comburitur.*

& juxta, quicquid circa id supererat ædium, succendere placuit. Quod ita dextrè administratum est, ut eodem procursu multi simul Cosacorum interficerentur: unus præterea ex iis vivus, inter spolia, in urbem, indicii causâ, adduceretur. Aliâ urbis parte peditum Visniovecianorum præfectus, fidei maritalis & animi imperterriti specimen edidit. Conjux ejus in suburbio diutius fortè morata, in manûs hostium inciderat. Cum illam duci videret maritus, amore, & miseratione stimulatus, assumptis sociis, multisq; simul ex plebe agrestium, proruit; & cæsis nonnullis, cæteris fugatis, misellam illam liberat, salvamq; in oppidum exultans, & aliis simul spoliis decórus, reducit. Unde agrestibus sæpius in hostem procurrendi, aliis verò extra mœnia securiùs agendi audacia crevit. Octavâ Novembr. tormenta sua & omnem apparatum bellicum, tardiùs scilicet ob pondus & viarum difficultates insecutum, accepit Chmelnicius. Invictâ itaq; oppidanorum constantiâ destinatis suis moram injici molestè ferens, postquàm oppugnationum instrumentis potitus esset, quatere urbem cæpit globis tormentariis. Quorum sedecim, urbis ædificiis editioribus, publicis & privatis, impacti, aliquo murorum, cætera vix notabili

*Maritus liberat cum periculo uxorem.*

*Oppugnationum initium.*

notabili damno decidêre. Unus ex tot ictibus aurigam quendam abstulit. Porrò autem mendacibus etiam minis lassare oppidanos nitebatur hostis, jussis undiq; simul canere classicis. Quibus oppidani ad flagrantissimas preces & supplicia, curâ armorum interim minimê omissâ, versi, cum posteà astu, vanoq; territandi consilio, excitatum tubarum strepitum cognôssent, valido ex irâ & religione impetu, in suburbium Janovicense, ubi Glovacius homo Polonus, sed ut diximus, patriæ & fidei suæ oblitus, cum multorum millium exercitu stabulabatur, effudêre se, non parvo hostium, nullo suo detrimento. Arctiùs deinde cingere urbem Chmelnicius cæpit, structisq; suggestibus oppugnare validiùs. Semel circa mediam noctem conclamari, velut ad expugnationem, jusserat, idq; binis ex locis, quò avocatâ illuc omni oppidanorum diligentiâ, situm in medio spatium, cui maximè insidiabatur, negligeretur, pateretq; deinde assultantium conatibus. Sed sensit hostis, totũ urbis ambitum pari propugnatorum vigilantiâ ac fortitudine defendi. Et non minus in silentes illos, quos in insidiis positos, lucidi apud alios sclopetorum ignes prodebant, tormentorum & fistularum ictûs detonabant. Istic non mo-

*Dolus hostilis.*

*Oppugnatio acerrima.*

dica ſtrages edita eſt; ſed eam ſublatis, per noctis opacum, cadaveribus obtegere Coſaci laborabant. Eâdem nocte cum conticuisſet undiq; armorum ſtrepitus, oppidanis, nihil de vigilantiâ remittentibus, prodigia in aëre ſereno obſervata esſe refert Profesſor & Canonicus Zamoſcianus, Joannes Bytomśky qui in Urbe obſesſâ omnium iſtarum rerum ſpectator fuit. Cujus adeò fidem hîc ſequor. Draco nempe igneus apparuit, cujus cauda tota rubens & quaſi ſangvine plena Chmelnicii caſtris impendebat: caput verò pariter cruentum in meridiem tendere viſum eſt. Id ſignum poſtquam diutiuſculè hominum multorum oculos tenuisſet, tandem capite ad caudam ſe contrahente crasſeſcens, verſumq; in Orientem, in nubes paulatim evanuit. Poſt horæ dimidium vipera ſupernè conſpecta eſt, quæ in ſagittæ gracilitatem ac longitudinem protenſa, locum ſuum immotum aliquandiu tenuit, donec pariter flexo in orbem capite diſparuit. Ferunt hæc eadem ſigna hoſti obſervata non parùm conturbâsſe animos; cum præſertim ſagæ, quarum incantamentis multum tribuisſe dicitur Chmelnicius, quibus etiam alii hæc ipſa in aëre oſtenta accepta ferebant, ſiniſtra pariter prædicerent. Et poſtero quidem die

*Prodigia.*

is cum

is cum agrestibus suis multum luctæ habuit, qui se solos in oppugnationes murorum prodigi querebantur, Cosacis plerisq; post terga ipsorum, in tuto latentibus. Dato itaq; laborum periculorumq; interstitio, plebs illa direptionibus incendiisq; circumjectorum pagorum, delicias sibi facere jussa est, Posteà, quo undiq; urbem circumdaret obsidio, nova legio, ductore Hladkio, latus meridionale occupavit, sumptâ inprimis statione in Aula vel potius Arce suburbana, (nam & hæc muro fossâq; circuibatur) quam Thomas Zamoscius, Joannis filius, Regni pariter olim Cancellarius, magnis impendiis, haud procul à sylvâ, & ibidem instructo vivario, excipiendis magnis hospitibus, tum verò filii quoque sui educationi adornaverat; adjecto insuper horto, cui multæ arbores herbæq; peregrinæ decus addebant. Cæterùm urbem, ita undiq; circumseptam, credebat hostis faciliorem jam fore ad paciscendum. Itaq; eundem Mokrscium Canonicum, qui, nuper Leopolitanorum fecialis, nunc à civitate illâ pactæ summæ reliquum Chmelnicio attulerat, in urbem immittit. Qui solitâ facundiâ & dexteritate hostis potentiam & huic minimè suffecturam ullam defendentium obstinationem, Præfectis ob oculos posuit.

*Plebs Cosacica obmurmurat.*

*Ad pacta iterùm invitantur Zamoscia-ni.*

posuit. Hi primùm in extrema omnia, quàm ad paciscendum proniores adhuc erant. Sed cum Canonicus & cum eo alii, captivorum calamitatem, tum suorum intra mœnia famem, & inde pereuntium multitudinem, equorum quotidie cadentium numerum, & hinc metum contagionis ostenderent, eò deniq; flexêre Ductores, ut audire sustinerent, quid postularet Chmelnicius. Mox & commeante ultro citroq; feciali illo, effectum, ut ex obsessis duo viri nobiles, Alexander Gruszecius, & Georgius Morochovius de conditionibus acturi, mitterentur. Quibus Chmelnicius scalas ostendit, transcendendis muris apparatas. Arbores erant è sylvâ recentes, quibus rudi manu insertæ fuêre trabes transversæ, eâ crassitie, ut singulis gradibus terna corpora possent insistere. Quælibet scala quinquaginta propè hominum onus futura videbatur. Unde colligi proclive est, quâ agrestium strage earum machinarum ad mœnia applicatio constitura fuerit. Revertebantur tum quoq; ad Chmelnicium Tartari Cosacis permixti; immensam captivorum pecudumq; vim ducentes. Tanto major nostris commiseratio mota. Qui simul non sine gemitu atq; admiratione hostis securitatem, inconditamq; & vel modico exercitui

*Pacisci incipiunt obsessi.*

*Scalæ Cosacicæ.*

exercitui domitu facilem multitudinem expendebant. Quippe agmina in immensum extensa incubabant campis patentibus, sine metu & nullis antepositis vigiliis. Plurimos iners otium aut crapula in somnum profundissimum deposuerat. Summa quippe rerum omnium istic abundantia erat, cum in solo fæcundissimo autumnum uberem, & horrea messibus referta reperissent. Sed eos nimis avidos copia ipsa corrupit, & fructuum carniumq; affluentiâ abutentibus magis, quàm fruentibus, in morborum materiam cibi cessêre. Unde ortâ contage, multi quotidie interibant. Eò magis properandum duxit Chmelnicius, ut vel expugnationi urbis impenderet gratis moriturum populum, vel, inito cum obsessis pacto, aliò duceret morarum pertæsos. Datis itaq; obsidibus, hinc quidem duobus illis, quos ante nominavimus, illinc Mozyrâ & tribus aliis Cosacis, Scythis deniq; binis Murzako & Janczarzycio, cum sex dies negotiationi insumpti essent, consensit tandem Chmelnicius in conditiones ab oppidanis propositas, inq; viginti millia florenorum, cùm primùm ducenta aureorum millia poposcisset.

*Securitas hostilis.*

*Obsides dantur utrinq;.*

Inde præconio publico vulgatâ pace, eousq; fidebant sibi partes, ut sermones & merces

merces commutarent, Cosacis Tabacum, vinum,& destillatione, ex maceratâ siligine elicitum liquorem avidè quærentibus: oppidanis vicissim aurum, argentum, stannum, lintea, boves & alia id genus spolia perexili ementibus. Poterat enim bos floreno uno acquiri, & pari cum bobus pretio venibant captivi, quos passim populabundi Tartari prehenderant. Avaritia tandem & mercium vilitas nimiùm quoq; sibi viles reddebat plurimos oppidanorum. Quippe dissvasu prudentium parùm moti, nonnunquam & clam per muros exitu quæsito, partim contagiosis cadaverum exuviis, aliisq; infectis mercibus morbum mortemq; sibi accelerabant, partim à petulantibus, extra suorum conspectum, abducti, vestimentis exuebantur, ludibrium debentes aliis, qui in mænibus omnium quæ fierent, arbitri stabant. Cum pecuniam accepisset Chmelnicius, captivi redditi sunt, fide non satis bonâ. Quippe nonnisi sexaginta homines, præter Georgium Belzecium primariæ nobilitatis virum, & tres ejus famulos, Germanumq; quendam, nuper excubiis apud nostros præfectum, rediêre.

*Commercia post obsidionem.*

*Captivi malâ fide redditi.*

Aderat destinata solvendæ obsidioni dies (XIX. Novembr.) cum novi in castris hostilibus motûs, oppidanos novâ solicitudine

dine arrexêre. Ibat quippe ad Chmelnicium Smarzevius à Joanne Casimiro, tum recens electo Rege internuncius: cui obviæ hostium turmæ, rem eminùs spectantibus speciem metumq; dabant hostilitatis. Sed missi speculatores gratulationibus & conviviis intentum reperêre hostem. Et totos sanè tres dies epularum festivitate extrahit Chmelnicius, tormentis, tubis, tympanisq; lætitiam monstrans, quam ex prospera Regis in solium avitum succesfione cepisset. Tandem 24. Novembr. præmissis impedimentis discessit: quem paulatim insecutæ, quæ Mozyræ, Kapustis binis, Hieræ, Wolko & aliis istiusmodi parebant legiones. Reliquæ tertio demum die urbem metu exsolvêre. Quæ dein in supplicationes, hymnosq;, omnibus templis inq; varia passim læticiæ argumenta cumulatissimè se effudit. Quanquam intra mœnia, & multò magis propè urbem omnia summum squalorem longè lateq; monstrabant. Si quid integrum relictum erat, id jam reduces illi globi hostiles, qui paulò ante in diversa sparsi, omnia latè percurrerant, absumpsêre. Immaniter inprimis Tartari grassabantur. Quorum ingens numerus, Sultano Galgâ, Sultano Muratin, & Tohaibego Ducibus, viscera Poloniæ, penè ad Vistulæ usq; ripam,

*Terror inanis.*

*Festivitas inter Cosacos ob electũ Regem.*

*Tartarorum grassationes.*

ripam, ſcrutatus erat. Ut nihil adeò prædonum iſtorum rapacitatem in propioribus territoriis potuerit effugere. Vix forſan falſi ſuſpicionem evitabo, referam tamen id, quod ex hominibus fidem merentibus accepi, Hominum varii generis hâc tempeſtate plusquam ducenta millia abducta esſe. Sed addam aliud, in quo non minus fortè laborabit fides hiſtoriæ: Ex ingente barbarorum numero vix tertia pars, & porrò de innumerâ captivorum multitudine, vix quingenti in Tauricam pervenêre. Adeo hos frigidi aëris injuriæ & fames, utrosq; verò morbi peſtiles attrivêre. In eodem hoc itinere, aut ſaltem eo vix confecto, periit ex malè ſanato, quod ad Zamoſciam acceperat, vulnere Tohaibegus, prima & præcipua Poloniæ peſtis. Quippe qui ante omnes, datis Chmelnicio ſuppetiis, tenuisſima iſtius hominis principia, in tantum faſtigium evexerat. Sed vindex flagitiorum Numen noluit hominem tot malorum autorem, ſcelere ſuo diu frui.

*Tohaibegi Tartari mors.*



HISTORIÆ POLONÆ PLENIORIS

# LIBER IV.

HOste jam in Russiæ extrema remisso, nos Varsaviam remeamus. Ubi uno post cæptum Leopolis obsidium die, sexto scil. Octobr. Anni 1648., Electio novi Regis inchoata est. Id tempus in Convocgtione Ordines definierant: & rebus creperis haud aliud præsentius suppetebat remedium, nisi ut quàm primùm sub unum caput colligerentur Regni vires. Quo deficiente, nihil nec auspicatò, nec ordine gerebatur. Neque unquam profectò in Rempubl. Rectore suo nixam tantùm hosti licuisset. Qui & ipse mox Regiæ autoritatis vim agnoscere visus est, cùm, quò propius nominatio Regis immineret, hoc magis remisit animos. Cæterùm ubi tempore & loco ad Varsaviam præfinito, cives omnium ordinum, hoc est, Senatores quà Ecclesiastici, quà Politici, & porrò Equites, quorum omnium in diversâ fortunâ par ad Electionem potestas est, convenissent, Boguslaus Comes de Leszno, nuperæ Convocationis moderator, vir summè facundus. ordinem Equestrem, qui in eo-

*Electionis festinandæ necessitas.*

*Electionis initium.*

N dem

dem quidem campo, sed seorsim tamen à Senatu, congregabatur, ita allocutus est:

*Oratio Boguslai Comitis de Leszno.*

*Quod faustum esse superi velint, campestre & nomini scilicet genioq; Polono congruentissimum, Cives, intravimus theatrum. Dissimile sanè illi, quod olim tributo gentium, & certante omnium orbis partium ambitiosâ luxurie exstructum, spectaculorum jucunditate novissimos Romanorum ludificabatur, & tragicarum miseriarum, quas sub dominantibus patiebantur, novâ arte imaginem simul, oblivionemq; spectantibus præstabat. Introducebantur istic maria & certamina fluctuum, ut inter illa pugnarum simulachra, vera ac patriæ scilicet debita & necessaria cura efflueret: amorq; libertatis in facticiis aquarum vorticibus extingueretur. Committebantur hominum bestiarumq; paria, ut his oculos pascens Romana juventus, decoros belli labores expavesceret simul & adspernaretur. Atq; id humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset. Diversum inquam, ab illo nostrum hoc theatrum est, quippe quod nativum, & ab omnium rerum opifice manu, non Regio alicui umbraculo, sed apertissimo cœli laqueari subjectum, antiquissimam & innocentissimam Terrigenarum, at genere animisq; nobilium, præfert majestatem. Non hic cassibus libertati insidianti*

*Theatri Romani comparatio cũ campo, in quo Electio fiebat.*

*ſidiantibus circumdamur, non caveis à manu dominâ cicuramur. Patet undiq; theatrum, & ad exemplum genuinorum Poloniæ pectorum nihil celat, nihil abſcondit. Et ut Romanorum aliquis domum ſibi optabat, quæ undiq; recluſa, quicquid ageret habitator, oculis exponeret omnium: ita hoc campeſtre Capitolium, nullis parietibus à conſpectu hominum ſubductum, Polonam ingenuitatem orbi enunciat: ut quæ per rationem Status, quam aliæ gentes jactant, nihil recondit, ſed propalàm, teſte cœlo & cœlitibus, ſpectante orbe Chriſtiano, jura Majeſtatis exercet, & quod auguſtius eſt, diſtribuit. Gaudemus hoc ſuper alias omnes nationes privilegio Poloni, quod per nos Reges regnant. Id quod actus iſte libertatis tutelæ deſtinatus, hic campus, cunctis ſcenarum divitiis pretioſior, brevi oſtendet. Arduum enim verò eſt quod aggredimur, Cives. Servum commodum, ſi parva magnis licet componere, reperire, difficile eſſe ajunt, quantò difficilius, Rectorem. Non malè ſapuiſſe cenſetur ille, qui facilius ſumi principem, quàm quæri judicavit. Nobis jam quærere principem incumbit, & quod maximum, quærere bonum. Ubi autem is quærendus, ſi verum eſt, quod pronunciavit quidam, bonos Imperatores annulo inſcribi poſſe? Inprimis Vladislao* *Electionis difficultas.*

*Vladislai IV. laudes.* nostro, quem cœlum sibi vindicavit, magno profectò labore quærimus successorem, majore & forsan nullo, parem inventuri. De cujus laudibus non est, quod dicere hîc ordiar. Orbi notus fuit, & vivit vigetq; immortalis ejus memoria, non fabrefactis inscripta colossis, quales ubi posteritatis judicium in odium vertit, pro sepulchris spernuntur, sed in æternitate temporum, famâ rerum: vivetq; eadem porrò, fide annalium, sempiternæ tradita posterorum venerationi. Ille, ah! ille fuit, qui post beneficum multorum annorum imperium, solâ morte suâ de Republ. malè meritus est.

Sævitia, est voluisse mori.

Phœnix fuit noster, cujus cineres cum nobis proh dolor! similem non reliquerint, dare nobis similem perarduum est. Et auget difficultatem temporum sinisteritas, quando jam destitutâ ad pœnam patriâ nostrâ, nescio quæ fatalis periodus summa imis miscet. Stupemus, Cives, ad congeriem malorum nostrorum. *Mala Polonia.* Amisimus Principem, amisimus Duces, exercitus, opes, & quod præcipuum, existimationis ægrè admodum reparabile damnum fecimus. Jam si diffidentias, simultates, privatas stimulationes, & spe maloq; ambitu obnoxias mentes spectamus, non difficultatis tantùm, sed periculi plena redditur Nobis Electio.

*Electio. Haud pensi est, quod nobilis ille Romanus notavit, esse privatis cogitationibus progressum, & prout velint, plus minusve sumi ex fortunâ. Imperium cupientibus nihil medium, inter summa & præcipitia. Attamen erigamus animos, Cives, & ne nimium scopulis, qui se nobis objiciunt, terreri aut dejici nos patiamur. Difficilia quæ pulchra. Et ipsa hæc, si rectè perpenditis, difficultas, gentis nostræ præcipuum & solatium & ornamentum est. Non aliunde quippe illa nascitur, quàm quod apud nos, non una dominantium domus, cæteri servi; & quod pro arbitrio legimus principem, non ex cunis acceptamus. Jactet Electionem suam Romanum, quale hodie est, Imperium. Intra septem Capita illa consistit. Reliquis imponitur, ac si natus esset, Dominus. Ab alienâ voluntate exspectare illum coguntur. Sola Polonia insolito aliis omnibus Regnis modo, Principem eligit. Hîc quot Equites, tot Electores: quot linguæ liberæ, tot suffragia. Et hæc non in conclavi, sed in aprico, non schedulis aut tabellis, sed vivis vocibus feruntur. Ea ut dii benè vertant, (gentium verbo, Christiano sensu loquor) divinæ Majestati supplicandum est; precandumq́, ut flexo, non in nos, gratiâ ejus indignos, sed in vastitatem Domuum suarum, & ingentem hanc*

*Electionis bona.*

*Sacrorum profanationem oculo, nunc tandem, quos servili subditorum flagello iratus castigat, boni Principis munere clemens exhilaret. Ne patiatur nos, extremo malorum, discordiâ, ad exitium fatigari. Inclamet ipse nobis cœlitus svave illud, Pax vobis. Faxit deniq; ejusdem benignitas, ut hanc patre orbam Virginem bene & felice quâdam animorum concordiâ elocemus: quod fiet, si non sibi quisq;, sed publicæ rei omnes Principem legerimus.*

Hæc prolocutus addidit, Conventui huic directore opus esse, & nihil cunctatus Philippum Casimirum Obuchevicium Tribunum tum Mozerensem, posteà Palatinum Smolenscensem nominat, Lithvanum gente, quia inde ordo usitatus jam sumi moderatorem postulabat. In quem tota illicò sine refragatione consensit Equitum corona. Hoc igitur præeunte, primò omnium illata, quæ ad ordinem & securitatem conventûs facerent. Ac præcipuè judices constituti, qui, novendecim numero, secundum leges, jus dicerent, & debitâ in peccantes severitate omnia redderent quieta. Tum leges quas talibus conventibus Majores præscripsissent firmatæ declaratæq;, quarum aliquas propter exteros talium curiosos enumerabo; Principiò vetus sanctio,

*Director Electionis.*

*Leges Electioni præscriptæ.*

ctio,

ctio, quâ machinæ bellicæ & peregrini procul haberi jubentur, ita explicata eſt, ne cuiquam intra tertium à Varſaviâ lapidem machinas vel peregrinos adducere liceat. Qui ſecus faxit, eum electionis jure privandum, aut ſi excludi ſe non patiatur, pro hoſte patriæ habendum. Peregrinis autem non accenſendos terrarum ad Poloniam vel Lithvaniam pertinentiũ incolas, quantumvis lingvâ & habitu diverſos. Nec ſtringi hâc lege exteros, qui vel ſinguli, vel aliquot numero, Equiti alicui Polono, familiares in uſus, nullo militari obſequio devincti, aut etiam ſpectandi causâ, pacati in urbe degant. A loco tamen conſilii publici ut per Mareſchalcos arceantur omnes, qui nullo vinculo Reipubl. illigati tenerentur, ſancitum. Tum porrò legati exterorum extra Varſaviam, certis limitibus, quos egredi nefas ſit, circumſcripti. Adhæc vetitum, ne quisquam bombardâ, arcu aut alio armorum genere minus uſitato, (acinaces autem, framea, ſpatha pro uſitatis habentur,) inſtructus locum Electioni dicatum ingrediatur. Qui ſecus facit, eum ducentis ſelibris ſeu marcis & ſex hebdomadum carcere multandum. In malleos roſtratos & pugiones par mulcta pecuniaria decreta eſt. Peditibus quoq; armatis

loco illo Electionis interdictum. Tum jura hospitiorum descripta, quò suum quisq; pacatus occupet teneatvé, violentiæ in aliena abstinens. Atq; ut pariter in omnibus tam publicè, quàm privatim quietè agatur, edictum. Eo fine & cum satellitio multo prodire in loca publica, & bombardas oneratas, per aut propter urbem circumferre, gladiumvé stringere, rigidè vetitum: tumultuari verò circa Comitium auso, percussori item, multò magis interfectori hominis, etiam plebeji, pœna capitis aut si judicium is effugisset, infamiæ, constituta. Adhæc Pons, (nam in hâc nimiâ multorum licentiâ etiam minuta legibus circumscribenda videbantur) quem ex scaphis colligatis Vistulæ insterni Præfectus ærarii curaverat, ne violetur, nevé à vectoribus tum, cum Ordines coëunt, vel etiam digrediuntur, occupetur, deniq; ne in transitu alius alium de industriâ dejiciat, cautum, capitis etiam supplicio, si quis tali trusione submersus fuerit, in detrusorem constituto. In locum conventûs, inprimis quà aggere circumductus is esset, nemini equos vel currus inducere permissum, & ne circa ingressum materia litium suboriatur, alii aditûs Minoris Poloniæ, alii Majoris, alii Lithvaniæ civibus dati. Pueri aliivé
levioris

levioris notæ famuli, à conventûs ſpatiis exeſſe, & paſſim alibi à vociferatione & immodeſtiâ omni abſtinere, inprimis autem erga legatos exteros, eorumq; famulos, reverenter agere, atq; ab omni contumeliæ etiam ſpecie, temperare ſibi juſſi. Mercatoribus quoq;, inſtitoribus, opificibus & cauponibus ne quicquam vi auferatur, ſeverè cautum: ſed iisdem etiam, ut pretio, quod Mareſchalci cum reliquis deputatis definierint, merces ſuas vendant, injunctum, pœnâ in delinquentes conſtitutâ. Cauponibus porrô loco conventûs interdictum, & ad octavam veſpertinam vendere ſua permiſſum, non ultra. Duella omnia ſeveriſſimè vetita. Legum harum executionem Mareſchalcis quatuor, & quindecim inſuper viris, ad id ex Senatu & ordine Equeſtri electis, fidemq; incorruptam, & integerrimam juſtitiæ curam ſolenni juramento pollicitis, demandata eſt.

Cæterùm iſta ut antiquitus ferè recepta, facilem pleraq; apud Regni ordines conſenſum reperêre. Ardua magis & difficilioris longè explicatûs ſuper ſecuritate Reipubl. deliberatio erat. Illi ceu corpori ſaucio, & Capite manibusq; quodammodò trunco, quò propiore periculo incubaret hoſtis, eò maturiùs intentiùsq; proſpicien-

*Inquisitio in autores dissipationis Pilauciane.*

dum censebatur. Si otium dedissent crepe- ræ Regni res, ante omnia equidem ratio actorum à nuperis belli Rectoribus postulata, inq; autores dissipati exercitûs severe inquisitum fuisset: optimo quoque, tam inaudito in hâc Reipubl. malo dedecoriq; infremente, nec publicè etiam ab acribus abstinente censuris. Ac quidam ex Magnatibus publicè privatimq; innocentiæ suæ causam, cum curâ, non postulati etiam, dixêre: patuitq; equidem, plurimos istîc extra culpam, nec nisi publicæ confusionis quasi torrente abreptos fuisse. Neq; ulla liquidior mali tanti, exceptis divinis, causa apparuit, quàm quod parva Ducum autoritas, & in nimiùm multos divisa fuerit. Nimirum regimen & ordinem rerum nihil faciliùs quàm regentium multitudo tollit, perditq; ut plurimùm tam eos, qui regunt, quàm qui reguntur. Sed curiosius in omnia animadverti tum non licuit, re potius, ne in futurum delinquatur, dispici postulante, quàm anxiè inquiri in delicta.

*Causa ejus dissipationis.*

Ac cùm primò omnium novum exercitûs Rectorem constituere placeret, cunctorum illicò judicia in Jeremiam Michaelem Visniovecium consensêre: Ducem civili æquè ac militari ingenio, bello verò jamdudum, ac rerum, hoc ipso etiam rebellii Cosacici tempore

*Regimen exercitus Visniovecio datur.*

tempore gestarum gloriâ clarissimum; ideoq; etiam nuper Leopoli à milite & quotquot istîc fuissent ex nobilibus Proceribusvé, nominatum militiæ Ducem. Quod ab aliquibus, exempli noxam verentibus, sinistrè acceptum est, tanquam sine publico omnium consensu factum. Visniovecio tamen id non obfuit, qui onus illud, extra ordinem sibi oblatum, ægrè admodùm, nec nisi salvo jure aliorum, qui suffragium suum absentes addere non potuissent, susceperat. Jam igitur illi magno atq; amplissimo totius Regni consensu, belli regimen defertur, ac tantis quidem studiis, ut aliquibus ex Senatu morari aut accidere hanc ejus dignitatem visis, voces asperæ & propè gladiorum mucrones opponerentur. Visniovecio Duci collega adjunctus est Andreas Firlejus, Castellanus Belzensis, vir natalium splendore, prudentiâ, & quod tum præcipuè expendebatur, ætate in bellis tritâ venerabilis.

*Collega Visnovecio datur Firlejus Castellanus Belzensis.*

Constitutis ducibus de titulo eorum disceptatum: plerisq; ex ordine Equestri, usitata summæ in bello autoritatis nomina illis dari postulantibus. Alii alia potius inde nda svadebant, quò captis apud Corsunum Ducibus honor salvus, & Regi futuro, liberior mutandi facultas maneret. Et

*Tituli Ducum belli.*

horum

horum quidem ſententia prævaluit, reliquis blanda ratione perſuaſis, ne nominum inanibus tempora Reipubl. pergerent morari. Hinc milites, tam quos Pilavicenſis disſipaverat confuſio, quàm quorum ad caſtra iter, disſipati exercitûs fama, diverſis in locis, ſtiterat, literis conſenſu ordinum ſcriptis ſeverè moniti ſunt, ut intra menſem illi, hi ante proximos dies quindecim exactos, ad Viſniovecium & Firlejum confluant, ſub horum imperio periclitanti Reipubl. adfuturi. Inprimis Chriſtophorus Przyjemſcius Tribunus cum mille ducentis ſuis, & Sigismundus Dönhofius Præfectus Sokalenſis cum quadringentis, cum totidem Corſius, properare verſus laborantes terras juſſi ſunt. Pleriq; etiam procerum, ne patriæ nutanti deeſſent, ſatellitia ſua, augendo Reipubl. exercitui, mittere deſtinaverant. Et Archiepiſcopus Regni Primas centum quinquaginta pedites, totidem Epiſcopus Varmienſis Venceslaus Leſcinius, Nicol. Gnievosſius Epiſcopus Vladislavienſis pedites quinquaginta, velites quadraginta, Epiſcopus Poſnanienſis centum, Culmenſis qui idem tum Regni Procancellarius, totidem; & ſic alii pro facultatibus ſuis quisq; offerebant. Osſolinſci9 verò Regni Cancellarius & Leo Caſimirus Sapieha

*Milites adverſus hoſtem expediuntur.*

*Satellitia magnatum eodem deſtinantur.*

Vice-

Vice-Cancellarius Lithvaniæ, mittere pollitebantur, quicquid haberent circa se hominum, arma gestare habilium. Habebant autem sat grandem manum, posterior inprimis, utpote opibus præpotens. Et jam istis quasi prætoriis Magnatum cohortibus Duces dispiciebantur; præq; aliis Paulus Sapieha Palatinus tum Vitebcensis, postea Vilnensis ac Magnus exercituum Lithv. Dux, & Georgius Rzecicius Præfectus Urzedoviensis, hisq; detrectantibus, alii jam muneri isti destinari cæperant. Sed huic curæ intercessit veniens de Brestiâ Lithvanorum à Cosacis exustâ nuncius. Hoste enim adeò propinquante privatum hunc militem custodiendæ Varsaviæ, ubi cadaver Regium, & de summâ rerum consilia haberentur, servandum esse visum fuit. Quidam quoq; ingruentibus ita periculis, suadere cæperant, ut Principes Vladislai defuncti fratres Varsaviam vocarentur; tametsi id legibus videretur adversum: *has quippe ex necessitate & usu Reipubl. latas, eidem pariter attemperandas esse. Hoc esse illis pulcherrimum demerendæ sibi Reipubl. tempus: & spem magnam superesse, rebelles non minus Regii sangvinis majestatem, quàm in cæteris armorum aciem reverituros.* Sed horum utrorumq; dicta contradicentium multitu-

*Duces Satellitiorum.*

*Fratres Regios quidam Varsaviam vocandos censent.*

multitudine irrita fuêre. Quia verò ab hoste periculum magis indies gravesceret, de eo propulsando, tuendâq; sic publicâ securitate variè adhuc deliberatum est. Ac quamvis in tributa nova, tum in militum faciendos delectus, & deniq; in expeditionem publicam, Rege electo, mox occeptandam, pleræq; omnes provinciæ consensissent; haud tamen unquam adhuc sibi ipsi satisfaciebant, multò minus profugis ex afflictâ Russiâ, Lithvaniâq; civibus, qui ut alendæ inopiæ suæ subsidia, ita properam terris suis opem à fratribus suis, & communi matre Republ. quotidianis precibus & quiritationibus efflagitabant. Et proponebantur varii adhuc conficiendi tum militis, tum æris, modi, præcipuo quoq; suæ pro Republ. curæ ac studio, ingenium quoq; facundiamq; addente. Audita etiam nonnullorum, opes privatas cum Republ. partiri volentium haud contemnenda promissa. Inter alios Regni Referendarius Alexander de Otok Zalescius, facundiâ & juris peritiâ eminens patriæ civis, ducentas selibras argenti solidi obtulit, cæteris, inprimis iis, qui plus possent, exemplum futurus. Sed plures approbatores, quàm imitatores habuit. Quidam pretia monetæ augeri, militum stipendia minui, argentum deniq;

*Securitati variè consulitur.*

*Argenti conficiendi rationes novæ.*

deniq; sacrum, ut olim in Hispaniâ contra Mauros factitatum sit, redimendæ publicæ saluti impendi: alii decimam partem proventuum à quovis nobili, atq; ordine etiã Ecclesiastico conferri suadebant. Sed consensus in istis defuit, neq; tum ultra bina per Regni provincias tributa, & certas militum suppetias, publicæ deniq; decretum expeditionis processum est. Dixeris vigili pro Poloniæ rebus providentiâ fati ita subductas impendiorum rationes, ne supra vires decusq; patriæ, vel deniq; necessitatem essent. Præsens enim periculum, uti mox apparebit, sine omni sumptu, solo mox Majestatis Regiæ oppositu, amotum est. Lubet tamen Palatinatuum aliquot laudata pro Republicâ conamina hîc exponere. Posnaniensis cum * Calissiensi junctus Palatinatus ad hoc bellum promisit milites bis mille & ducentos, bina insuper de singulis focis tributa, & si opus foret, generalem ad arma evocationem recepit. Totidem tributa Cracoviensis; milites verò mille ducentos: præter ordinarios, quos tutandæ Regni metropoli servaret; cui & viritim publicâ edictione succurrere spondent, extra suum tamen territorium, cui metuendi maximé è vicino hostes essent, haud profecturi. Sendomiriensis Palatinatus mille milites & ducentos

*Palatinatuum delectus & tributa ad bellum.*

** Posnaniensium & Calisf. Cracoviensium.*

*Sendomirienſium.* ducentos pollicetur, in cæteris Poſnanienſes imitaturus. Minora aliæ terræ, ſed ad modū virium ſpectes, non minus aliis promittebant. *Lithvanorum.* Lithvani decem tributa (ut vocant) agraria & inſuper vectigalia in Comitiis ani 1647. conſtituta dare recepêre: hoc præcauto, ne in alias quàm belli neceſſitates à Theſaurario illius Ducatûs erogentur. *Judæorum.* Judæis præter exactionem nuper in ſingula capita factam, aliquot iterum millia imperata. *Regiarū Civitatum.* Regiis verò civitatibus, viginti quinq; florenorum millia, donativi nomine, in ſtipendium militis ſupernumerarium indicta, quò is in itinere ſe tanto gereret continentius. *Leopolitanis cavetur.* Leopolitanæ deniq; urbis civibus, qui nuper, præſente ſummo periculo, nonaginta millia florenorum in novos delectus laudabili promptitudine ſuggesſerant, publicâ fide ſatisdatum, & ut ille, qui ſummam iſtam accepisſet, in Comitiis Coronationis rationem expenſarum reddat, injunctum eſt.

Hæc non ſine magno animorum motu & multis contentionibus perrogabantur. Subinde autem interſonabant voces civium aliorum, qui facto tandem deliberationum compendio, Regis eligendi negotium ſuſcipi flagitabant. Et privatim quidem inter proceres jamdudum ea cura, ſed

ſtudiis

ſtudiis multum diſcordibus,fervebat. Erant ex Sigismundi, laudatisſimi Regis, filiis, defuncti Vladislai fratribus,duo ſuperſtites, Joannes Caſimirus, & Carolus Ferdinandus: quorum ille ætate prior, aliquot in Poloniâ præfecturas,& poſt mortem fraternam, Regni Svecici titulum; alter Epiſcopatum Uratislavienſem & ſimul Plocenſem tenebat. Hos inter Principes vacillabat Electio, euntibus in factiones civibus, & aliis hâc, aliis aliâ de causâ, pro hoc illové decertantibus. Nam quod de aliis externis muſſitavit fama, intra cogitationes forſan aliquorum, ſed paucorum tamen, nec diu conſtitit. Cæterùm circa Principes fratres tantus erat contendentiũ ardor, ut metuerent multi, ne, quod unum ſcilicet labentibus in exitium Polonorum rebùs deesſe malum videbatur, in partes omninò diſcederet Reſpublica. Nec inter legatos exterorum Principum eâ in re ſatis conveniebat. Nam ut quidam apertè pro Joanne Caſimiro nitebantur, ita alii ſcisſam in contraria ſtudia Poloniam conſpicati, diu ſenſum animi recondebant, generatim Jagellonicum ſanguinem Civibus Polonis commendâsſe contenti. Ita utrumq; Principem juvantes, neutrum ſibi videbantur offendere.

*Diſcordia vota in Rege eligendo.*

*Candidati Regni Fratres Regis defuncti.*

*Oratores & Legati exterorũ Principum.*

Pretium autem operæ videtur, ponere nomina Oratorum Legatorumq;, qui tum, Varſaviæ, Principum quisq; ſuorum partes agebant. A Pontifice Romano aderat Torreſius, tum Adrianopolitanus Archiepiſcopus, & ad Poloniæ Regnum Nuncius. A Cæſare primùm prodromus, mox legatus Ferdinandus de Carretto, Granæ Marchio, conſiliarius Imperialis. Ex Gallia præter Dominum de Breze, Comes Arpajus. Ex Sveciâ Laurentius Canterſteinius Reginæ à Secretis, literas ab eâdem & certa poſtulata ferens. Ab Electore Brandeburgico bini, Joannes Höverbequius Conſiliarius Electoris intimus, & Carolus Olſnicius. A Principibus Neoburgicis pariter bini, Joannes Berthranus de Scheid, Sereniſſimæ Principis Catharinæ Conſtantiæ, quæ Sigismundi III. filia, Philippo Vilhelmo Palatino-Neoburgico Duci nupſerat, Mareſchalcus, & Franciscus Gize ejusdem Principis Cancellarius. A Duce Curlando Vilmannus conſiliarius, cui eidem Marchiones Brandeburgo-Anſpacenſes juris ſui, quod ad ſucceſſionem Feudi Pruſſici prætendunt, negotium commiſerant. Hi omnes benevolentiam Dominorum ſuorum erga Regnum Poloniæ, & dolorem ex morte Vladiſlai Regis, multipliciq; hâc Regni calami-

*Legatorum exterorum poſtulata.*

calamitate ſuſceptum, prolixè teſtabantur. Pontificius prætereà, *ad concordiam animorum curato ſermone hortabatur Ordines: Regemq́; eligi ſvadebat Catholicæ fidei ſtudioſum, atq́; inprimis ex Sanguine Jagellonicò, domoq́; adeò Sigismundi, qui ipſe, præhabitâ quodammodo Regnis ſuis hæreditariis Poloniâ; & multis ſuis erga hanc beneficiis meruerit, ut, quemadmodum olim Vladislaum ſuccesſorem habuerit; nunc in uno ſuperſtitum filiorum denuò gratum Polonorum animum experiatur.* Cæſareus antequam adveniret, per præcurſorem ſuum generatim pariter Regium ſanguinem, ſed mox; cum animi in Joannem Caſimirum flecterent, Varſaviam ingresſus, hunc eundem Reipubl. commendabat. Gallus à primo protenus adventu ſummam in Joannem Caſimirum propenſionem teſtatus, eandem tum publicè facundâ oratione expresſit; Gallicam prolixè amicitiam promittens commendansq́;, *quam ſcilicet tot aliæ gentes, Sveci, Dani; Batavi, Mantuani, Hasſi aliiq́; fidam ſibi utilemq́; pernovisſent.* Sveciæ Regina primis literis *ſanguinem ſuum, prolem Sigismundi, alteris natu majorem fratrem proponebat; ea inſuper amovenda ab Electione iſtâ monens, quæ inter Regna iſta vel inimicitias excitare, vel perennem*

*amicitiam remorari posſent: tum & Commisſarios poſtulans, pacta induciarum in æternæ pacis fœdus producere tentaturos, ſuos vicisſim Lubecam vel Hamburgum mittere pollicens.* Electores, poſtquam Heri ſui abſentiam, magnorum Imperii negotiorum objectu *excusâsſent, Joannem Caſimirum enixè commendant; in Coſacos porrò auxilia pollicentur, ſimul tamen pacem potius cum iis honeſtam, quàm bellum ſvadent, Deniq; ad fœdus cum Svecis æternandum, ſequeſtram Electoris ſui operam offerunt.* Neoburgici, *ſanguinis Regii rationem haberi deſiderabant, reliquum ſimul dotis, Annæ Catharinæ Conſtantiæ è Sigismundo genitæ nomine, poſcentes. Marchionum Brandeburgo-Anſpacenſium nomine, ad Pruſſiæ feudum, ut innui, aditus, ſi id fortè hodiernæ ſtirpis Electoralis interitu vacaret, petebatur. Dux Curlandus feudivi continuationem & ſimul emendationem eorum, quæ contra ſuum jus bonumq; ordinem fiant, rogat.*

*Legatis reſpondetur.* His omnibus Primas Regni Archiepiſcopus & Equeſtris Ordinis nomine Moderator Obuchevicius, quæ res tum ſtatim exigeret ferretvé, reſpondêre, cæteris, quæ deliberationem poſtularent, in aliud tempus rejectis. Cæterùm antequam iſtorum aliqui admitterentur, ſpatium datum eſt

audiendis

audiendis Poloniæ Principum & ſimul jam ſceptri Candidatorum legatis. Horum prioribus, qui à Joanne Caſimiro mittebantur, Georgius Tiskievicius, Samogitiæ Epiſcopus Vir pietate, doctrinâ & ſingulari animi modeſtiâ præcellens, atq; hinc anteà moderamini *Thoruniensis de Religione Colloquii* à Rege defuncto adhibitus; alteris Stanislaus Zaremba, Senatoriâ Infulæ Kiovienſis dignitate, nec minus virtute majorum & ſuâ inſignis, caput erat. Uterq; Candidati ſui, *eximias laudes & egregium erga Rempubl. proq; eâ opes, ſanguinemq; ipſum profundendi ſtudium cum curâ deprædicabat.* Auditis Archiepiſcopus & Equeſtris Ordinis Director repoſuêre; *reverentiam domûs Jagellonicæ, tot ſeculorum ſcilicet meritis inclytæ, minimè apud cives Polonos exoleviſſe. Etiam dotes Principum, virtute majorum ac faſtigio Regio perquàm dignas, nuncq; etiam eorundem pro Republ. ſolicitudinem, ac promptam huic ſuccurrendi voluntatem, gratiſſimâ mente ab omnibus agnoſci: cæterùm quia ſceptrum Poloniæ, poſt Deum, à liberis civium ſuffragiis dependeat, brevi ex horum conſenſu clarum fore, cui id divina voluntas deſponderit.* Et poſt hæc tanto quidem magis à quàm plurimis urgebatur Electionis feſtinatio; ſed intercedebant ſub-

*Regni Candidatorum Legati.*

*Reſpondetur Legatis Candidatorũ.*

inde adhuc alia negotia, & immaturè ad eam accedi videbatur, nisi tum Candidatorum, tum civium pro ipsis inter se certantium animi, optato aliquo concordiæ temperamento coaluissent prius, aut saltem ex tanto contentionum æstu resedissent. Adhuc enim acriter tum dissidebatur, utrâvis parte pervincere eò impensius laborante, quò diuturniore dissensu alterum Candidatum offendisse metuebat. Quamvis verò inter Carolinos plus nummorum splenderet; indies tamen magis magisq; Joannis Casimiri partes evalescebant, nitente pro ipso præter Reginam viduam, & Cancellarium, Lithvaniâ, atq; ejus inprimis Pro-Cancellario Sapiehâ, viro multum potente: tum Prusiæ propè omnis, eodem tendente consensu. Non minùs ex cæterâ quoq; Poloniâ multa magnaq; Capita, & pleraq; nobilitas istuc inclinaverant animos: & alios, qui contradicerent, paulatim vi blandâ rationum demulcebant trahebantq; in suas partes. *Inprimis major ætas urgebatur, cui, si alioquin virtutum paritas ambiguam fortè faciat deliberationem, jure tamen naturæ debeantur primæ.* Sed & alia afferebantur commendando huic principi, simulq; quæ de indole, & diverso sortis vitæq; colore à quibusdam partis adversæ solerent

*Dissensiones.*

*Joannis Casimiri partes prævalere incipiunt.*

*Pro eo rationes.*

lerent objici, refellebantur. *Jam olim*, ajebant, *Divos parentes, ingenium Joannis Casimiri tanto imperio non indignum judicâsse, quando paulò ante finem vitæ, illum cum Vladislao, quanquam annis & rebus gestis majore compositum, tantùm non præposuêre. Nec contemnendum ipsius Vladislai judicium, qui supremis tabulis eum ut magis idoneum Reipubl. commendârit. Adesse Casimiro præter naturæ & institutionis bona, experientiam rerum, belli & pacis negotiis, ac cuivis jam fortunæ regundæ parem. Adversitates, quæ obtendebantur, pro ipso magis jam facere: quibus exerceri & meliora sibi fata struere ac mereri, proprium sit Casimirorum. Opes parandi nullam ei fuisse occasionem; cum quas post Patrem crevisset, fratri Regnoq; impenderit; dum horum dignitatem in Aulâ Cæsaris, filiam hujus Cæciliam Renatam Vladislao adducturus, studuerit tueri. Bellis porrò fraternis, inprimis Moschovitico, non sine sumptu & cum laude fortitudinis, interfuisse. Nec peregrinationes, nisi optimâ mente & exemplo fratris Vladislai, susceptas; quarum infelicior eventus si culpetur aliquibus, iis videndum, ne convicium cœlo faciant. Innocentiam consiliorum præstare sibi homines posse, non posse fortunam. Sæpè optimè co-*

*gitata pessimè cadere. Quanquam & reverà benè cecidisse credi possint, quibus animus Principis ad laborum, curarum, atq; etiam frugalitatis patientiam, induruerit. Adducturum talem Regiæ fortunæ fræna, quâdam hactenus facilitate imperantis indulgentiâq; vel etiam nimiâ parentium felicitate, longius prolapsa. Planè ut in fratre defuncto Vladislaorum, ita in hoc Casimirorum virtutes refulsuras. Porrò autem illo Rege creato, multa Reipubl. bona, jam ab ipso possessa, benè meritis civibus cessura: &, si insuper in Reginæ viduæ matrimonium consenserit, id quod in cælibe & non adverso conditionibus facilè sperandum, ingens sumptuum compendium facturam Rempubl., remissâ alterius Reginæ inducendæ necessitate. Deniq; cum Regis Sveciæ titulum gerat, sine illo nullam unquam cum Svecis rectè processuram compositionem.*

Ita isti argumentabantur. Alii insuper, *ne cum Chmelnicio quidem facilem sperandam pacem, nisi Joanne Casimiro Rege electo,* disserebant. *Fore illi majorem hujus, quàm cujusquam alterius reverentiam: quippe qui jam in literis ad Zamoscianos scriptis, tum misso etiam Mokrscio, non obscuras pronioris ergà hunc affectûs dederit significationes.* Valebat aliquantum hæc

*Chmelnicius Joan. Casimirum mavult.*

ratio,

ratio, no[illegible] jure aliquo, quod nullum istius-modi co[illegible]ra Poloniam armatis hominibus ad Electi[illegible]nem competit, sed temporum iniquitat[illegible], & quod periculorum ab hoste magis ma[illegible]isq; augescentium increbesceret fama. Se[illegible] jam ante ista, alia quoq; argumenta Po[illegible]illatorem Regni Ostrorogium, & hujus [illegible]fficaci facundiâ Visniovecium quoq; Du[illegible]em parti Casimirianæ reddiderant æqui[illegible]res. Quos sequi & sensim velut fatis impe[illegible]antibus cedere reliqui cæperant; sic ut fort[illegible]na Casimiri jam evidenter eluctaretur. Præter cæteros huic non parum momenti addidêre duarum Poloniarum generales præfecti: Majoris quidem Boguslaus Lesczinius, de quo ante sæpius; Minoris Georgius Lubomirscius, nunc magnus Regni Marescalcus, & Campi Dux viri ut avitis decoribus, ita civili ingenio & doctâ facundiâ, nemini per Poloniam secundi. Hi jam tandem Joannis Casimiri partes validè amplexi, magnâ contentione eò juxta cum aliis ejus causæ fautoribus col-laborabant, ut partis alterius prima capita suadendo inducerent, ne aliò verterent animum, quàm quò potior Regni pars inclinasset. Capita autem ista erant Andreas Comes de Leszno Episcopus tum Culmensis idemq; Vice-Cancellarius, nec non Jere-

*Capita Carolinorum.*

mias Dux Viſnovecius. Sed uterq; autoritate ſuâ multos prætereà alios trahebat. Dum in his permovendis laboratur, leges, quæ Regibus Poloniæ præſcribi ſolent (*pacta conventa* vulgò dici ſolent) perleguntur, examinanturq; publicè, quò poteſtas fieret ordinibus, monendi, ſi quid mutatum vellent. Nec remisſum quicquam de more antiquo, poteſtatem Regiam arctioribus terminis cludendi, quò ſolutior esſet libertas. Cui nunquam facilius, quàm ubi vacuum Rectore regnum eſt, conſuli posſe videtur, mollibus plerumq; ad leges accipiendas Candidatis, qui poſtea adultâ ſceptri autoritate, ſuæ potiùs quàm populi libertati invigilaturi creduntur. Inter alia proponebantur, quæ in causâ Disſidentium à Religione Romano-Catholicâ, à certis delegatis, apud Epiſcopum Cracovienſem, de conſenſu partis utriusq; conſtituta erant.

*De Religione diſceptatio.*

In iis autem nimis multum Disſidentibus indultum esſe, quidam contendebant, inprimis Maſovii, qui adeò ſuis Palatinatibus caveri poſtulabant additâ clauſulâ: *Salvâ ratione jurium & decretorum Ducatus Maſoviæ.* Sed hanc diu multumq; fruſtra tamen alii oppugnabant; ex Senatoribus inprimis Sbigneus Goraiſcius Caſtellanus Chelmenſis. Tandem, poſt aliquot dierum diſcepta-

disceptationes, in id consensum est, ut dissidentium libertas tuta maneret eâ lege, quæ & anteriorum Regum juramento firmata esset, & planiorem explicationem in superiore Conventu (Convocatione) acceptisset. Prussi præterea jura sua in integrum restitui postulabant; inprimis illud, quo cautum sibi ferebant, ne bona Regia aliis, quam indigenis Prussiæ darentur. Nominatim in Pucensem Præfecturam negabant Magno Cancellario dari legitimè potuisse. Is verò hos propositi tenaces conspicatus, interponentis se Venceslai Comitis de Lesno, Episcopi & Principis Varmi- [illegible] ea Archiepiscopi Gnesnensis,) adeoq; in senatu Prussico Præsidis, & viri alioquin apud omnes gratiosissimi, persvasioni atq; autoritati hoc dedit, ut se præfectura illa sponte abdicaret, beneficium sic imputans paci publicæ, quam privatæ rei studio nollet turbatam. Tranquillos fore Prussos putabat Archiepiscopus, & jam in genua procumbere cœperat, solenni cantione Sancti Spiritûs auxilium, ad conciliandam animorum in suffragiis ferendis concordiam, imploraturus. Sed iidem illi adeò universi constanter intercedebant cœpto Antistitis, in aliis desideriis suis pariter satisfieri sibi ante inchoata suffragia poscentes;

*Prussorũ postulata.*

*Cancellarius se abdicat Pucensi Præfecturâ.*

*Prussi adhuc reclamant.*

scentes = ut denuò surgendum fuerit mitissimo optimoq; seni. Mox cum ab aliis deliniti acquiescere viderentur, iterùm ad Numinis adorationem componere se Antistes, iterùm obturbare illi, & sua oggerero magno clamore. Nec tertius Antistitis conatus cessisset prosperiùs, nisi is fidem illis dedisset, non ante Regem nominatum iri, quam factum desiderio eorum fuerit satis. Sic tandem (XVII. Novembr.) ruentibus simul in genua omnibus, habitæ preces: confestimq; in diversa digressi, ad sui Palatinatûs antesignanos singuli sese aggregabant. Illi autem Palatinatuum Duces in suo quisq; cætu suffragia perrogantes, unū *Joannis Casimiri* Nomen ab omnibus & singulis audière. Nempè enim, dum circa pactorum formulam disputatum supra fuit, plenissimè interim in partes hujus Principis etiam ii, qui validissimè alteras ante fovissent, concesserant. Et ipse Candidatus alter, Princeps pius ac mitis, nunc autem magis à familiaribus quibusdam, quàm ambitu insito ad Regni spem impulsus, tandem primi natûs juri, & nimis liquidò elucenti divino nutui animum & vota sua, postquam rebus suis clientumq; suorum certis cautionibus prospexisset, adeò non ægrè submisit, ut & preces ipse suas per literas pro

*Carolus Princeps cedit Fratri natu majori.*

ras pro fr re deniq; interponeret. Ita non tantum o ni illo ordinum cœtu suffragatore, sed dversante jam omninò nemine, destinatu addictumq; Joanni Casimiro sceptrum t Poloniæ. Mox ex utroq; ordine nom nati, qui de *pactis*, ut vocant, *conventis*, transigerent cum Principis electi legatis. ui erant Georgius Tiskievicius Episcopus Samogitiæ, Christophorus Coniecpolsci s Palatinus Belzensis, Stanislaus Varlicius alatinus Masoviæ, Stanislaus Naruszevi cius M. D. Lithvaniæ Referendarius, Chri tophorus Gembicius structor seu neralis Regni, Alexander Lubo- egni stabulo præfectus, Alexander Coniecpolscius tum Aquilifer Regni, Adamus Sieniavius Præfectus tum Leopolitanus, Albertus Lubienscius Signifer Siradiensis, Thomas Sapieha familiaris Regis aulicus. Hi jurejurando obstricti, nomine Regis Electi, in leges jam olim aliis Regibus, & proximè Vladislao IV. propositas condicunt: videlicet:

*Transigunt cũ Joan. Casimiro Magnates selecti.*

*Regem nec hæredis Poloniæ nomen usurpaturum, nec successorem sibi ullo modo vel arte designaturum; sed leges sanctionesq; super eligendi Regis libertate olim vel recens factas sanctè servaturum.*

*Leges Principi electo ab Ordinibus præscriptæ.*

*Pacem*

Pacem inter dissidentes in Religione secundum conventa convocationis nuperæ Varsaviensis, tuiturum.

Græci ritûs homines, ad regulam propositorum in Electione olim Vladislai Regis articulorum, perpacaturum.

Apparatuum bellicorum diligentem habiturum curam, addito in id, super usitatos antè sumptûs, novo certoq; ex Regiis bonis reditu: assignatoq; omni huic paratui & instrumento militari curando, binis præfectis generalibus.

Gymnasium militare, exercendæ munitionum operumvé bellicorum arti, tum disciplinæ tormentariæ, ad lineas & principia à Vladislao defuncto ducta, exstructurum.

Pacta & fœdera cum exteris Principibus, adeoq; pacem cum iis firmaturum.

Rempublicam, recuperatis amissis, redintegrare, & undiq; quietam reddere conaturum.

Compositioni inprimis belli, ex occasione Regni Svecici olim orti, ex utroq; ordine Senatorio & Equestri in Comitiis Coronationis designaturum arbitros, datâ iis plenâ potestate tractandi negotium ad formulam, tum à Rege & Republ. præscribendam.

Ad Magnum Moscoviæ Ducem ex iisdem Comitiis missurum legatos fœdus amicitiæ stabilituros.

*curam proventumq; dispensationi*
*plenè remissurum.*
*tu & consensu Reipubl. nec copias*
*xternorum in Regnum introductu-*
*bello quenquam lacessiturum,*
*m extra fines ducturum, aut gre-*
*i passurum.*
*nuniendæ Camenecie à Rege de-*
*a continuaturum sumptibus suis,*
*or propugnacula in finibus Re-*
*imis belli Ducibus visum fuerit,*
*.*
*ã insuper Puckum, necessarium*
*pugnaculum, emuniturum.*
*s cujuicunq; conditionis nec ad*
*neq; ad munia, Dignitates, Præ-*
*admissurum.*
*n dignitati Regiæ congruum ex*
*hvanis, & annexarum provin-*
*s more & stipendio veteri habi-*
*er quoq; Prætorianum satelli-*
*uctor indigena, non Regi tan-*
*ipubl. sacramentum dicturus,*
*liis Curialibus, cumq; ipso sa-*
*risdictione Mareschalcorum*

*nonnisi ex legum veterum*
*consilio Senatus initurum, &*
*ux fuerit, non plures ei famu-*
*los comi-*

los comitesvé peregrinos adesse passurum, quàm visum fuerit Senatui.

Sigillo privato non usurum ad negotia Reipublicæ.

Muneribus Reipubl. Curiæq; ut sua potestas & ordo integer maneat, & ne ea vel à privatis occupentur vel vacua maneant, vel deniq; numero minuantur, curaturum.

Judicia, secundum pacta cum Henrico Rege olim inita, ex sententiâ Senatorum & Magistratuum Regi assiduorum, administraturum: deliberationibus uti & negotiis à Vladislao Rege nuper in suspenso relictis, finem impositurum.

Oeconomias, præter usitatas hactenus, mensæ Regiæ nullas addicturum, & usitatis, secundũ jura & privilegia earum, fruiturũ.

Munera, beneficia, ac dignitates, quas ex Comitiorum Coronationis, veterumq; etiam legum præscripto, uni simul habere nefas esse reperietur, non daturum uni.

Officia non ultra sex septimanarum spacium relicturum vacua.

In Comitiis verò inter prima negotiorum habiturum horum ipsorum officiorum collationem, & per Cancellarios eam promulgaturum. Collaturum deniq; illa secundum leges indigenis, paritate juris gaudentibus, benè meritis, ætate & judicio vigentibus.

Militiam

equestrem pedestremq; ex consi-
meliori ordine compositurum;
Reipubl. milite externo, tantisq;
ndiis, tum ne subditis adeò gra-
d suo stipendio contentus sit, pro-

(vulgò Clenodia) à Sigismundo
saurо Regni in usum sumpta
, & thesaurum illum minimè
Rege imminutum, sed spontaneis
ionibus auctum iri.

m, quod Comitia Coronationis
nunciaverint, ex consilio Ordi-
e conaturum.

ritimæ, in Reipubl. necessitates
consilio Ordinum, initurum

c Conventu Electionis, ardua
n permiserint, ea, quæ in Re-
ithvaniæ &c. à juris bonivé or-
nt, corrigere, aut curã de mo-
ributricis, de legibus Interre-
one jurium, compositione sta-
emiæ Cracoviensis, suscipere,
ssoribus contra leges admisa,
misa executurum, legum cal-
ationibus aut exemplis cum le-
s haud indulgendo.

*nmâ Neopolitanâ in Comitiis Coro-
initurum consilium.
s in universum jura, libertates, pri-
ic statuta Regni, M.D. Lithvaniæ &
um his provinciarum civibus, Eccle-
Politicis, nec non Urbibus justè &
è data, ut & omnia Comitiorum Co-
nis Henrici, Stephani, Sigismundi,
laiRegum & hujus ipsius conventûs sci-
nia deniq; in proximis Coronationis
is inposterum Comitiis de consensu Or-
n sciscenda sanciendaq;, in omnibus eo-
punctis & clausulis tuiturum, literasq;
irmationis jurium & pactorum daturum,
nplo duorum Decessorum & inprimis lau-
issimæ memoriæ Patris sui vestigiis insi-
ndo.*

*Quod si id, quod Deus avertat, juribus,
ivilegiis, conditionibus istis vim fecerit, aut
bsequi omiserit, cives utriusq; gentis à fide
& obsequii nexu (secundum legem anni 1590)
iberos & solutos fore.*

Pactis his, quæ nos hîc compendio, & de Polonico in Latinitatem, qualem talia patiuntur, transfusa dedimus, ubi legati fidem Regiam, jurejurando insuper paulò post firmandam, jurati & ipsi, adstrinxissent, nihil jam restabat, quàm ut præstito, quod Prussis Archiepiscopus promiserat, ad Nominationem accederetur. Quæ



æ tandem, Prussis ad
ais desideria sua, quan
ac sine quiritatione p
Novembr. cum bono
episcop non sine reli
ardore in ejusmodi
*: Nomino Regem Poloni
Lithvaniæ annexarumq
mem Casimirum Sueciæ
, cœleste Numen inv
olim Regno huic
in sustinendo hoc
electionem Respubl. i
q; & inprimis Ec
em esse velit.*

ero die Rex nomina
Baptistæ sacrum ing
perorante Stepha
mioris concionato
ensem Insulâ, &
egni evecto, sacra ve
copo, rite operatus,
Archiepiscopum
m obvios habet,
&, ut in ea, ex
scentes. Itaq; is
præeunte Ossolinio
jurat: *Ego Joan*

... idem, Prussis ad Comitia Coro-
... desideria sua, quanquam ægerri-
... ne quiritatione prolatari passis,
... mbr. cum bono Deo successit:
... op non sine religioso quodam
... re in ejusmodi verba prorum-
... *ino Regem Poloniæ & Magni Du* *Nomi-*
... *niæ annexarumq; Provinciarum-* *natio*
... *Casimirum Sveciæ Regem hæredi-,* *Regis.*
... *leste Numen invocans, ut hunc,*
... *olim Regno huic destinavit, gra-*
... *sustinendo hoc munere juvet,*
... *tionem Reipubl. isti faustam for-*
... *& inprimis Ecclesiæ Catholicæ*
... *esse velit.*

... die Rex nominatus templum S.
... Baptistæ sacrum ingreditur. Ubi rei
..., perorante Stephano Wydzgâ fa-
... oris concionatore Aulico, postea
... iensem Insulã, & deniq; ad Primá-
... gni evecto, sacra verò peragente Ar-
... copo, ritè operatus, ad altare majus,
... m Archiepiscopum & Mareschalcum
... trem obvios habet, pacta conventa,
... tes, &c, ut in ea, ex lege promissi sui
... poscentes. Itaq; is genibus innixus,
... a præeunte Ossolinio Cancellario Ma-
... jurat: *Ego Joannes Casimirus Ele-*

 *ctus Po-*

*ctus Poloniæ Rex & Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ &c. spondeo & sanctè juro Deo Omnipotenti ad hæc sancta JEsu Christi Evangelia, quòd pacta conventa per Oratores meos cum amplissimis Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ cæterarumq; Provinciarũ Ordinibus in electione nostrâ transacta, & eorundem Oratorum juramento confirmata, in omnibus eorum articulis, punctis, clausulis, conditionibus, ita ut nec specialitas generalitati, nec generalitas specialitati deroget, servabo, manu-tenebo, & adimplebo, atq; ea omnia iteratò etiam in solenni nostrâ coronatione juramento confirmabo, sic me Deus adjuvet, & hæc sacra Christi Evangelia.*

Factum hoc præsentibus, Matthiâ Lubienski, Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato, Primate, & Primo Principe Regni, Petro Gembicki, Episcopo Cracoviensi, Andreâ Szoldrski, Episcopo Posnaniensi, Andreâ Gębicki, Episcopo Luceoriensi. Venceslao de Leszno Lesczynski, Episcopo Varmiensi, Paulo de Piaseczno Piasecki Episcopo Premysliensi, Andreâ de Leszno Leszczynski Episcopo Culmensi, eodemq; Procancellario Regni. Stanislao de Buzenin Pstrokonski, Episcopo Chelmensi, Christophoro Opalinski, Palatino Posnaniensi, Christophoro Chodkiewicz, Palatino Vilnensi,

nenfi, Jan sfio Radziwil, Generali Samo-
gitiæ Cap aneo, Campeftri Duce M.D.L.,
Jeremia M ichaële Wifniowecki, Palatino
terrarum R uffiæ, Georgio Hlebowicz, Pa-
latino Sm lenfcenfi, Paulo Sapiehâ, Pala-
tino Viteb enfi, Stanislao Warfzicki, Pa-
latino Ma zoviæ, Alexandro Oginski, Pa-
latino Mi fcenfi, Michaële Stanislao, Co-
mite de T rnow, Caftellano Woynicenfi,
Theodoro Stetkiewicz, Caftellano Novo-
grodienfi, Lucâ Opalinski, Supremo Regni
Marfchalco, Alezandro Ludovico Radzi-
wil, Marfchalco Supremo M. D. Lithv.
eorgio de Teczyn Osfolinski, Supremo
egni Cancellario, Alberto Stanislao Rad-
wil, Cancellario M. D. L., Cafimiro Leo-
Sapiehâ, Procancellario M. D. Lith.,
amo in Czasniki Kazanowski, Mar-
halco Curiæ Regni, Joanne Antonio
fzkiewicz, Marfchalco Curiæ M. D. L.
ichaële Gedeone Tryzna, Thefaurario
premo M. D. L., Alezandro de Otok
leski Referendario Regni, Stanislao Na-
fewicz, Referendario M. D. L.; Chri-
phoro Gembicki, Incifore Regni, Ale-
ndro Lubomirski, Præfecto Stabuli Re-
i, Boguslao Radziwil, Præfecto Stab. M.
Lithv., Alexandro Koniecpolski Vexil-
fero Regni, Theodato Oginski, Vexilli-

D. Lithv. Nicolao Ostrorog, Pocil-
Regni, Casimiro Tyszkiewicz, Po-
e M.D.L., Vincentio Corvino Gosi-
Dapifero M.D.L. Georgio Lubomir-
apitaneo Cracoviensi Gener. Bogus-
sczynski, Generali Majoris Poloniæ,
ne Wielopolski Biecensi, & Bochnensi
taneo, Joanne in Zamoscie Zamoyski
taneo Kalusiensi. Adamo Sieniawski,
itaneo Leopoliensi, Hyacintho de Mi-
low Michalowski, Dapifero terræ Ro-
ensis. Emerico Mleczko, Capitaneo
elnicensi, Hieronymo in Radziecowice
adziejowski, Incisore dapum Serenissimæ
eginæ Poloniæ, Daniele Zytkiewicz, In-
igatore Regni, Georgio Monvid Irzyko-
vicz, Marescalco Vilkomiriensi, Ceslao Ca-
imiro Miloszewski, Secretario S.R.M. &c.
Regi jurato Cancellarius decretum Ele-
ctionis in chartâ pergamena descriptum &
Procerum Equitumq; subscriptionibus fir-
matum tradit. Cui brevibus verbis Rex, di-
sertissimâ autem oratione Boguslaus Le-
sczynius nomine Regio respondit in hunc
modum:

a- it de o. *Prima vox, quam Serenissimus Princeps Joannes Casimirus per faventem Numinis divini & tot suffragiorum liberrimum consensum, in hâc excelsâ Regni speculâ positus,* eloqui-



*...mum nobis esto ...ementissimæ dominatio... quippe is à testificat... populi in se bene... ex illo auribus ... errante, in animo a... futuro concentu voc... VIVAT REX C... Fuit olim ... cum subditis, ad... eventu admissis, ... esset, gratias age... hâc, Principi no... Rex futurus à g... quo cives suos allo... præ omnibus popu... clarissima Respubl... eligitq;, cui su... committere ve... fortuita, non i... flectens sententi... sentit suffragatione... non se supplicem ... sed Monarcha... festinare. Læt... tantum & suspi... qualescunq; ... judicia accedant, ... non sine singula...*

Primum nobis esto futuræ ejus in
...issimæ dominationis augurium.
...ppe is à testificatione agnitæ in-
populi in se benevolentiæ; emi-
et ex illo auribus ipsius svavissimè
...ante, in animo autem nunquam
...ro concentu vocum, lætissimum
...VAT REX CASIMIRUS;
...ium. Fuit olim in Romanâ Re-
...s, cum subditis, ad aures principis,
...ventu admissis, omnium sermo-
...esset, gratias agere. O quanto
...hâc, Principi nostro natali terrâ
Rex futurus à gratiis sermonem
...to cives suos alloquitur. Habet
...fectò præ omnibus populis, quo trium- Electionis bona.
...hæc clarissima Respubl., quod arbitrio
...nit eligitq;, cui summam Regni sui
...committtere velit; non in ortûs
...fortuita, non in cunas, sed illuc
...flectens sententias, quò cœlestem
...sentit suffragationem. Habet quo
...non se supplicem in Monarcharum
...; sed Monarchas venerabundos in
...festinare. Lætatur meritò, quod
...& suspiriis expetuntur bo-
...tantùm ... qualescunq; autem tolerantur:
...es, accedunt, accedunt consilia,
...dicia accedunt, ... nobi-
...non sine singulari majestate, nobi-

 les con-

[illegible]s confident, feruntq; sententias. Lætatur, quod non servientium populorum exemplo, gratias agit pro Principe, qualemcunq; è do[illegible]o regnatrice sors nascendi dederit: sed ipsi potiùs pro Regni diademate à principibus gratiæ aguntur. Verùm minimè quoq; Rex noster illis Principibus invidet, quibus sceptra & diademata natales sui afferunt. Mavult is voluntatum subditarum priùs, quàm fortunæ [illegible]ut sceptri dominantis adire possessionem, ac hæreditatem; mavult ante pectora obtinere, quàm coronam. Atq; ô quàm pulchri dominatûs, quàm dulce argumentum, quàm magnificum specimen jam habet, cum servire nescientis populi corda se illi spontè & ultrò subjiciunt! Quàm illustre Divinæ benevolentiæ pignus recipit, quando Numen, communicato quasi regimine; soli alioquin sibi proprio, prius mentium imperium Principi, quàm throni mortalis fastigium permittit? Cæterum non nescit quoq; Serenissimus Rex molis, quam suscipit, gravitatem. Non ignorat, quàm arduum semper, quamq; fortunæ subjectum cuncta regendi onus sit, inprimis in eo Regno, ubi jam summa imis miscet fortuna; & saucia à servili barbaráq; manu, publica res gravissimè laborat. Intrepidè nihilominus ad clavum hunc admovet dextrã, fretus Divinæ Majestatis ope, ut quæ

Difficultates muneris Regii.

ut quæ sol[illegible] iam, manifestis singularis gratiæ
indiciis, a[illegible] itrium dederit in bella nostra,
quæq; ma[illegible] m fumi pulverisq; militaris non
inexpertar[illegible] ita dirigat, ut ad famam ejus, im- Bona o-
mensa per[illegible] uellium catervæ, in cubilium suo- mina &
rum latib[illegible] la paulò post recessuræ videan- vota.
tur. Erit [illegible] revi, ut templa sua sacerdotibus,
& templis [illegible] splendor, & aræ fortunæq; afflictis
civibus re[illegible] dantur. Habebit ultorem nobilis
æsorum [illegible] ngvis, & qui nostro adeò inhiâ-
unt cruo[illegible] i, in suo brevi natabunt. Redibit
enimq; opt[illegible] tissima terris pax, & cum hac de-
ciæ gener[illegible] is humani. Porrò autem non diffi-
ur Rex [illegible] Serenissimus, magnum se de manu
[illegible] ipere thesaurum: dum ingens il-
d libertatis, boni delicatissimi, depositum
concreditis. Natq enim cùm sit in gremio
ius Reipubl., cum domûs suæ decora lon-
serie posita hîc intueatur, ignorare non
est, quid sit libertas Polona. Splendidis-
æ domûs Jagellonicæ surculus est, sine du-
etiam imitator erit. Prælucent illi facem Spes de
grandes avi, prælucet magnus parens Rege ele-
rismundus, prælucet inclytus frater & ve- cto.
simus bellicosorum, simulq; felicium Re-
m archetypus Vladislaus. Omnes tenerio-
n libertati subditorum, quàm propriæ do-
nationi curam soliti impendere. Signato
præclaris majorum vestigiis tramiti, haud
dubiè

*...ebiè instituturus Serenissimus Princeps, fidei ...e pignus jam ad sanctum altare, religiose, nec unquam violando jurejurando ...edit. Certare ille cum patriâ nostrâ & suâ donabitur benefactis. Et quemadmodum ab illâ, quod suavissimum habet, accepit; ita vicissim tanquam gratus memorq; beneficiorum primogenitus, matri suæ omnia optima maxima sua devovet, mite in subditos imperium, impensissimam pro bono publico curam, promptissimos in omne genus laborum humeros, vitam Reipubl. vectigalem & non minùs oneri, quàm honori sacratum caput offerens.* Gladio, *quem lateri adaptat, domabit Regni hujus hostes;* sceptro *negotia Reipubl. componet ordinabitq;* aureo *honoris prosperitatisq;* pomo, *togâ sagove id quærentes beabit: nihil deniq; à vobis accipiet, ut sibi habeat, sed ut quicquid datur illi, id à manu gestatrice splendidius pretiosiusq; redditum, cum pluribus quàm pulcherrimè communicet.*

*Exequiis Vladislai Regis tempus præfinitur.*

Sequentibus diebus alia in futurum præsentemq; Reipubl. usum constituta. Præcipuè defuncti Regis exequiis decima quarta Januarii sequentis; inaugurationi autem electi Regis decima septima, Comitiorum auspiciis XIX. ejusdem mensis præfinita est. Vexilliferis quoq; terrarum & Palatinatuum om-

um omnium imperatum, ut dicto exequiarum Regiarum die Cracoviæ adſint, ſignum quisq; Palatinatûs ſui, funeri, ex more, prælaturi. Rex inſuper rogatus, ut etiam antequam diadema ſuſciperet, curam rerum turbatarum, inito cum Primate, & Senatoribus, Ducibusq; belli conſilio, gerat. His actis XXIII. Novembr. ſolutus eſt conventus, fine minus compoſito, quod pleriq; nobilium ab hoſte adeò propinquo, ſuis domi rebus metuentes, abitum præcipitarent; & Pruſſi inſuper ſui minus habitam rationem quererentur; aliqui viciſſim auxilium laborantibus cæteris ſubtrahere determinati ſunt. *Conventus raptim diſſolvitur.*

Archiepiſcopus cum aliis Senatoribus nonnullis Varſaviæ manſit, perficiendis quæ in publicis adhuc agenda reſtarent. In ...mis Pontifici Imperatoriq; Romanis per ...eras gratiæ actæ pro impenſâ rebus Poloniæ ſollicitudine, ſimulq; quod gratisſimum auditu fore credebatur, nunciatum ...Joannem Caſimirum maximâ tandem ...nſenſione, & ipſorum etiam adverſariorum pace, nuncupatum Regem. Mox & ...ecorum Reginæ datum reſponſum; *...ndudum, ſub Rege etiam defuncto, Rem... ...l. honeſtæ pacis, quàm belli cum Svecis ...idiorem, Ducis Curlandiæ pacificos conatus pr...* *Reſponſa Principibus exteris data. Uti Reginæ Sveciæ.*

Probâsse. Similem animi propensionem [illegible] literæ quoq; Reginæ & missus ab ipsâ [illegible]rentius Cantersteinius Secretarius Sta[illegible]testentur, tanto ampliorem spem esse, [illegible]munibus utriusq; gentis votis subscriptu[illegible] Numen. Quod ad sequestros pacis at[illegible]eret, eos in pactis nominatos. Ex quibus [illegible]ia Britanniarum Rex domesticis discordiis [illegible]ineatur, ejus vicem ut Respubl. Veneta [illegible]cipiat, sibi quoq; volentibus fore. Nec de [illegible]o difficiles esse velle. At Francofurtum ad [illegible]deram situm, multis ex causis opportunis[illegible]um suis videri. Eò maturè venturos De[illegible]atos, ubi de tempore à conciliatoribus Res[illegible]bl. fuerit monita. Cæterum sperare se, [illegible]m gratam fore Reginæ, in Electione istâ, [illegible]ndus habuisse commendationem ipsius, & [illegible]nsi fuisse id, quod ad stabiliendum æternæ [illegible]cis fœdus facere, aut necessarium esse, vi[illegible]m sit. Testem actorum fore Cantersteini[illegible]m; & eundem de iis quoq;, quæ jam non [illegible]ibantur, relaturum. Cæteris Principi[illegible]us, quorum legati aderant, Electionis [illegible]entus pariter cum multâ studii testificatione nunciatus est: si quæ verò postulata [illegible]tulerant, ea pleraq; in proxima Coronationis Comitia rejecta fuêre.

Rex verò Electus non ante sceptro, quàm Patriæ gravissimè laboranti manum apposuit.

*fuit. Scripſerat* is jam antè per Georgium Jarmolevicium ad Chmelnicium literas, *hortatus hominem, ne Electioni ab exercitu Zaporoviano obſtrepi aut impedimentum poni pateretur.* Sed nuncius iſte tardius, ob morbi interventum, pervenerat ad Chmelnicium, uti ex reſponſo ejus, cujus autographum mecum habeo, colligere licet. Nunc verò ſimul ut in ſe ſuffragiorum conſenſum ire Princeps intellexerat, illicò Smarzevium Secretarium ſuum ad eundem Chmelnicium ablegat, Regem ſe jam Poloniæ nuncians, monensq; ſimul, ut miſſâ hoſtilitate reducat copias ſuas. *Reperit quandoq; etiam inermis apud armatos Majeſtas venerationem, addente ipſo cœleſti Numine principibus neſcio quid non auguſtum tantùm, ſed penè divinum, quo animos hominum, etiam barbarorum, percellant.* Chmelnicium certè breviſſimæ Regis literæ movêre, ut cum pactis Zamoſcianis ab urbe diſcedere promiſisſet, ad mandatum iſtud Regium ſine morâ exercitum omnem retrò in extremam Rusſiam duxerit. Sed is etiam, antequam Smarzevius adesſet, velut propinquum jam ſceptro Regem odoratus, remittere cæperat animum, misſoq; Varſaviam eodem illo, qui ad Leopolin & Samoſcium conciliator pactorum exſtiterat.

*Rex electus de Coſacis pacandis cogitat.*

*Chmelnicius Regem electum veneratur.*

Exstiterat, Mokrscio Canonico, quicquid hactenus à se, & Cosacis perpetratum esset, eodem, quo sæpè antehac, modo excusare studuerat.

*Chmelnicius excusat facta sua.*

*Nempe magnâ se necessitate in ista facinora impulsos. Primum enim à non paucis Proceribus magnis emalis mactatos, posteà etiam cum, superatis Polonorum exercitibus meruissent non contemni, non paucos suorum exquisitis torminibus exagitatos, & deniq; in crucem actos. Mox se iterùm compositionum ostentàmentis insopitos esse, sed hostilia alibi omnia suis nihilominus illata. Verum ex eo tempore successus in aperto esse. Inde tamen minimè sese inflatos, spirare illicita: quin adhuc potius patratorum sibi veniam, sed simul Magnatum quoq; illorum justam reprehensionem petere. Spretis his desideriis suis, manifestum futurum, se quoq; ipsos, & servitia sua fastidiri.*

*Rex Chmelnicio placidè respondet.*

Quibus ritè expensis Rex tandem ita respondit: *Gratam sibi eorum sub antiqui obsequii leges redeundi promptitudinem, & pro fido resipiscentis animi indicio esse, quod, relicto Zamoscio, pedem tulerint retrò. Clavam ferream (Bulavam Poloni vocant) & vexillum, summi à Rege in exercitum Zaporobianum imperii, insignia, brevi se missurum Chmelnicio. Facinora, quia eluere ea tanto*

gnioribus inposterum servitiis pol-
condonare se, pœnitentiâ ipsorum
. Quod exercitum Zaporobia-
otestate Regis tantum & Reipubl.
rarent, sibi quoq; probari. Neq;
e aliter. Nec quæ de unione seu
r Græcam & Latinam Ecclesiam
ntur, amplius moratura pacem;
jam à se arbitros seu Commissa-
em definituros. Quicquid juri-
orumq; olim habuissent, quic-
etiam ab illis Delegatis per a-
lultum fuerit, in proximis Co-
omitiis firmaturum se, dum ad
a ipsi delegatos suos mittant,
iâ Majestati supplicaturos. In-
s Polonicos procul ab ipsis ha-
Commissarios amplius quin-
bus in comitatu ducturos. Pari
m Chmelnicium ad capessen-
Cosacos imperii insignia, &
ræstandũ, totiusq; transactio-
um, adesse debere. Tartaros in
estem multitudinem ad suã
mittendam: & populatores
s, missis edictis publicis, re-
iq; exercitum in Zaporobia-
ucendum.

His

*Chmelnicius ex Poloniâ redit in Ukrainam.*

His literis acceptis, Chmelnicius tanto promptiùs reditum ex Poloniæ visceribus maturabat; stimulum insuper adhibente hyeme. Nam in terrâ à suis passim pervastatâ, graminum quoq; per alienum anni tempus vacuâ, immenso illi hominum equorumq; numero defecturum pabulum videbat; minutiore verò exercitu, Poloniam, adeò jam non hostili tantùm violentiâ, sed suâ quoq; ignominiâ irritatam, deniq; Capite jam novo animosam, porrò lacessere non audebat.

*Commissarii destinati ad Cosacos.*

Rex autem Electus cum Senatoribus deliberat, quos ad arduum istud conciliationis negotium adhibeat. Et tandem in sex viros, rerum sanè agendarum gnarissimos, consensum. Caput omnium iterùm esse jussus est Adamus Kisielus Palatinus tum Braclaviensis, cui collegæ dati; Maximilianus Brzozovius Castellanus Kioviensis, Albertus Miascovius finibus terræ Leopoliensis regendis præfectus, vulgò Succamerarius, Nicolaus Kisielus Signifer Novogrodiensis Palatini frater, Jacobus Zielenius Pocillator Braclaviensis, Zacharias Dux Czetvertinius, additus deniq; Smarzevius Regi à Secretis. Hi lentè admodùm sumptum ex Regni ærario adepti, vix decimâ sextâ Januarii Anni 1649. Huisciæ, Kiseli

*tini* oppido, in Voliniâ extremâ ad
n ſito, convenêre, Pereaslaviam
*uò ad* colloquium ab hoſte invita-
ipſi alioquin Kioviam malentes,
*onâ* Februarii, hyeme gravisſimâ,
t. Hîc quid effecerint, poſt me-
ubi quæ tempore antecesſêre,
).

RIÆ POLONÆ PLENIORIS

## LIBER V.

, ubi pacis conciliato- *Annus M. DC. XLIX.*
expeditioni ſatis datum tempo-
sſet, Cracoviam ad exſolvenda
ncto juſta, & diadema exin ſu-
n, habendaq; mox Comitia, cir-
ni auſpicia, profectus eſt. Quem
cerum comitati, alii inſecuti, *Rex electus Cracoviam ingreditur.*
n prævenêre. Erat Januarii deci-
cùm Rex equo inſidens, & um-
uod quatuor urbis Conſules fe-
lopertus, metropolin Regni ſui
ur, præcedentibus ipſum Ma-
quitumq; longâ & multum ni-
pâ, peditum item cohortibus ſu-
a, turmis deniq; viginti quinq;,
Q quarum

Quarum utrarumq; major pars ex civibus, reliquum ex Regiis Magnatumq; militibus constabat. Sequens dies exequiis defuncti Regis datus est, recepto hîc more, ut non nisi sepulto decessore. Rex Electus diadema capessat; fortasse ut sic inspectâ mortis pompâ, mortalitatis suæ admoneatur, & eò attentior accedat imperium, cujus rationes post mortem quoq; redditurus sit.

*Cadaver Vladislai Regis in Urbem deducitur.*

Cadaver Regium ex coemiterio templi Mariani in arcem, octo equis, holoserico rubeo tectis, deducebatur: præeunte tum militum, arma inversa trahentium, tum juxta Sacerdotum Monachorumq; longissimâ serie. Quorum agmen claudebant tres Episcopi & Cracoviensis Suffraganeus, omnes Pontificali habitu induti. Hos sequebantur Vexilliferi provinciarū, numero vigintiseptem, sui quisq; Palatinatûs signū ferentes. Inter quos eminebat Regni Aquilifer Alex Coniecpolscius.

*Pompa funebris.*

Illis succedebant Canonici Cracovienses & Musici magno numero. Hinc Senatores conspiciebantur: ex quibus Castellanus Lublinensis vellus aureum, Palatinus Smolenscensis Sceptrum Svecicum, Lublinensis Polonicum, pomum aureum Polonicum Castellanus Sendomiriensis, Svecicum Voinicensis, Diadema Polocicum

Palatinus Rusſiæ, Svecicum Mazo-
Magnus Cancellarius Sigillum,
egni gladium, Mareſchalci bacu-
ant. Senatorum veſtigia excipie-
s cadaver Regium vehens. Quem
ſequebantur Dux Boguslaus Rad-
& Joannes Zamoſcius; tandemq;
cio Apoſtolico & Palatino Bre-
itatus. Inde magiſtratus Craco-
mox turba promiſcua. In Arcis
cipiebant Regem Archiepiſcopus
s, Cracovienſi & Cujavienſi Epi-
atus. Ubi ſacro ritè peracto, Ma-
rò defuncti Regis ab Epiſcopo
ſi Andreâ Szoldrſcio honorâ o-
rentabatur. Poſthæc Mareſchal-
are baculos ſuos, Cancellarii ſi-
ea, Jacobus Michalovius Tribu-
enſis clypeum, Sborſcius haſtam
pant. Signum, quod cuſpidi lan-
n hærebat, à Rege ipſo attolle-
s actis, cadaver è pegmate, hono- *Tumulatur Vladislai Regis cadaver.*
cto, ad tumulum paternum, qui
lum eſt, deferebatur: Rege ipſo
am demittendum esſet cadaver,
im admovente: teſtandæ ſcilicet
m mortuum ultimæ pietati. *Po-
dem alio ſolenni religioſoq; offi-
Q 2 cio

*calkam tendit magnâ religioſitate.*

[illegible]io defunctus est. Urbis Cracoviae eâ parte, quae Casimiria appellatur, sacellum est pervetus (Skalka vulgò vocatur locus) sed multo auro, picturisq; exquisitissimis splendidum. Inprimis autem celebratissimi per Poloniâ Martyris S. Stanislai memoriae sacrum habetur, sanguine ejus olim, cum altari illi adstans à Boleslao Audace occideretur, conspersum. Unde Rex ille diris devotus à Pontifice Romano Gregorio VII.; & porrò successoribus ejus deinceps impositum est, antequam diadema Regium capessant, ut adspersam Regno labem pio supplicio hîc expient. Quod à Regibus hactenus omnibus factitatum, Hic minimè omisit. Pedes quippe huc venit, & mox prono in terram corpore coram altari provolutus, & sacris porrò vespertinis, magno Procerum comitatu, solenniter operatus est. His ceremoniis velut lustrabatur ad Diadema, quod die sequenti XVII. Januar., tali ritu suscepit. E conclavi suo in Cathedrale arcis templum, S. Stanislao sacrum, tum verò, praeter solitum, magnificis tapetibus undiq; exornatum, veste & ipse pretiosâ, ac ad hunc actum dedicatâ conspicuus, à Senatoribus deducebatur. Ubi cum in sellâ, contra altare positâ, consedisset, paulò post à duobus Episcopis ad altare

Coronationis solennia



ipsum deductus,
sacris, projectus &
protensis humi
hymnus dec
sacramentum s
in haec verba A
JOANNES
Rex Poloniae, Ma
Prussiae, Ma
Smolensciae, C
Svecorum, Go
haereditarius Rex,
utriusq; gentis, t
caeterarumq;
Magnoq; D
& incorpor
libere electus, sp
potentis, ad hae
Quod omn
privilegia
communi utriusq; g
leges Eccle
Catholicis Roma
Nobilibus, civi
personis cujusc
suspensibus, per
leges, & quoscu
& Magni Duc.
vero Casimirum

m deductus, aliis omnibus in
is, projectus & ipse in faciem,
rotensis humi eousq; decubuit,
æ hymnus decantaretur. Posteà
cramentum solenne præstitit,
n hæc verba Archiepiscopo:

*OANNES CASIMIRUS, x Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, Smolensciæ, Czerniechoviæq; &c. Svecorum, Gottorum, Vandalo- reditarius Rex, per omnes Regni or- iusq; gentis, tàm Poloniæ quàm , cæterarumq; provinciarum Re- niæ Magnoq; Ducatui Lithvaniæ m & incorporatarum, communi liberè electus, spondeo ac sanctè juro ipotenti, ad hæc sancta JEsu Christi a. Quod omnia jura, libertates, ates, privilegia publica & privata, muni utriusq; gentis & libertatibus ria, leges Ecclesiasticas & seculares, Catholicis Romanis, Principibus, Ba- Nobilibus, civibus, incolis, & qui- personis cujuscunq; status & condi- cistentibus, per Divos prædecessores eges, & quoscunq; Principes Regni , & Magni Ducatûs Lithvaniæ, præ- erò Casimirum Antiquum, Ludovi-*

Juramentum Regium.

cum (Lois nuncupatū,) Vladislaum primum Jagiellonem dictum, fratremq; ejus Vitoldum, Jagiellonis filium Casimirum Tertium Jagielloniden, Joannem Albertum, Alexandrum, Sigismundum Primum, Sigismundum Secundum (Augustum,) Henricum, Stephanum, Sigismundum Tertium piæ memoriæ Parentē nostrum, Vladislaū deniq; Quartum Fratrem nostrum, Reges Poloniæ & Magnos Duces Lithvaniæ, justè & legitimè datas, concessas, emanatas & donatas, ab omnibusq; Ordinibus tempore Interregni statutas atq; sancitas, mihi oblatas, tum pacta conventa, per Oratores meos cum Ordinibus Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ inita, manutenebo, observabo, custodiam, & adimplebo, in omnibus conditionibus, articulis & punctis in eisdem expressis; pacem quoq; & tranquillitatem inter dissidentes de Religione Christianâ tuebor, manutenebo, nec ullo modo, vel jurisdictione nostrâ, vel officiorum nostrorum, & statuum quorumvis autoritate, quenquam affici opprimiq; causâ Religionis permittam, nec ipse afficiam nec opprimam, ac ea quæ in Electione nostrâ Varsaviensi constituta sunt, & quæ in Conventu Coronationis nostræ constituentur, manutenebo, iisq; satisfaciam; omnia illicitè à Regno Magnoq; Ducatu Lithvaniæ & dominiis eorundem quocunq; modo alienata,

*bello vel quovis alio modo di-*
*roprietatem ejusdem Regni Po-*
*ni Ducatus Lithvaniæ aggrega-*
*q; Regni & Magni Ducatûs Li-*
*minuam, sed defendam & dila-*
*m omnibus incolis Regni juxta*
*, in omnibus dominiis constitu-*
*nnibus dilationibus & proroga-*
*inistrabo, nullo quorumvis respe-*
*& si, quod absit, in aliquibus ju-*
*meum violavero, nullam mihi in-*
*omniumq; dominiorum uniuscu-*
*obedientiam præstare debebunt,*
*acto eos ab omni fide, obedientiâ*
*â liberos facio, absolutionemq; nul-*
*c meo juramento à quoquam pe-*
*ultrò oblatam suscipiam, sic me*
*vet, & hæc sancta Christi Evan-*

sacramento, idem Archiepiscopus *Inungitur Rex.*
Regis dextrum, humerum item
, & frontem deniq; sacro oleo
Inde in sacellum Zadzicianum à
Episcopis deducto, toga alia, Epi-
n referens, circumjicitur; Senato-
rò gladius, vaginæ aureæ inclusus,
n, pomum aureum, quæ omnia in
sacello deposita tum erant, ferenda
ur. Illa fercula gestantes, Regem
 iidem

Eundem denuò ad altare ducebant, ubi post habita precũ solennia, Archiepiscopus cum aliis Episcopis, deniq; diadema capiti ejus imponit, mox & gladium porrigit, quem ille quater, secundùm mundi latera se circumagens, ita vibrabat, ut crucem toties figuraret. Gladio dein Ensifero Regni tradito, dextrâ manu sceptrũ, sinistrâ pomũ aureum ab eodem Archiepiscopo suscipiebat: Hisq; ornatus, ab illo aliisq; Episcopis & Regni Proceribus ad solium Regale (sella erat holoserico, multoq; interlucente auro insignis, & in altiore suggestu, quasi theatro, posita) deducitur. In quo cum consedisset, illicò exemplum Antistitum secutus, genibus flexis, solennem hymnum, omni præsentium cætu concinente, decantavit. Inde reversus ad altare, S. Eucharistiæ particeps fit; & tandem precibus absolutis, acceptâq; solenni benedictione, Diademate, sceptro, & pomo aureo iterùm (nam inter S. cœnæ solennia deposuerat ista) ornatus, claudentib9 latera ejus Nuncio Apostolico & Archiepiscopo, aliisq; Procerum præeuntibus, in palatium Regium reducitur. Nec multo post in conclavi Senatorio publicè pransus est, ministrantibus mensæ, præter cæteros, Boguslao Radzivillio Principe & Joannę Zamoscio: assidentibus non nisi

Prandium solenne post Coronationem.

s illis Præsulibus, à quibus Re-
plo ductum diximus. Reliqui
Proceresq; eodem in cœnaculo,
aratis excipiebantur. Ita ille dies
extractus est. Sequenti luce Rex
Curiam urbis, eques procedebat,
erum splendidissimâ Senatorum,
, Militumq; insigniorum pompâ,
rio etiam Curiæ Maximiliano Os- *Missilia*
nummos alicubi missiles spargen- *sparsa*.
à parte coronam *Manipulo*, fami-
insigni, impendentem repræsen-
Addita manus manipulum tenens:
circumposita: *Dominus assumpsit*
erâ parte apparebat manus arma-
n artificiosam, & in hâc nomen Re-
plexa. Adscriptum circa: *Desuper*
*um est*. In Curiâ à primo Consule
qui tum Ochocius Medicus & Aca-
professor erat, & Magistratu univer-
ptus Rex; & mox illis recedentibus,
aliisq; Regiis ornamentis indutus,
ià tandem in theatrum, quæsitissimo
tu in foro exstructum, deductus est.
edenti in solio, idem Urbis Magistra- *Jurat*
stitit, & digitis protensis, genibusq; *Cracovi-*
sacramentum dixit. Mox & Consul *ensis Ma-*
cius claves deauratas ad Regios pedes *gistratus*.
ex deponebat; sex simul pocula ar-
 gentea,

entea, sed auro obducta offerens. Posteà Ensifer Regni gladium denudatum Regi porrigebat. Qui eo apprehenso senos homines, tergum singulorum leviter percutiendo, in numerum Equitum auratorum, quos vocant, cooptabat. His actis in Curiam Rex, & mox ibi depositis ornamentis, in Arcem revertitur. Theatrum autem, &c, quo id obductum erat, pannus, more solito in prædam plebis cessit. Simul verò dispositæ in foro machinæ detonuêre; passimq; ignes, solito artificio, in sublime missi, fragore innoxio in aëre decrepabant. His lætitiæ contestationibus strepebat totâ nocte propè civitas: sed in arce ignis interim alius haud perinde sanè festus, erupit. Qui nescio quâ Aulæ puerorum incuriâ, prope conclave Regium pabulo inconvenienti illapsus, & mox proximis correptis, eò tandem procrevit, ut in contiguâ cœnaculo turri, quicquid uri aptum esset, depasceret, ipso etiam tecto, quod cupreum erat, defluente. Sed major damno terror fuit, aliis insuper curiosioribus magnâ solicitudine in omen rapientibus casum. Pleriq; periculum Regi Regnové sed brevi flammâ deflagraturum augurabantur. Aliis spes bonas sub Regis primordia pollui indignantes, mera gaudia & ex igne hoc nescio quid sereni,

*Equites aurati fiunt à Rege.*

*Incendium in arce Regiâ Cracoviæ.*

ſcriptis publicis portendebant.
s XIX. Januarii Comitiorum
tinatus fuerat. Et paratus erat
Rex poſt peracta in templo ſa-
nq; concionem, agenda aggre-
a id abſentibus nunciis, quos *Comitio-*
eſtribus fieri ritè non poterat, *rum ini-*
nclavi multas inter ſe lites mo- *tium.*
iquot dies fruſtrà extracti ſunt. *XIX. Ja-*
iatu Rusſiæ duplices aderāt nun- *nuarii,*
n alteros in Electionis Conven- *Anno*
qui tum ex eâ terrâ adfuêre, *M. IↃC.*
Varſaviæ, metuentes, ne in loco *XLIX.*
uippe ab hoſtibus vel inſeſſo vel * *De Di-*
, id fieri non posſet. Alteros *rectore*
ninaverant Przemysliæ, quan- *nuncio-*
crepera belli & imminente jam *rum diſ-*
gregati. Qui jam illos Varſa- *ſidia.*
o creatos, nec in Comitiis pro
bendos esſe, pugnabant. Hi vi-
od Varſaviæ electi esſent, ſibi
debere negabant, cum Electio-
ntu, rata habita esſet ejusmodi
o, eademq; exemplis, inprimis
Reipubl. temporibus, ſatis excu-
t. Diu agitata res eſt; tandem
â ſecundum plures lite, pervicêre
ſliæ creati erant, quorum Ante-
erat Franciscus Dubravius Pre-
mislienſis

mislienſis Succamerarius. Cùm poſteà de Directore cœtûs Equeſtris ageretur, acerrima denuò orta eſt inter Nuncios concertatio: intercedente inprimis Succamerario Rozanenſi Petricovio, qui rationem prius Pilaucianæ diſſipationis exigendam ab iis, qui iſtic rem adminiſtrâſſent; nequicquam aliis, ne intempeſtivo rigore tempora publica moraretur, ſvadentibus. Fore, ajebant, *locum & tempus cum curâ in iſtos inquirendi: ſed agendum ex more & lege, diemq; adeò illis prius dicendam. Et paratum jam pridem illos in jus vocare Regni Inſtigatorem, niſi plerosq; militiæ muneribus adhuc implicitos revocare inde, cum publico damno, vereretur.* Alii acrius in has negotiorum moras invehebantur, minati etiam factâ proteſtatione domum redire. Et Rex ipſe mittebat ſubinde aliquos, qui ne tempora neceſſariis conſultationibus debita, litigando prodigantur, admonerent. Ita denuò perrogatæ ſententiæ Franciſcum Dubravium, Succamerarium Premiſlienſem, magnâ conſenſione Directorem conſtituêre. Qui & tandem XXVI. Januarii ( totos enim octo dies diſceptationes iſtæ combuſſerant ) Regi honorâ oratione de ſceptro gratulatus eſt. Cui Andreas Leſzcynius Epiſcopus Culmenſis & juxta Procancellarius

*Pilauciana diſſipatio culpatur acriter.*

*Director fit Franc. Dubravius Succam. Premiſl.*

ostea Cancellarius, & deniq; Archie- *Dire-*
us Gnesnensis, respondit: *Regem li-* *ctori re-*
*is Polonæ gentis suffragiis, majorum* *spondet*
*solio impositum, in laudatissimis ho-* *Andreas*
*stigiis notare, quæ Reipubl. utilia* *Comes de*
*é fuerint hactenus. Et jam thronum* *Lesznò.*
*conscendenti, nihil aliud magis in*
*se, quàm ut se ministro, virtuti benè*
*los pœnæ suæ sequantur. Novo hoc*
*natis vinculo non caput tantùm exter-*
*sed & animum arctissimè Reipublicæ*
*m, perpetuò commodis ejus salutiq;*
*turum; rationesq; cum Senatu ini-*
*ut quæ hactenus ipsam exedant tur-*
*amoveantur. Et jam nunc solici-*
*pro Regni securitate specimen, in cæ-*
*s tractatione, magno publicæ spei*
*ento, effulgere. Cupidius equidem*
*integræ florentiq; Reipubl. manum*
*um fuisse. Sed & qualem superi*
*suscipere; vulneribusq; ejus opem,*
*ssit, maximam præsentissimamq;*
*Vota gratulantium accepta Regi*
*ut Cœlum ea sanciat, optare. Ad*
*em deniq; manûs, quam superi bo-*
*ram, malis severam, hostibus terri-*
*ram, patere jam accessum.* Ubi fi-
nt, supplex Dubravius ad Re-
scopus, supplex Dubravius ad Re-
sit, manumq; ejus osculatus est.
Quod

*Cancellarius proponit deliberanda.*

Quod & reliqui Nuncii; & posteà delegati urbis Cracoviensis ex jure veteri, nec non Vilnenses fecêre. Exin Magnus Regni Cancellarius prolixè præfatur *de Regis affectu atq; erga publicum studio, tanto incitatiore scilicet, quanto hanc Regni quasi lampadem à morte invictissimi fratris, langvidiùs lucentem susciperet.* Et deniq; argumentum futurarum deliberationum proponit.

*Ac primum quia Vezyrus Turcicus, scriptis ad Archiepiscopum literis, Tartarorum cum Cosacis conspirationem Imperatori suo non displicere, significet: Regi consultum videri, Legatum ad Turcarum Imperatorem mittere, qui pactorum conventorum ipsum admoneat.*

*Ad minas Orientis Tartarorumq; violentiam retundendam, Moschorum amicitiam armorumq; societatem utilem fore. Cujus cum jacta jam sint superiori legatione fundamenta, mittendos, qui rem benè cæptam absolvant firmentq;.*

*Cum Regno Sveciæ æternæ pacis tractationem utilem necessariamq; videri: quam ad rem, cum Rex viam quodammodò munierit, & certi Principes sequestram operam polliceantur; hanc quoq; curam non inter postremas esse debere.*

*as ad Legationes cum sumptus non exi-*
*requirantur, ii unde haberi possint, in-*
*dam rationem.*
*inium custodiæ intendendam curam, in-*
*is Russiæ laborantis & Cracoviensis pro-*
*ciæ protectioni.*
*Ante omnia de belli apparatu cogitandum.*
*legatis pacem cum Chmelnicio tractaturis*
*nptus procurandos, & qui jam ab Ærarii*
*ratoribus dati sint ex publicis proventibus,*
*Republ. ratos habendos. Meditandum in-*
*uper, quale responsum Cosacorum nunciis,*
*ut expectentur, dari expediat: & deniq;*
*quomodo in posterum exercitus Cosacorum*
*disponendus.*
*Cum Palatino Cracoviensi, de salis-fodinis*
*ejus agendum, tentandumq;, an illæ per com-*
*mutationis contractum Reipubl. addici que-*
*ant.*
*Reginæ & Principis Caroli, ut habeatur*
*ratio, Regem percupere.*
*Deniq; monere, ut probè subductâ tempo-*
*rum ratione, animisq; in solida rerum seriò*
*conversis, debitas utilibus negotiis horas,*
*inanibus nolint conterere.* Hæc Cancella- *Dubra-*
rius. Dubravius verò nomine Collegii *vius No-*
Equestris à Rege *distributionem vacantium* *bilitatis*
*Reipubl. bonorum, atq; iis ut exules inpri-* *desideria*
*mis subleventur, petit; tum Legi de bonis* *propo-*
*muneri-* *nit.*

*muneribusq; publicis, quæ ab uno teneri vetitum sit, satisfieri poscit. Porrò rationem Senatusconsultorum & deniq; accuratam, rerum ad Pilavecias gestarum, à Ducibus, aliisquè benè peritis relationem postulat, quò judicare liceat, quâ culpâ exercitus ille dissipatus, & tanta Reipubl. labes inusta sit.* Cancellarius respondit: *Regem in hâc Republ. natum enutritumq; jura illius nota habere, iisq; etiam in distribuendis bonis honoribusq; publicis omninò satisfacturum; sed post audita Senatorum suffragia. Senatusconsulterum rationem, in publicis tabularii actis, patere cuivis poscenti. Pilavicense ulcus quando refricare lubeat, optandam esse Principis Dominici Palatini Sendomiriensis præsentiam: qui nunc fratris sui morte domi attineatur, promitti tamen ejus adventum; hunc proinde operiendum.* Postero die cum loqui Archiepiscopus ordiretur, unus ex nunciis Equestribus Twardovius, vir disertus, interpellavit sermonem, & *vacantium Reipubl. bonorum distributionem,* consultationibus omnibus præmittendam ursit, legem anni 1607. allegans. Eam etsi non satis liquidam alii dicerent; Rex tamen, ne mora cæteris negotiis fieret, per Cancellarios publicè, quid cuiq; bonorum vacantium dedisset, recitari jussit. Sed Prute-

*Vacantia munera publica.*

orum nulla facta est mentio, quæ
dein turbarum his ipsis Comitiis
e. Nunciorum porrò Equestrium
Senatoribus solitas deliberatio-
essuris Trubecense negotium &
iæ ultimi adversus Orientem pro-
i curam, deniq; disciplinæ milita-
æsidiarios, extremæ Russiæ graves,
ionem commendabat. Hinc tan-
ius Archi-Episcopus, quicquid sub
gno Ipse, cum Senatu Consiliario,
egisset, latè enumerat. *Nempe* *Archiepiscopus acta Interregni recenset.*
*n à se Regiam, & mox duplicem*
*tûs cladem, simul ut sibi innotuisset,*
*ublicata, civesq; admonitos, ut provide-*
*, ne quid amplius detrimenti Respubl.*
*retur. Inde, indictis conventibus, ad*
*adam publico opem Palatinatus singulos*
*currisse. Se verò Varsaviâ, prætoria-*
*n defuncti Regis legionem, trium mensi-*
*stipendio instructam, ductore Ossinscio,*
*borant i Russiæ properè submisisse. Eodem*
*ne & Christophoro Przyjemscio & Sigis-*
*mundo Dönhofio Præfecto Sokalensi, facien-*
*dorum delectuum datum negotium. Inde* *Convocatio.*
*Varsaviam convocatos Regni Ordines, de sa-*
*lute publicâ consultâsse. Ubi nihil salubrius*
*Reipubl. repertum, quàm amicâ compositio-*
*ne hostiles impetûs inhibere: & commissam*
R *eam*

eam curam Palatino Braclaviensi. Nec aliâ spe voluntatumq; inclinatione dimissos tum è vonventu nuncios Cosacorum: cum eorum aliqui, etiam ante Conventum, ad suos relegati, amicæ ejusmodi ad literas ipsorum responsionis promissum deportâssent. Interim habitis per singulas provincias delectibus, conflatum quidem exercitum, sed ei Ducem defuisse. Tribus itaq; qui promptam Reipubl. operam obtulissent, probassentq; ante non semel, summam rei commissam. Nam Visnovecium Principem, serò ex ultimis Russiæ recessibus emersisse; haud sanè alioquin postponendum ulli reliquorum. Quippe, antequam alii militiæ regimen suscepissent, aut conduxissent militem, data ab hoc egregia virtutis & pro Republ. vigilantiæ specimina. Ab eo enim & Palatino Kioviæ Janussio Tyskievicio, qui comes ipsi adfuerit, diu feliciter coercita perduellium agmina. Inde animos crevisse cæteris civium; Et cum postea non modicæ ex omnibus Poloniæ ditionibus confluxissent copiæ, iis consilium incessisse hostem aggrediendi. Deventum ad Pilavecias; ibi castra, sed, ut ferunt rerum gnari, loco perimportuno, posita. Falsis dein rumoribus territum exercitum: & scilicet sexaginta millia Tartarorum immensæ jam ante multitudini Cosacorum accessisse, sparsum cre-

Cosacici, Legati.

Duces militiæ.

Pilauciana macula.

reditumq; esse. Neq; Ducibus inter se,
iliti cum Ducibus satis convenisse. Pla-
tem omnibus Divinam incubuisse iram,
urias, quas in itinere passim patriæ suæ
intulissent. Et hinc præcipuè factum,
ulò post egregius ille exercitus, hoste vix
diffluxerit. Cæterum ab initio sibi vi-
esse optimum, afflictæ Reipubl. remedi-
si sub unum caput quàm citissimè recol-
retur: sed Russiæ aliarumq; provincia-
n non paucos cives intercessisse consilio, &
ipsis invitis Electio institueretur, divortio
cto, alium circumspicere Regem minatos.
a comperendinatâ Electione, haud fuisse,
ui dispersum profugumq; exercitum colli-
eret. Nam ad Pocillatorem vix paucos, nec
nultos ad Palatinum Russiæ Visniovecium,
quanquam de virtute & curâ erga Rempu-
blicam suâ nihil remittentem, revertisse.
Tandem fortunam Polonos diu destitutos cle-
mentiore paulò vultu respicere cæpisse apud
Zamoscium. Cui urbi præter alios Ludovi- Zamo-
cum Veiberum cum legione Prussicâ, & tre- scianorũ
centis fratris sui Palatini Mariæburgensis Virtus.
Dragonis, bono Reipubl. fato succurrisse,
dignum profectò utrumq; gloriâ immortali
& insigni Regis gratiâ. Hærente illic fortunâ
Chmelnicii, conventum interim Varsaviæ su-
per eligendo Rege habitum, quem & ipsum se
in com-

*in compendium redactum voluisse, ut tantò citius caput haberet Respubl., sine quo illa vivens vidensq; periret. Et id unicè salutare consilium ab eventu, quanquam seriùs, approbatum; cum, simul atq; Rex renunciatus esset, sine morà hostis ad mitiora conversus, copias reduxerit. Id felix Regis auspicium, omnia prosperrima in posterum portendere, si ex pietatis normâ res suas agere, si justitiam animo incorrupto, exercere; (quod omnes omninò sperent) perrexerit. Ac quia pacis tractationi, cui jam incumbatur, non ita fidendum sit, quin exercitûs reficiendi simul calere debeat cura, scire Regem oportere, quas copias nunc unà cum sceptro accipiat. Superesse primùm eas, quæ per Palatinatus collectæ, vel ad castra Pilauciana non pervenerint, vel eadem castra, fatali illâ correpta sideratione, deseruerint. Superesse deinde milites, qui posteà Leopoli fuerint conscripti. Aliquos etiam ex primis cladibus superstites, ad stipendia rediisse. Non paucos deniq; post illas clades, ex ordinario tributo conflatos restare. Primas illas per territoria collectas, in affligendâ paupere plebe, nullum adhuc sibi modum ponere: adeò ut vix sperandum sit, cœlum propitium habituras, cujus iram in ipsas tot inopum lacbryma provocarent. Meliorem hâc in re*

*Electionis properatæ beneficia.*

*Exercituum reliquiæ.*

*hostem.*

m, qui injuriis ejusmodi coercitis, agri- quietos, & inde omnia annonæ copiis ta habeat. Legationem ad Turcarum ratorem necessariam sibi videri. Mini- nim ferendum contemptum, quem in s suis Vezyrus ostendat. Ad Moscos 3 firmandæ amicitiæ causâ mittendum. Svecis ordiendum de pace colloquium. inæ viduæ æquum esse prospicere, ne ha- t quod queratur. Principem quoq; Caro- n profusis in auxilium laborantis Reipubl. mptibus, gratitudinem meruisse. Reliqua ost se dicturis committere, unum tamen ad- uc rogare, ut Palatini Mariæburgensis Jaco- i Veiheri, missis nuper Zamoscium trecentis Draganis, optimè de publico meriti, ratio habeatur.

*Legationes expediendæ.*

Archiepiscopum excipiebat Petrus Gembicius Episcopus Cracoviensis Dux Severiæ: Is verò *Regi Regnum, Regem gratulans, Legationes à Cancellario propositas, ab Archiepiscopo approbatas, sibi quoq; ajebat probari. Et ne sumptus desint, ex bonis vacantibus reliqua istuc destinanda. Urbium limitanearum defensioni tantò plus, quàm hactenus, impendendam curæ; quantò magis jam pateat, malè esse Reipubl. sine urbium munitarum receptu. Tractationis cum Cosacis finem, his Comitiis, haud esse expectandum. Nominandos*

*Episcopi Cracoviensis Oratio.*

*Urbes utiles & necessariæ regno.*

*nandos itaq; ex Senatu & ordine equestri qui nomine Reipubl. citra Comitia etiam incepto operi imponere possint supremam manum. Proventuum mensæ Regiæ destinatorum attentiorem in posterum habendam curam, quò Regiæ necessitati dignitatiq; rectius quàm factum hactenus, consulatur. Reginæ & Principi Carolo gratum à Republ. affectum omninò deberi: Militem dedecus Pilavicense, maturato saltem in unum regressu, & modestiâ expiare debuisse. Et quia id hactenus non factum, pœnam mereri. In posterum verò præsidiarium Reipubl. exercitum ita constituendum, ne à finibus Regni is unquam abscedat. Eò aliquas ex limitaneis præfecturas addicendas. Conficiendis belli sumptibus servituram rei monetariæ procurationem, & inprimis peregrinæ taxationem monetæ. Agrarium insuper tributum indicendum, non tam rusticis quam heris ipsorum. Esse porrò ordinariam militum manum, quæ ex certo agrorum modo Reipubl. mereri debeat: eam desvetudine quodammodò obsoletam, in usum & ordinem revocandam. Captis belli ducibus lytrum, ex præfecturis vacantibus procurandum. Ærarii præfectum Danielovicium fideli opum publicarum custodiâ ac erogatione gratias à Republ., Ducem verò Visniovecium, multis pro Regni*

Belli sumptus.

Miles jugeralis.

*salute*

*lute laboribus susceptis, præmium mereri.* ›i is Regi Regnoq; omnia prospera à ›o precatus finierat; Archiepiscopus de- ›ò orsus queri cæpit *de traductâ suâ à non- ›llis innocentiâ, qui summum in exercitûs ›perium centum millibus florenorum ab ›so venditum jactarent. Regem obsecrans, ›t calumnias istiusmodi, quibus suum pro Republ. studium malepensatum irent male- ›oli, compesceret; facturam istuc eorum, qua publicè sub interregno à se acta essent approbationem.* Sequenti die Nicolaus Gnievossius Episcopus Vladislaviensis & Pomeraniæ *ortum Regno post nubila Phœbum gratulabatur, &* Regias virtutes facundè edisserens, *ex iis omnia porrò faustissima publica rei ominabatur. Quam equidem multarum gravissimarum ægritudinum conflüge laborantem, ab ipso*, ajebat, *suscipi. Primò enim dissolutam & fræni expertem esse militiam. Et ob hanc disciplinæ labem exercitus priores fusos cæsosq;; alterum autem ad Pilaucos inexpiabili maculâ adspersum. Secutos impium militem gemitus pauperum; & contra ipsum pro hostibus stetisse. Primò omnium itaq; adducendas esse laxatas jam nimis disciplinæ castrensis habenas; & ad antiquam severitatem exercendam juventutem; quæ longâ pacis desidiâ in mol-*

*Querela Archiepiscopi.*

*Episcopi Cujaviensis Oratio libera.*

*Militia.*

rò nervum quoque belli deesse Reipublicæ. Cui rei resarciendæ utile fore, ærarii curæ præfectos rationem publicorum proventuum publicè reddere. Et quia donationibus Regis elanguerit ærarium, has sub trutinam, constitutis in id arbitris, vocandas esse. Et sumptus privato Regis ærario mensæq; destinatos restrictiùs in posterum administrandos. Deniq; Ordine nunc carere Rempubl. Eum à justitiæ dicasteriis expectandum. Ut scilicet cuiq; suum citra prolationum fastidia, citraq; corruptionum interventum reddatur jus: ut benefactis merces, flagitiis pœna respondeant: Utrobiq; enim modi migrationem noxiam, & scilicet nimiis etiam præmiis virtuti offici; cum uni dantur, quæ in multos dividi poterant. Huc multum utiles fore Regi consiliarios perspicaces, probos, Patriæ amantes, dignitatis Regiæ studiosos. Tales itaq; Principi quærendos, atq; etiam domesticis pietatis & omnigenæ virtutis exemplis faciendos. Facile in principis mores abire aulam. Cæterum tantis, quos expresserit defectibus mancam Rempubl. multis insuper gravissimis malis atq; oneribus jam præcipuè subditorum rebellium perfidiâ. Cui infringendæ precibus advocandam Dei dexteram, & simul prudens Regiæ Majestatis regimen adhibendum. Pœnam meruisse perduelles,

*Nervus belli.*

*Ordo & disciplina restauranda.*

*Consiliarii Principis.*

*Onera & pericula Reipubl.*

*Cosaci placidè tractandi.* *sed difficulter ad pœnam trahi, qui causam suam armis peragant. Potius itaq; videri, justitiæ rigorem ita clementiâ temperare, ut nec impunitate crescant facinora, nec severitate nimiâ irritentur facinorosi. Prætereà terram magnis depopulationibus deformem Regi jam offerri. Quippe non ab hoste tantùm, sed à suis stipendiariis indignissimè habitam. Illis præcipuè, quos singulæ provinciæ seorsim coegerint.* *Provincialis Miles vulgò Powiatowy Zolnirz reprehenditur.* *A quibus & Regalia, & Ecclesiastica, & Nobilium bona miserrimè exhausta sint. Et quod pessimum, culpâ ipsarum provinciarum, quæ inconsultis decretis suis, ostium militari licentiæ aperuerint. Ac Regalium quidem vindicias Regi curæ fore. Sed nec Ecclesiasticorum injurias impunè abituras. Gaudere istorum bona, pari cum hæreditariis Nobilium facultatibus, immunitate. Et in jure patrio, eam multis legibus ratam esse*; ( simul è legum volumine legi jubebat, quæ super eâ re sancita essent. ) *Ecclesiastici defenduntur.* *Nec Reges quidem unquam permisisse sibi, quod provinciarum statuto, nunc militibus licuerit: ut scilicet & Præbenda, & pecunias insuper à subditis Ecclesiasticis exigerent. Ægris dudum oculis à nobilitate bona Clericorum adspici. Cum plurimi equitum, apud istos victum, levi ministerio mereant. Et multæ nobiles familiæ*

*sacris*

*sacris istis opibus exsurgant firmenturq; jam & Lingvarum licentiâ, sacrorum ministros à multis perstringi, haud pensi scilicet habentibus, in Deum redundare istiusmodi injurias. Tempore belli Chotimensis quendam, non obscuri nominis, de pecuniæ in belli sumptus acquirendæ rationibus consultum, Judæis & similibus purgamentis per contemptum sacrificulos annumerâsse. Sed illum vindicem Numinis iram expertum, unà cum familiâ & stirpe suâ interiisse. Inter onera deniq; Reipubl. suspectam vicinorum Amicitiam jure reputari. Quare fœdera cum iis gentibus, quæ jam toties nominatæ sint, pacisq; negotiationes haud derelictui habendas. Turcici inprimis Imperatoris quærendam benevolentiam, & de Tartarorum injuriis apud eum expostulandum. Hos verò ipsos armis impetendos. Aliud olim sibi visum, & improbata à se Regis Vladislai in eo negotio consilia. Sed nunc, magistro rerum eventu, doctiorem se, sententiam mutare. Administrandi ejus belli rationem secretò, si requiratur, explicare malle. Armamentariorū verò & apparatuū bellicorum minimè seponendam curam. Quod ad reliqua attineret, in his ea, quæ ante ab aliis dicta essent, sese comprobare. Præcipuè Reginæ omninò liberalius prospiciendum esse. Haud illi suam in commu-*

*Legationes decernendæ.*

*Tartari impugnandi.*

*Reginæ consulendum.* *communicatis Regi marito opibꝰ propriis facilitatem fraudi esse debere. Famæ defuncti Regis consulendũ, animamq́ ejusdem, quantum fieri possit, exonerandam. Etiam Principi Carolo, pro effusis in Reipubl. necessitates sumptibus, gratiam luculentam referendam: adeoq́, si quæ vacarent, conferendas ei Abbatias. Aliorum deniq́, qui de Republ. benè meriti essent, habendam rationē.. Inprimis Ducis Visniovecii, Andreæ Firleji Castellani Belzensis, Stanislai Lanckoronscii Camenecensis Castellani, Ludovici Veiheri Palatini Pomeraniæ, Nicolai Ostrorogii Pocillatoris Regni. A quibus & edita multa jam opera verè egregia; & majora expectanda, si justis adminiculis erigantur. Exules tandem beneficiis regiis adjuvandos, iis inprimis, quæ in natali, aut habitatâ cuiq́ Provinciâ vacent. Neq́ enim convenire, ut Rutheno apud Camenecíam, vel nobili Prusso apud Dantiscum dentur possessiones. Deniq́ petere se, non tàm suo, quàm Palatinatûs sui nomine, qui id & internunciis suis demandaverit, ut Episcopi Vladislaviensis proxima ab Archiepiscopo sedes, nullis controversiis amplius aut protestationibus solicitetur. Quod restet, Regi quàm florentissimum regimen precari se, & ut quietius serò olim successori tradere Imperium possit, quàm ipse nunc accipiat, Deum orare.*

*Benemeritis præmia danda.*

In ean-

In eandem ſententiam ſed brevius paulò, quòd omnis materia occupata & exhauſta videbatur, reliqui etiam qui aderant Epiſcopi ; præcipuè Culmenſis, Andreas Leſcinius, qui Vice Cancellarius juxta erat; & poſt hos Palatini; Breſtenſis inprimis, Smolenſcenſis & Mazovienſis, hisq; finientibus Caſtellani complures, interq; eos principe loco Stanislaus Witowſcius Sendomirienſis, & deniq; Mareſchalci perorabant.

Poſt hæc de Legationibus ad exteros Principes expediendis Magnus Regni Cancellarius Osſolinſcius disſeruit, nominans ſimul quos mittendos judicaret. In Moſcoviam deſtinabat Leonem Sapieham M. D. Lithvaniæ Vicecancellarium. Ad paciſcendum cum Svecis deſignabat Joannem Leſczynium Comitem in Leſzno Caſtellanum tum Gneſnenſem, Zbygneum Goraiſcium Caſtellanum tum Chelmenſem, Boguslaum Comitem de Leſzno, majoris Poloniæ generalem, Sigismundum Guldenſternium L. Baronem, Præfecturæ Stumenſem, tum & Mariæburgenſem Oeconomum : quibus Lithvani ex ſuis quem lubuisſet, adderent. *Legationes decretæ.*

* Idem Leoni Sapiehæ, quem modò nominavimꝰ, publicè gratias agebat pro ſummo in pa- ** Sapiehæ Vice-Cancellario Lithvaniæ gratiæ aguntur publicè.*

in patriam ſtudio, quod is, ter mille militibus ſuo ære conſcriptis & ad reſtinguendum commune incendium misſis, raro & in omnem poſteritatem celebrando exemplo, oſtendisſet. Cum Coſacis conſilio potiùs, & benignè quàm vi agendum ſuadebat, Regis Hiſpaniarum fortunam allegans; cui prima in Hollandos ſeveritas tot provinciarum diſpendio conſtiterit.

Orationibus Senatorum auditis, ad judicia Rex convertebatur, & jam cauſæ diverſæ proponi agiq; cœperant. Sed proferri mox res iſtas omnes oportuit, quod Ordinis Equeſtris nuncii dari ſibi Senatum poſtularent. Quod ubi fieret, ante alia Archiepiſcopo Gneſnenſi, ut Regni Primati, pro ritè adminiſtratâ tempore interregni Republicâ ab Epiſcopo Cracovienſi Gembicio, præſentibus nunciis, gratiæ actæ ſunt. Inde orſus nunciorum Director Dubravius, eadem, quæ ante, ordinis equeſtris nomine, Regem orabat: ſimul bona muniaq; publica quæ in quoq; Palatinatu vacarent, de ſcripto recitans. Inter ea Pinſcenſcium oppidū numerabatur, quod manifeſtâ cum Coſacis conſpiratione posſesſionum ſuarum jure excidisſet. Reſpondit Cancellarius nomine Regis, *memorem fuisſe ipſum de vacantibus iſtis bonis. Et jam nunc quid de iis*

*Archiepiſcopo gratiæ aguntur à nobilitate.*

*Vacantia bona.*

*de iis constituisset, significatum Nunciis voluisse.* Simul quid cuiq; ex Regni possessionibus vel dignitatibus obvenisset, recensebat. *De Prussicis ampliare Regem, ut cum nunciis ejus Terræ agere ante super iis controversiis possit. Illa tamen, quæ filius suus nuper defunctus in Prussiâ tenuisset, sibi in solatiúm orbitatis & doloris à Rege data. In cæteris, quæ postularent, jam nunc cum curâ dispicere Regem, ut ipsis satisfiat.* De Pinscensium civitate respondebat Sapieha Vicecancellarius Lithvaniæ; *non posse eam, antequam criminis convicta esset, capite diminui, multarivé fortunis. Et porrò si quid inde obventurum sit, id Regi deberi; inter cujus bona illud oppidum censeatur.*

*De Pinscensium proscriptio.*

Posteà Palatinus Sendomiriensis peroravit. *Qui in proximo Electionis Conventu non auditum se, & sinistris tamen judiciis notatum,* atq; *adhuc ubiq; notari,* querebatur. *Cum tamen non ipsi maculæ Pilavicensis culpa, sed iis potiꝰ, qui nescio quâ paris potestatis opinione imperium ipsius dedignati idem apud alios etiã vile reddidissent, imputanda sit: quemadmodũ ex relatione quam dudum Archiepiscopo reddiderit, appariturum sit.* Ea tum publicè legi jussa, non exilem mox animorum exacerbationem convicit: adeò ut Præfectus Lomzensis, quod se inter alios perstrin-

*Palatinꝰ Sendomiriæ purgat se de Pilauciana dissipatione.*

perstringi intelligeret, falsi accusaret relationem. Alter per, quicquid cœlo terrâve carum haberet, dejerabat, vera esse, quæ istic scripsisset. Alter quæsitores postulabat, rem omnem propius cognituros. Incaluerant animi, & magis magisq; verbis exasperabantur. Donec Rex jurgio tali, & inprimis Præfecti verbis offensum se non dissimulans, per Adamum Cazanovium Mareschalcum Aulæ, honoris, qui Majestati Regiæ & Senatui deberetur, acri sermone omnes admonuit.

Postero die nuncii terrarum Prussiæ, horâ præstitutâ, in interius Aulæ conclave admissi sunt: facto antè per Sigismundum Güldensternium L. B. Præfectum Stümensem, intimæ apud Principem admissionis familiarem, de negotiis tractandis, prætentamento. Posteà verò, omnibus amotis, Cancellarius præsentis jam Regis voluntatem nunciis eloquebatur: *Regem nempe jura terrarum Prussiæ, quibus munera & bona illius provinciæ Indigenis addicantur, secundum antiqua instituta & leges etiam Anno 1647. firmatas, sarta tectaq; habiturum.*

*Cum Prussis agit Rex de eorum gravaminibus.*

*Ærarium ejus terræ pariter prisco & hucusq; semper observato more administratum velle.*

*Præsi-*

*Præsidium Pucense nonnisi indigenæ commissurum, cæteraq; circa illud præsidium mota, ubi in Prussiam venerit, adhibitis in curæ partem Consiliariis Prussiæ, compositurum.*

*In vectigalibus Regiis quòd difficultates moveantur Prussis, Regi ingratum esse: sed quia res nondum ipsi explorata sit, cum Cancellariis & Thesaurariis Regni eâ super re conferendum fore. Optimum verò factu videri, ut majores Prussiæ civitates vectigalia conducant, juri suo sic tantò faciliùs consulturæ. Appellationes à juditio Assessorum Prussiæ ad Regium Relationis forum in caussis rei judicatæ, aut ubi partes sponte se jure appellationis abdicant, non permitti equidem, & jure non permitti, etsi aliis in caussis eas Rex haud prohibeat. Stata tempora caussarum Prutenicarum cognitioni præfiniri non posse: & nec Electorali Prussiæ præfinita ulla esse. Tamen certos in hebdomadâ dies iis assignaturum, & porrò nè frustraneis itineribus sumptibusvé fatigentur, judicia ipsis maturè significaturum. De privilegiorum Janicovianorum falsitate aliunde jam inaudisse Regem. Quia verò institutis antehac eam in rem inquisitionibus, partibus non sit satisfactum, perscrutando penitiùs negotio cognitores missurum, cum*

*Consiliariis Prusſiæ rem omnem excusſuros Regiq; relaturos. Interim decreta, quæ non-niſi in illis privilegiis fundamentum habe-rent, in ſuſpenſo habitum, neq; publicis tabu-lariis inſertum iri.*

*Janicoviana privilegia.* Verùm privilegia illa, qualia ſint, verbo indicandum eſt. Nomen ea accepêre à Janicovio quodam, nobili homine, qui his proximis annis multa exoletæ vetuſtatis diplomata in ruderibus arcis cujusdam Pomeranæ reperisſe ſe jactitans, caro ea venditabat, dubia pasſim in Prusſiâ posſesſionum jura redditurus, niſi alii proceres, & cum iis Dantiſcani, præeunte inprimis Adriano de Lindâ Præconſule, tum ad Conventus Prusſicos ſubinde misſo, ſuſpectam hominis negotiationem reddidisſent, & tandem ipſe impoſtor lite cum alio nobili viro ſuſceptâ, vi oppresſus, periisſet.

*In Electionis Conventu (ut ad rem inſtitutam redeam) ſi quâ in re læſi ſint Ordines Prusſiæ, Regi id minimè imputandum.*

*In causâ limitum inter bona Regalia, ut vocant, terreſtria non difficilem fore Regem, dummodo juri Majeſtatis, & bonorum Regalium nihil decedat.*

*Tidenhofiana posſesſio, an ad œconomiam Mariæburgenſem pertineat, non disquiſitum Regi, & cum à Sigismundi patris temporibus à Condu-*

*à conductoribus habitam illam meminerit, eam à se quoq; jam elocatam. Contractum istum sub hæc imperii sui primordia factum, irritum fieri, grave Regi, nec Ordinibus decorum; elapso contractûs tempore, aliam rationem de fundo isto & magis ad votum Ordinum, initurum Regem.*

*Quod ad bona attineret, quæ tempore belli Svecici desolata, & in spem reparationis, certis privilegiis atq; à tributo publico immunitatibus essent prædita, (Emphyteutica hinc dicta) ea privilegia & immunitates ad præfinitum usq; tempus rata habiturum Regem: nec iis decreta, in Interregno facta, quicquam derogatura.*

*In posterum tamen, nulla amplius ejusmodi privilegia postulanda esse. Et quia eòrum prætextu fraus fiat ærario; per instigatorem Regni diem dicendum iis, qui dicta privilegia eò protendant, ubi illis locus non sit. Præfecturam Mariæburgensem non solis tantùm Prussis, sed aliis etiam Regni incolis conferri posse, Regi omninò persuasum fuisse, eoq; Joanni Comiti de Leszno Castellano Gnesnensi viro optimè de Republ. merenti, collatam. Si tamen id juri suo adversum esse nuncii Prussici in consessu Ordinis equestris ostenderint, effecturum Regem, ut Castellanus dictâ præfecturâ cedat.*

*De Præfecturâ Brodnicensi pariter Regem Ordinibus gratificaturum post fata hodierni possessoris* ( is erat ipse, qui loquebatur, Cancellarius) *ne posteà ulli, nisi indigenæ detur.*

*Deniq; Regem, in universum, Ordinibus Prussiæ paternum affectum & juge pro juribus ipsorum non conservandis tantùm, sed & augendis studium spondere.*

Cum finîsset Cancellarius, digrediebatur Rex: Nuncii verò inter se capita conferebant, quid jam factu porrò opus esset, deliberantes. Ac res ejus momenti erat, ut super eâ meritò Consiliarii etiam Prussiæ consulendi viderentur. Sed hi tum nulli aderant, præter duarum Prussiæ insigniorum Civitatum delegatos. Elbingenses Matthiam Richterũ miserant, Consulem & Syndicum suæ civitatis, eundemq; Regium Juris-Consultum. Dantisco tres aderant. Quorum caput erat Adrianus von der Linde Præconsul, postea Mirachoviensi præfecturâ à Rege donatus, alter Georgius Bömelius Consul, posteà pariter Præ-Consul, tertius Vincentius Fabricius Syndicus. Cum his, etsi die postero de publicis Prussiæ negotiis, consilium inire Nuncii decreverant, haud successit tamen deliberatio, quod primariis Prussiæ Consiliariis absentibus,

*Delegati Prussicarum Urbium.*

tibus, nihil in tam arduis ſciſci poſſe videretur. Interim Nuncii reſponſo Cancellarii haud contenti, magis magisq; ad agendam jurium ſuorum curam, ſponte ſuâ, mutuoqvé hortatu, incendebantur. Adeò ut exinde aliquot diebus in conſeſſu ordinis Equeſtris acerrimè cauſam ſuam urſerint; in pactis conventis, proximâ Electione ſui non habitam rationem, multisq; in rebus juri Pruſſico usq; contraveniri vehementisſimè querentes, nec quicquam aliud permittentes agi, antequam ſuis poſtulatis ſatisfieret. Alii his cætera &, ut ipſis videbantur, graviora poſthaberi indignantes, longis diſceptationibus Pruſſos à propoſito dimovere laborabant: ipſi tamen etiam inter ſe disſoni, & quid primò, quid ſecundo deliberandum esſet, ſtatuere impares. Erant, qui arcendi hoſtis, Regniq; defendendi curam omnibus præmittendam ducerent. Quò cum militiæ regimen pertineret, in eo ut Dux Viſniovecius à Rege confirmaretur, petendum ajebant. Alii de corrigendis erratis, quibus à legum pactorumvé normâ deviatum esſet, deliberandum ſvadebant: quo in numero quidam erant à Religione Romanâ disſidentes. Alii ab ærarii Præfectis acceptorum expenſorumq; rationes poſtulabant. Dum de his fluctuare-

*Pruſſi nondum contenti.*

*Diſſenſiones circa agenda.*

tur, militum etiam ex Corſunenſi clade ſuperſtitum nuncii intervenêre: Ducum ſuorum, nec non commilitonum quorundam redemptionem, ſtipendia debita, tum & gratam omnium remunerationem & mutilorum alimoniam poſtulantes. Quorum cauſam apud Regem agere, Director nomine nunciorum ſpopondit. Erant alii quoq;,qui Lanckoronſcii Caſtellani Camenecenſis, copiarumq; quæ cum ipſo feliciter in Podoliâ rem gesſisſent, rationem habendã dicerent. Nonnulli Firlei Caſtellani Belzenſis, quidam & Oſtrorogii Pocillatoris & deniq; Corniakti Aulici Regii rem agebant. Allatæ quoq; literæ Fromundi à Ludinghauſen, nominati Wolffii, Tribuni, Regii, dein poſt Chriſtophorum Grodzicium defunctum, rei armamentarii præfecti Generalis,qui curam Prætoriæ legionis,optimè hactenus, ductu Osſincii Tribuni, de Republ. meritæ, Ordini Equeſtri commendabat. Sed & Epiſtolarum à Principibus profectarũ lectio aliis negotiis interpoſita eſt. Nam & Anna, Princeps Crojana, Boguslai ultimi Pomeraniæ Ducis ſoror, æs olim Sigismundo Auguſto mutuò datum, repoſcebat; Et Jacobus Curlandiæ ad ſemigalliæ Dux miſerat Legatum, qui territorii Piltenſis ad Ducatum Curlandiæ, ſecundum pacta

*Benemeriti cives.*

*Principis Crojanæ poſtulata.*

pacta & autoramenta vetera, redactionem, *Curlandiæ Ducis desideria.* tum restitutionem quinquaginta millium pro liberatione præfecturæ Grobinensis: item ablatorum à Svecis proventuum compensationem, in compositione Stumdorfianâ promissam; adhæc juris Ducalis in prædiis feudalibus vindicationem, & deniq;, qvia Dux tum conciliationi Svecorum cum Polonis non sine sumptu incumberet, præstandi per Legatum homagii copiam peteret. Literæ itaq;, quibus fides aditusq; Legato, negotiis verò toties hactenus prolatis, felicior celeriorq; expeditio quærebatur, lectæ sunt publicè. Effectus literarum Legatiq; posteà apparebit. Cæterum Nuncii Equestres, haud quidem usq; inter se unanimes, magis magisq; tamen ad concordiam videbantur componi. Prusſi certè, postquam formulæ, ad quam suas injurias resartas vellent, concipiendæ accepissent potestatem, conquieverant aliquantùm. Porrò ut compendium fieret consultationum, placuit, audiendis ærarii rationibus, atq; insuper publicæ securitatis curæ ex Senatu ordineq; equestri aliquos assignari. Lithvani Trubecense nogotium hoc est *Trubecensium postulata.* compensationem damnorum, quæ multi ob redditum Moſcis, ex pacto, Trubecense territorium passi essent, urgebant: porroq; caveri

caveri sibi volebant, decretis in suo Tribunali latis autoritate Comitiali non obrogatum iri, & deniq; , *summarios*, quos vocant, *judiciorum procesſus* in nobiles exercere, fas non fore. Sed maximè tum animos curasq; Judicis cujusdam Samogitiæ causa in se adverterat. Qui cum Episcopo Smolenscensi, certas ob injurias, jure expertus, foro cum excluserat civili. Ille adversario majus fulmen opposuit, & advocatâ Romani Pontificis autoritate, sacrorum communione eum multaverat ; soluto simul obsequii nexu, quod ei subditi deberent. Quos ideò is tum vitare cogebatur. Res gravis & exemplo formidanda videbatur nobilitati. Unde mox factum Episcopi multi præpropere damnabant; Judicis illius filiū, qui agendæ patris causæ aderat, studiis impensè juvantes. Effectumq;, ut extemplò tres Nuncii mitterentur ad Regem, oraturi, ne foro omni civili exclusos, seu, ut vulgò vocantur, bannitos, locum in Senatu habere pateretur. Rex negabat sibi de quoquam tali constare, *cæterum super eâ re inquisiturum se, cumq; Cancellariis collaturum amplius; re benè cognitâ, voto Equestris Ordinis satisfacere se conaturum*. Interim Prussi formulam, quâ jurium suorum damnis mederi speraverant, paratam attulerunt, jam porrò

*Judicis Samogitiæ negotium, cum Episcopo Smolenscensi.*

eam

eam publicè legi desiderantes. Sed alii præ- *Pilauci-*
mittendam clamabant legem in discessio- *ana dis-*
nis Pilavicensis autores latam. Quæ ut hor- *cessio ad-*
rendi carminis, haud adhuc tamen omnes *huc exa-*
habere numeros videbatur, aliis hoc, aliis *gitatur.*
aliud mutandum addendumvé, ad asperan-
dam tanti facinoris invidiam ac pænam,
pertendentib9. Dum hi de asseverandâ lege
soliciti sunt, Director consessùs mitiora
suadere cæpit Nunciis: cùm *Cosacorum,*
inquiens, *complicibus, subditis suis veniam*
*largiti sint, non esse adeò jus acuendum in*
*fratres suos, quorum consiliis eventus qui-*
*dem felix, non item voluntas benè rem agen-*
*di defuerit.* Ei suffragabatur Sarbievius
Præfectus Grabovien sis: potiusq; ad *publi-*
*cæ securitatis custodiam, audiendaq; ea, quæ*
*istâ in re Deputati constituissent, animos*
*converti suadebat.* Idem alii succlamabant.
Sed subinde Wanglicovius Ensifer Cul-
mensis intercedebat, suam, quam attulis-
set, formulam perlegi postulans. Hæc ita
agebantur eo die, quo Comitia ex præstitu-
to finienda erant. Res ipsa itaq; postulare
videbatur, ut terminus Comitiis positus
prorogaretur. Idq; jam pridem aliqui sua- *Comitio-*
serant, & nunc idem cum cura agebant *rum,*
nonnulli; inprimis Stephanus Korycin- *proroga-*
scius, Præfectus Oswiecimensis, posteà Can- *tio peti-*
S 5 cellarius *tur.*

cellarius Regni: qui libertatis, omnisq; publicæ salutis cardinem eâ in re verti disserebat. Sed irrita erat Viri facundia inter dissonos, & vicit pars illa, quæ prorogationem Comitiorum respuebat, an sumptuum parcitate, (nam publica calamitas multos exhauserat) an domum revisendi, & rerum fortunarumq; suarnm quasi tabulas ex naufragio recolligendi desiderio, haud dixerim. Jus certe; quo prolongatio vetaretur, omnes isti obtendebant. Dies interim defluxerat, nec restare aliud videbatur, quàm ut exequiæ irentur Comitiis. Antequam tamen discederent, Judex quidam ex Podoliâ acri oratione Nuncios, ut periculi communis incurios, & inanibus potius, quâm rerum momentis tempus insumentes perstrinxit: addito, cùm à fratribus deserantur, ad Regem sibi confugiendum. Subjecit Sarbiewius, *ituros se ad Regem, ut ea saltem referrent, quæ de securitate publicâ statuissent.* Consensu in id facto, surrexêre omnes, & Directore raptim, pro commisso munere, cujus insigne, baculum, projectabat, gratias agente, ad Regem itum est. Qui eo tempore, post auditos Lithvanici Exercitûs Nuncios, cognitioni litis inter Lavrossevium Propalatinum & Palatinum Vilnensem, magnâ utrinq; contentione,

*Sed diu frustrà.*

*Comitia animam agunt.*

tione, ſtudiorumq; certamine agitatæ, intentus agebat. Nunciorum autem Terreſtrium adventu interpellatꝰ, in Senatorium conclave conceſsit. Ubi Director Regem alloqui orſus, miſerabilem Reipùbl. ſortem declarabat; *ſimilem illam naufrago demonſtrans, qui poſt quasſam fidentemq; vi tempeſtatis ratem, tabulæ inſidens, in medio mari inter deprælíantium ventorum iras jactaretur. Tali ſanè homini ſpem nullam ſalutis expediendæ, quàm in Dei clementiâ, reſtare. Pariter nunc deſtitutam omni ope Rempubl. haud habere quò confugiat, quàm ad divinæ miſerationis aram, & poſt hanc, ad prudentiæ Regiæ aſylum.* Illicò Archiepiſcopus & Cracovienſis Culmenſisq; Epiſcopi oràre nuncios, *ne poſitam in tàm dubio ſtatu Rempubl. deſtituant: largiendum Patriæ unum ſaltem diem; quo negato, ſalus publica conſtare non poſsit, nec aliud, quàm extrema Regni pernicies expectari debeat. Et defuturam miſeris excuſationem, qui parvâ morâ ſummum patriæ periculum redimere noluerint.* Tandem & Regni Cancellarius Oſſolinſcius magnæ eloquentiæ Vir abiturientes alloquitur: *calent adhuc,* inquit, *Regiæ Majeſtatis aures ſecundisſimis veſtris pro felice ejus regimine votis: & ſonare usq; videntur omina acclamationibusq;*

*Director Ordinis Equeſtris Regem implorat.*

*Comitiorum prorogationem poſtulant Senatores.*

*Et Rex per Magnũ Cancellariũ.*

*quibus*

*cellunt? Excubuit ſanè hactenus pro nobis Divina providentia. Sed laſſabitur tandem negligentiâ noſtrâ, ſi ſic porrò nobis ipſi deerimus. Quare iterum iterumq; Rex Veſter, Pater veſter, Dominus veſter, vos recenti obſequii fide ſibi innexos, unum jam diem poſcit, imò (nam ita me loqui voluit) orat.*

Dubravius poteſtatem Directoris depoſitam, re ſic ferente, recapesſens, ſententias Nunciorum, ſuper Regio poſtulato, perrogat. Quorum aliqui nullam prorogationem, alii unius diei, alii plurium aut trium ſeptimanarum volebant: pleriq; tamen ſub conditione, ut prorogatione hâc impetrarent, quod ſuus cuiq; Nuncio Palatinatus exigendum dedisſent. Cancellarius nomine Regio prorogationem cum gratiis acceptans, *curæ fore Regi pollicetur; ut non ſecuritati publicæ tantùm, quam omnes ſerè poſtularent, ſed & plerisq; ſingulorum deſideriis ſatisfiat.* Poſtero die cum Prusſorum Nuncii primi omnium ſua poſtulata in arenam producere niterentur, à Cancellario & aliis Senatoribus comiter retenti ſunt. Cracovienſis item Nuncius, Chrzaſtovius Subjudex, vir acer & facundus, trium ſeptimanarum prorogationem & ſimul exorbitationum publicarum emendationem poſcere orſus; ægrè tulit alia præverti: *hoc quod*

*Prorogatio Comitiorũ, impetratur.*

*quod ipse peteret, pactorum conventorum caput esse*, inquiens, *& juramenti Regii membrum præcipuum*. Cancellarius tamen, habitam inter designatos Nuncios de *securitate* deliberationem primò omnium & latè exponit: cujus præcipua momenta effectusq; non refero, ut qui in ipsis Comitiorum istorum conclusionibus paulò post memorandis apparebunt. Cum finiisset Cancellarius, denuò Cracoviensis Subjudex id, quod de exorbitationibus corrigendis orsus erat, pertendere cœpit: nominatim Dissidentium rationem, ut in Electione promissum sit, haberi postulans. Sed & Prussi, quæ in Electione negata sibi fuerint, nunc præstari flagitabant. Cùm his utrisq; alii obloquerentur, Cancellarius negotiorum obicem amoliri tandem cupiens, *Prussorum haud nova vel iniqua postulata esse ajebat, & rem Dissidentium in Electionis Comitiis compositam, nunc supremâ tantùm manu indigere*. Eidem Obuchovicius, Tribunus, Mozerensis, vir Romano-Catholicus suffragabatur. Sed magno fremitu contradicebant alii. Tandem Cancellarius liti magis magisq; inardescenti autoritatem Regiam interponit; *velle*, inquiens, *Regem, dissidentium postulata ad proxima Comitia rejici, datâ ipsis obtinendæ*
*isthic*

*isthic satisfactionis cautione, & in fidei autoramentum majus, ipsius Sacræ Regiæ Majestatis scripto. Interponere se item pro Boleslrasficio, ut ei, ob Religionem capite diminuto, honor pristinus restituatur. Jurium porrò emphiteuticorum Prussiæ examen & declarationem postulare Regem, quia ea res ad Ærarii curam, & sic porrò ad securitatis publicæ tutelam, quæ sine ærario constare nequeat, pertineat. Jus deniq; indigenatûs Prussici sartum tectumq; inposterum haberi velle.*

*Causa dissidentium differtur cum cautione Regiâ.*

His ita compositis ad instaurandæ militiæ & stipendiorum curam tandem accessum est; & tanto quidem impensiore studio, quod literæ tum fortè allatæ essent, de aliquot millibus rebellium rusticorum, qui à Chmelnicio segreges, Voliniam pervolitarent, quotidianoq; aliorum accursu augescerent in majus. Et porrò de Chmelnicii ipsius arrogantib⁹ responsis minisq; ea nunciabantur, quæ cæptæ Commissionis minimè secundum exitum portenderent. Cæterùm, cùm de militiæ instituendæ ratione deliberari cæptum esset, prima omnium de Duce disceptatio fuit. Cujus delectum Rex, Jure suo, quo omnia honorum genera pro arbitrio suo dispensare solet, sibi reservabat. Et is equidem Visniovecio communibus ferè

*De Duce militiæ deliberationes.*

bus ferè nobilitatis suffragiis eam dignitatem destinari, non ignorabat. Non æque tamen ille consensus Duci proderat, quàm oberant dissvasiones æmulorum. Quibus

*Visnovecii virtutes & defectus.*

Dux ætatis, & spiritûs adeò fervidi, non æquè sopiendo quàm fovendo, bello videbatur idoneus futurus: tantis inter illum & Chmelnicium flagrantibus odiis; ut, eo electo Duce, conatus pacificationis, nunc publicæ Saluti unicè necessariæ, vanus fore æstimaretur, Chmelnicio, huic tali & tantâ potestate armato hosti suo, nunquā habituro fidem. Hæc aliquomodo vera erant, at in majus à nonnullis exaggerabantur. Rex deliberationem tandem minore civium offensâ, finire cupiens, potestatem, quæ Visniovecio negaretur, nulli dedit, sed penes se retinuit: ipsum se, si opus futurum sit, belli hujus Ducem fore pollicitus. Secun-

*Duces militiæ tres constituti.*

dam à se belli potestatem inter tres partitus est: quorum primus erat Andreas Firlejus Belzensis, alter Stanislaus Lanckoronscius Camenecensis Castellani, tertius Nicolaus Ostrorogius Regni pocillator. Hæc in consilio Regio agitata, etsi nonnulli privatim refragarentur, rata tamen mansêre. Juxta tum publicè super exercitu & stipendiis singulorum Palatinatuum auditæ sunt sententiæ. Et cùm alii alia, quidam ex-

peditio-

peditionem universalem, ubi opus esset, indicendam, nonnulli provincialem militem, qualis ante lectus esset, retinendum censerent, huic quidem Militi provinciali ordo inprimis Ecclesiasticus vehementer reclamavit: *Eum procul remotum*, ajebant, *à loco periculi, longoq; adeò agmine tractuq; bonis Regiis & Ecclesiasticis gravem incedere: & diverso armorum militiaeq; genere informem reddere exercitum: porrò effrenem, plerumq; & inexercitatum: & quia praedationibus nimis inhiet, multis inde pauperum subditorum lachrymis comitatũ, Dei favore destitui.* Cùm sic iterum tam de milite, quàm stipendiorum ratione variarent judicia, tandem in Subjudicis Sedomiriensis Stanislai Szczucii itum sententiam est, qui dispositionem ordinandi exercitûs Regi committendam censebat. *Illi, militem pecuniamqué destinatam, prout necessarium Reipubl. ipse cum ordinariis Regni Consiliariis judicaverit, colligere ac dispensare, fas esse debere.* Cancellarius, cui Sub-Judicis sententia vehementer placebat, pro oblato Regiae Majestati, tutelae publicae regimine gratias agit, simul & quo pacto is instituere res belli velit, breviter explicat. Posteà tandẽ, quicquid his Comitiis definitum ordines voluerant, in certam

*Miles provincialis improbatur.*

*Belli cura Regi committitur.*

formulam colligi ac Nunciorum judicio ſubjici cœpit: & licet ſubinde adhuc intervenirent contraria ſtudia, in certa tamen capita deniq; conventum eſt: quæ in publicarum legum codice latiùs expoſita, nos hîc ſtrictim attingemus.

*Leges in Comitiis Coronationis ſcriptæ.*

*Primò omnium acta Interregni, decreta item judiciorum Capturalium (paucis exceptis) tum & edicta provinciarum ſub interregno promulgata pro ratis habentur.*

*Commiſſarii deſignantur, in exercitûs numerum & ſtipendiorum emeritorum rationes cum curâ inquiſituri.*

*Exercitus ordinarius (Quartanus dictus) ut eodem numero & genere militiæ mereatur, atq; in locum Coſacicarum copiarum, quæ per rebellionem ab exercitu abſceſſerint, aliæ Polonicæ ut ſubſtituantur, deniq; ut univerſo exercitui ſtipendia numerentur, decernitur.*

*Quia ordinarius exercitus præſentibus Reipubl. neceſſitatibus non ſufficiat; aliæ inſuper copiæ ex binis tributis in ſingulos focos conſtitutis, & in nullos alios uſus convertendis, confici jubentur.*

*Diſciplinam militarem, quam nimis obtúſam tota Reſpubl. queratur, ſecundum priſtinarum conſtitutionum rigorem, acuere Rex pollicetur, quò luxus militum coërceatur,*

*tur, circuitus eorum nunc usitati prohibeantur; contrà ad confinia Regni, ubi præsidio militari opus est, modo legibus concesso, miles alatur, ne bonis nobilium, nec Ecclesiasticis, vel Regiis gravis sit.*

*Nobilitatem tumultu publico ad militiam evocandi potestas Regi ad futura usq; Comitia relinquitur, cautione additâ, ne isto exemplo veteribus juribus usitatisvé circa evocationem consvetudinibus quicquam decedat. Et Palatinatui Podlachiæ, terræ item Lucoviensi, nec non Prussiæ seorsim, antiquis isto in negotio moribus utendi copia datur.*

*Pacta & fœdera cum externis, præsertim finitimis, ex consilio Senatorum tum præsentium, renovare Rex pollicetur.*

*Ad compositionem cum Suecis tentandam, Recuperatores seu Commissarios designare Rex promittit; qui ut legitimè instruantur, ad conscribenda instructionis capita, certi Senatores Regni & M. D. Lithv., tum ex ordine equestri duodecim idonei viri deliguntur nominanturq;.*

*Quia militiæ Cosacicæ refrænatio ac compositio moram non ferat, Regi verò ne cum Senatoribus quidem & Consiliariis suis, in negotiis, quæ ad Comitia pertineant, sciscere quicquam fas sit, designantur magno numero ex utroq; ordine, Senatorio & eque-*

*ſtri viri, iſto in negotio Regi præter ordinarios Senatores adfuturi.*

*Iſti conſesſui ut in quibusdam autoritas comitialis conceditur, ita in aliis eadem circumſcribitur, additurq́; conditio, ut omnium, quæ acta fuerint, publicè in proximè futuris Comitiis relatio fiat.*

*Cum multi militiæ ductores, ex pacto, & pro pecunia ex publico accepta numero, militem ad ſuperiorem expeditionem non ſliterint, citari ad Tribunal & cauſam dicere; porrò, cùm publica exercitûs recenſio hactenus non facta ſit, jubentur iidem Ductores numerum ſuorum militum inire, & ſcripto Judicibus tradere jurati.*

*Quoniam Albertus Nicolaus Gnievosſius Epiſcopus Cujavienſis, item Georgius Osſolinſcius, Regni, deniq; Albertus Stanislaus Dux Radzivillius Magni Duc. Lithvaniæ Cancellarius, votorum exolvendorum causâ, iter extra Regnum ſuſcipere deſtinaverint, & in id misſionem à Rege & Republ. poſtulent, ea illis autoritate Comitiali datur.*

*Samueli Boleſtraſzycio equiti, infamiâ olim notato, honos priſtinus, aliis nonnullis ex eodem ordine equeſtri literæ ſecuritatis, & ſi illi antè futura proximè comitia novis meritis debitè priora dedecora eluerint, ſpes honoris in integrum reſtituendi datur.*

*Quia*

*Quia in Comitiis istis, ob gravissimas causas, publica inprimis pericula, ad angustiores solito terminos redactis, multis Palatinatuum postulatis satisfieri non potuerit; ea omnia in futura Comitia rejiciuntur, spe factâ amplissimâ, omnium tum Ordinum vota, in Religionis etiam negotio, & sarciendis exorbitationibus, omni ope ac studio expletum iri.*

*Postremò quantum pecuniæ ad colligendum militem, quantum etiam militum suorum publicæ Reipubl. necessitati offerant Palatinatus, ex singulorum tum Palatinatuum provinciarumq; Regni & M. D. Lithvaniæ nunciis auditum, atq; in codicem Constitutionum relatum est.*

## HISTORIÆ POLONÆ PLENIORIS

# LIBER VI.

SUprà in ingressu Comitiorum istorum faciebamus mentionem Delegatorum, quibus de pace cum Chmelnicio agendi potestatem dederit Respublica. Illi quid effecerint, jam exponendum est: mirature haud dubiè lectore, ut partis unius immanem barbariem; ita alterius

*Pereaslaviensis Negotiatio pacis cum Chmelnicio.*

alterius eximiam, & nisi tempore Reipublicæ ac necessitate, tum loci etiam, ubi res acta est, iniquitate excusaretur, prope immodicam facilitatem tolerantiamq;. Alicubi & mihi ipsi vix persuaderem, vera esse, quæ de re istâ memorabo; nisi ex uno Delegatorum, viro magnæ autoritatis, omnia hæc, quæ scribere hâc de re paro, hausissem.

*De loco pacificationis dubitationes.*

Prima autem omnium Commissariis, antequam iter ingrederentur, cum Chmelnicio de loco conventûs disceptatio fuit. Illi Kioviam elegerant. Chmelnicius urbem hanc non ita, ut rebus suis opus esse putaret, à Poloniâ remotam ratus, Pereaslaviam mavult, oppidum Regium quidem, & Conjecpolscii Vexilliferi Regni jurisdictioni subjectum, sed à Cosacis, omnis istius tractûs undiquaq; potentibus, insessum. Hoc itaq; loco se tutum futurum homo ex conscientiâ facinorum timidus putabat: aliò ad tractandum pacis negotium non nisi cum exercitu iturus: à quo haud dubiè nova calamitas Poloniæ terris succrevisset. Utilitate igitur Regni adduci se passi sunt Commissarii, ut in locum consentirent, quem homo contumax & jam, fatorum permissu, in noxam Reipublicæ nimiùm validus, elegerat. Ubi autem illi superatis multis difficultatibus, Pereaslaviæ oppido rigidissimâ

disſima hyeme appropinquaverant, obvius illis ad ſtadium circiter unum fit Chmelnicius, multis comitatus Tribunis, Centurionibus, & intercinente ſimul militaris muſicæ ſtrepitu. Ingredientes urbem viginti primùm machinarum exploſarum boatus, & mox domi ſuæ Chmelnicius convivio excepit; in quo etſi frontem explicare videbantur Coſaci, haud temperârunt tamen, quin ſub ipſa ſtatim hæc initia, atq; adeò primi convivii quaſi hilaria, ſiniſtra aliqua in Viſniovecium, Coniecpolſcium, alioſq; Polonos jácerent. Poſtero die, qui erat 20. Februarii, Kiſielus Palatin9 Commisſionis princeps, clavam Cyanis gemmis fulgidam, ſimulq; frater Palatini, Nicolaus vexillum rubeum, aquilâ albâ & nomine Joannis Caſimiri Regis inſignitum, Chmelnicio publicè reddidêre. Ille ſic ſatis reverenter oblata accepit, gratiaſq; egit, ſed militariter & perfunctoriè. Invitatus iterum cum Collegis ad convivium Palatinus, antequam dapes inferrentur, egregio ſermone beneficia Regia, quæ, ſe internuncio, acciperet, eidem Chmelnicio edisſerebat:

*Pereaslaviam veniunt Delegati.*

*Chmelnicio clava, & vexillum nomine Regis offertur.*

*memoriam tot facinorum deletam, antiquam Græcæ Religionis libertatem, exercitûs Zaporoviani augendi poteſtatem, veterum jurium & privilegiorum reſtitutionem, & denique*

*Beneficia Regia in Chmelnicium.*

*niq; totius illius exercitûs regimen. Mereri ista mutui à Chmelnicio affectûs & fidelis obsequii non vulgares nec fucatas significationes. Primas & optimas fore, si inhibitis sanguinis profusionibus, & agrestium turbâ sub legitimum herorum regimen remissâ, ad æquas pacis conditiones accedat.*

*Chmelnicius gratias agit, sed simul multa aspera adjicit.* Ille, *pro oblato exercitûs Zaporobiani regimine, simul & pro datâ commissorum veniâ, gratias se agere,* respondet. *Cæterùm compositionis negotium non inchoari jam, nedum consummari posse: milite Zaporoviano per stationes latè disperso, absentibusq; adeò, sine quibus agere tam ardua, capitale sibi futurum sit. Neq; verò sibi pacem cordi esse, quam diu Visniovecio & Czaplinscio* ( hos enim simul, & alterum ne Ducis quidem titulo addito, iratus nominabat ) *impunè sit, Cosacos adeò inclementer habuisse. Illum omninò puniendum; hunc dedendum sibi, præcipuos scilicet malorum omnium autores. Nec Potocium quidem summum Ducem exsortem culpæ, qui Cosacum intra Borysthenis paludes saluti suæ consulentem, pervicaciter insecutus sit. Sed hunc suæ sibi fortunæ fabrum, sat acres jam malè consultorum pœnas in Tauricâ pendere. Vexilliferum quoq; Regni ibidem numerandũ, qui Patrimonio ipsum exuerit; & agros inter*

*Minatur Visnovecio, & aliis.*

*Laszczo-*

*Lisczezovianos milites distribuerit, qui deinde Cosacos de Republ. benè meritos mancipiorum loco habuerint, nullo in illos avaritiæ, crudelitatis, contumeliæq; genere omisso. Sed huic tamen non æquè à se imputari mala, quæ contigerint, quàm duobus illis ante nominatis. In his cudendam fabam: id nisi fiat, aut sibi cum exercitu Zaporobiano, aut Lachis cum Senatu, Ducibus, Regulis, nobilitate omni, pereundum. Jure autem arbitrari se, parsimoniam sanguinis Christiani & amicitiæ ostentamenta falsò jam præferri. Nihil quippe amicum fidumvé spirare nuperum facinus Lithvanorum, qui Mozirum & Turoviam immaniter exceperint, & à Radzivillio istîc unum Cosacorum palo trajici jussum. Cæterùm monitum jam à se illum: qui si unum hominem habuerit, in quem iram sic crudeliter effunderet, esse sibi quadringentos Polonos, quos vindictæ immolare possit.* Hâc promulside acuebatur palatus Delegatorum ad prandii delicias. Nec placidiùs agebant cæteri. Lentovio Monacho Carmelitani Ordinis, qui loco Mokrscii (nam hunc præmatura mors abripuerat) apud Cosacos agebat, cùm fortè diceret, nonnisi incertos de Baro, oppidisq; Lithvaniæ direptis rumores, nec tantâ Chmelnicii & Cosacorum bile dignos

esse, unus ex Tribunis Cosacicis multa inclementer dixit, & tantum non vim intulit.

Magnâ constantiâ pertulêre Delegati furibundos, Chmelnicium quoq; delenificis verbis tranquillũ reddere Palatinus, quanquam frustrà, nitebatur. Aderat tum eodem in oppido Legatus Moscoviticus, quî cum sermonem sociare Delegatis votum erat, sed congredi prohibebantur à Chmielnicio. Die quidem Dominico in idem templum illum & binos Delegatorum casus deduxerat, sed in publico, intra vulgarium salutationum solennia consistere oportuit; nullâ se dante commoditate ad secretius colloquium. Eodem die cum, tempus fallere iidem illi Delegati quærerent, arcem oppido appositam, lustrârunt. Sed jam nonnisi cadaver Arcis conspiciebatur: adeò & penitus pervastata erat hâc ipsâ rebellii tempestate. Eadem facies Gymnasii Templiq; Patrum Jesuitarum ibidem erat. Nulla imago, ara nulla supererat; hiabant sepulchra, & cadavera sepulchris ejecta jacebant. Inter alia conditorium Lucæ Zolkiewii Palatini olim Braclaviensis, simul verò tum huic oppido præfecti, reclusum spectabatur, é quo nefaria rebellium rapacitas res corpori superstites, insignia bellica, & annulum Adamante fulgidum abstulerat.

*Legatus Moscoviticus.*

*Arcis Pereaslaviensis vastitas.*

*Sepulchrum Zolkievianum.*

ſtulerat. Invitatus poſteà Chmielnicius à Palatino, & comiter habitus eſt. Sed nondum illa humanitas aut ſuadæ vis impetrare ab homine potuit, quin ſubinde inveheretur in Polonos, perniciem illis, ſibi & Rusſis latisſimum imperium portendens. Diriora etiam poſtero die, cum ex crapulâ heſternâ parum ſibi adhuc conſtantem Kiſielus ſignifer & Zacharias Czetwertinius reperisſent, deſpumavit. Et jam nihil boni huic compoſitionis conatui ominari delegati; potiusq; de ſecuritate reditûs, quàm de ullo Legationis proſpero eventu cogitare cæperant. Sequente tamen die, denuò hominem Palatinus aggreditur, lacrymas intermiſcens ſermoni. *Vide*, inquit, *mi Chmelnici, quid agas: qui non Polonorum tantùm Lithvanorumq; terram, ſed & Religionem Græcam, & templa ſanctisſima, ſine cauſâ, Paganorum ſubjicere paras libidini. Si læſus es, ſi peccavit in te Czaplinſcius aliquis: ſarcietur tibi injuria. Si exercitus Zaporobianus nimiùm aut parvus numero, aut arctis finibus incluſus videtur, promiſit Rex auctionem. Cogita nec Poloniæ Regnum ſine milite Zaporoviano, ſed nec hunc ſine Polonorum Lithvanorumq; auxilio ſufficere potentiæ Paganæ. Faceſſat à te turba hæc agreſtium, non armis ferendis, ſed ſtivæ tractandæ*

*Chmelnicius adhuc minaciter agit.*

*Kiſielus Chmelnicium mitigare conatur.*

*ctandæ natorum. Arent isti & repastinent rura sua: militent Cosaci, nec misceatur gens decorum plena, cum ignavâ glebæ adscriptorum colluvie. Licebit, si voles, pace Regiâ, exercitum tuum ad duodecim aut quindecim millia militum extendere. Hunc in Paganos ducere, hoc patriæ limites proferre, gloriosum tibi, Christianis omnibus utile erit.* Non mitescebat dictis ejusmodi Cosacus, sed magis magisq; efferabatur. Clamabatq;, *frustrà jam profundi verba: tum fuisse opportunum secum tractandi tempus, cum Potocii cis & ultra Borysthenem ipsum persequerentur, fuisse adhuc, cum primis conflictibus victus esset Polonorum exercitus, fuisse item ad Constantinovum, ad Zamoscium, fuisse deniq; toto sex septimanarum, quas Kioviam revertendo detrivisset, spatio. Nunc pacis negotiationi non esse locum. Vindicandam sibi gentem Ruthenorum universam à servitute Lachorum: & mota nuper, privatæ injuriæ stimulatione, arma, jam pro religione gerenda. Pronos in id juxta secum omnes circumquaq; agrestes, etiam longè habitantes. Hos adeò minimè unquam deserturum se; quippe quorum in salute, Cosacorum vertatur incolumitas. In promptu sibi fore ducentorum & amplius millium exercitum, & præter hunc Tartaros. Quorum*

*Chmelnicius nihilo mitior.*

*Minatur.*

*rum primarios Duces, carisſima ſibi capita, in æternæ amicitiæ fœdus ſecum conſpirâsſe. In hos adeò, uti & in Turcas, ullumve alium externum hoſtem, fruſtrà ſibi bellum imponi aut ſuaderi. Sufficere ſibi Ukrainam, Podoliam, Voliniam, Rusſiam. Nihil defuturum ſibi, ad Leopolin, Chelmam, Haliciam usq;, omnia posſidenti. Stantem ad Viſtulæ ripam ſe Transviſtulanos inclamaturum esſe, ut ſilentes pace ſuâ fruantur. Inquietis nec Viſtulam contra vim Rusſorum fore præſidio. Duces inprimis Regulosq; omnes ubiq; ſe perſecuturum: in Ukrainâ verò nec nobili quidem ulli futurum deinceps locum; niſi & Exercitui Zaporoviano honorem debitum, & Regi reverentius obſequium præſtet.* Ferociter ita loquenti ſucclamabant Tribuni horrendis vocibus, & multum contemptum eorum, quorum ſub imperio hactenus ſuerant, ſpirantibus. Quorum vociferationibus Chmelnicius tandem ſubjiciebat; *Non inauſpicatò jam ſe hoc bellum moliri, ſed fauſtis Patriarchæ precibus ominibusq; ad id conſecratum, & datâ peccatorum omnium veniâ, Lachos ad internecionem usq; perſequi jusſum. Nefas fore tam ſanctum, tam venerabilem hoſpitem non audire. Inde adeò mandâsſe jam copiis omnibus ſuis, paratæ ut ſint ad movenda ſtativa, ſed ſine impedimentis,* *Patriarchæ Græco nimis auſcultat Chmelnicius.*

*quæ*

*quæ apud Polonos affatim reperturus quisq; sit. Nec se nisi perone aliquo instructum processurum.* Hæc incomposito vultu, stridens dentibus, pedibusq; humum pulsans, ejaculabatur; Delegatis inhorrentibus,&c, quod unum in hostili inconditorum hominum solo poterant, mitigare nitentibus furentem. Cæterùm quod in sermone suo, de Patriarchâ subinde jaciebat Chmelnicius, id ita habet. Non Constantinopolitanus is erat, cui alioquin Rutheni omnia venerantium officia, ut primo Ecclesiæ suæ Capiti, deferunt, sed Hierosolymitanum se Patriarcham ferebat. Corinthi Archiepiscopum olim fuisse, alii posteà sparsêre. Profugus verò nunc erat, atq; ob facinora à muneris & sacrorum communione proscriptus. Hinc evitatâ Constantinopoli, per Muldaviã, citatis itinerib⁹, Kioviam venerat,cumq; Chmelnicium Victorem redire cognôsset, mille equitibus, & Metropolitâ ejus loci comitatus, obviam ei ad primũ lapidem processerat; honorifica oratione & illustrissimi principis titulo ipsum veneratus: aliis pariter undiquaq; effundentibus se in occursum & *Mosen Servatorem, Liberatorem* populi, & magno omine, *Bohdanum* hoc est *à Deo datum* certatim appellantibus. Pompæ augendæ serviebat tum natalis

*Quis ille Patriarcha.*

*Ejus adulationes in Chmelnicium.*

natalis Servatoris, dies ut ubiq; inter Christianos, sic in Ecclesiâ Græcâ magnis solennitatibus celebrari solitus. Ad eum sanctè habendum non more consueto, sed multis splendidisq; epulationibus præparabant se piiisti. In pervigilio ipso largiter se omnes invitavêre: tàm in potu, quàm veneratione triumphatoris, ut appellabant, Chmelnicii, modū omnem supergressi. Die porrò festo, Patriarcha ille, si Diis placet, sacrū celebrans, ad communionem S. Cœnæ Chmelnicium nequicquam cunctantem (quia parùm paratum se sentiebat) invitat; & accedenti veniam præteritorum, præsentium & futurorum facinorum largitur. Mox & conjugium ejusdem cum Czaplinscii, primi adversarii sui uxore (quanquam tum absente) solenni benedictione ratum esse jubet. Deniq; bello adversum Lachos, (ita Polonos Russi vocant) secundis ominationibus ipsum inaugurat. Quæ cùm fierent, intonabant machinarum bellicarum boatus; clangebantq; voces, *Salvatorem & Magnum Ducem* ingeminantes. His tam fœdis assentationibus non adeò mirum est Chmelnicii ingenium, insolens scilicet talium, cessisse, re tot seculorum innumeris exemplis compertâ, benè etiam *preparatas mentes faciliùs à blandiente fortunâ, quàm* " *adversâ*

*Chmelnicius assentationibus corrumpitur.*

„ *adversâ vinci. Nam quos aſperæ res mo-*
„ *deſtos atq; induſtrios reddunt, eos felici-*
„ *tas dulcibus venenis in honeſti omnis, &*
„ *ſui denique oblivionem ſoporat.* Præcipuè verò Græci iſtius Præſulis vel potius Impoſtoris adulatio hominem dementabat, altiùs ſcilicet pectori illabente peſtiferâ fraude, quia Religionis ſpecie tegebatur.

*Patriarcha remuneratur à Chmelnicio.* Equos ſejuges & mille florenos in præmium impoſturæ à Chmelnicio cùm accepisſet pſeudopatriarcha, in Moſcoviam abiit, iſtic,ut fama eſt, fraudum ſuarum larvâ non ita feliciter protectus; quin ex ſuis virtutibus ornaretur. Rem verò ita comparatam advertentes Delegati, tantò intentiùs redeundi ad ſuos circumſpectabant vias; cùm præſertim inaudivisſent, diſceptari inter Coſacos, dimittine ipſos, an ſpoliatos in Codacanam arcem projici melius esſet.

*Captivos liberari cupiunt delegati.* Captivorum quoq; cura coquebat Delegatos; quos deſtituere & ſub cultro quaſi relinquere nefas ducebant. Eos ſaltem ſi liberarent, fore qualecunq; itineris & laborum ſuorum pretium. Inprimis illos, quos deditâ arce Codacanâ in fidem accepisſet

*Codacanæ arcis deditio.* hoſtis, ſalvo jure divino humanovè, retineri ab ipſo non poſſe videbatur. Ea arx, olim de conſilio Stanislai Coniecpolſcii, exercituũ Ducis, frænandis Coſacis Tartarisq;

risq;, in camporum desertorum, extremis, ad ripam Borysthenis, posita erat, validumquè impositum præsidium. Sed postremo hoc bello, cùm post fusos exercitus, nullo modo se sustinendæ hostis potentiæ pares esse viderent præsidiarii, inter alias honestissimas conditiones, liberum sibi ad suos reditum pacti fuerunt; jurante ipsis, per quicquid cœlo terrâq; sacrum verendumvé est, Nesterenio, Sumekio, Volczynko, Cosacorum Tribunis; se ab omni vi intactos tutosquè, quò & quam diu duci vellent, deducturos. Ita egressi ex arce bellatores præsignes, Christophorus Grodzicius Arcis Gubernator, postea Armamentarii præfectus generalis, Josephus Lanczynius excubiis præfectus, Martinus Czarnecius, Adamus Sobiescius, Stanislaus Coniecpolscius, (qui postea jussu Chmelnicii obtruncatus est) aliiq; multis stipendiis egregii viri, cum milite gregario; arma quisq; sua & impedimenta, prout pacti erant, efferentes. At cum per longa viarum discrimina ad exercitum Zaporovianum pertigerant; istic tandem, Chmelnicii jussu, attinebantur. Qui liberos dimittere aliquoties pollicitus, lentiùs fidem exsolvebat, interdum bello captos, adeoq; suis nutibus obnoxios esse, responsans. Regerebant Delegati, milites benè

*Præsidiarii arcis Codacana contra pactum detinentur.*

benè meritos & servos Regis ac Reipubl. hos esse. Tandem etiam Delegatorum unus, Albertus Miascovius, addidit, *vel à paganis reddi solere captivos, & id illis solenne esse, dare hoc integrandæ amicitiæ pignus. Seipsum olim à Rege Constantinopolin missum, ab Ibraimo Soltano Ottomanico aliquot centenos captivos impetrâsse. Quantò æquius Chmelnicium, Regi subjectum, clavâ imperatoriâ recens à Principe suo donatum, subditos ejus & milites non armis, non prælio victos, sed pactis legibusq; certis in fidem acceptos, Delegatis Regiis potius reddere, quàm captivitatis & servitutis squalore conficere. Si hâc in re adeò iniquum se præbuerit, nil profectò de fide, obsequio, bonové affectu ejus sperandũ fore.* Nihilo magis his, quàm ante tot aliis sermonib⁹ movebatur homo obstinat⁹ & fortunâ ebri⁹. *Restitutũ iri illos,* agebat, *sed nõ ante, quàm à Lithvanis Polonisq; omnib9 vellicari Cosaci desinerent. Andreæ Potocio* (nam & is inter captivos erat) *expectandum in vinculis fratrem Præfectum Camenecensem, quem fama sit Baro, nobili Podoliæ suæ* (ita vocabat) *civitati gravem esse. Jussas à se in illum ire Legiones, & vivum ipsum adduci.*

*Id exprobratur Chmelnicio.*

*Ille adhuc minatur.*

Cùm posteà tyrannidem, quam Kioviæ ingentem Neczajus Braclaviensis Cosaco-

rum

rum Tribunus exerceat in omnem ſexum, ætatem, ordinem, juſſu, ut fama erat, Chmelnicii, objectarent Delegati, reſpondere ille, *neminem innocentem à ſe violari juſſum, ſed eos tantùm, qui partes Coſacorum amplecti nollent. Liberùm ſibi Kioviæ agere, quicquid vellet: ſe Dominum & Palatinum jam ejus Urbis, Dei & gladii ſui beneficio, eſſe.*

Sub hæc Legatum Moſcoviticum dimiſit Chmelnicius, cùm pridie nuncius quoq; Principis Tranſſylvani egregiè donatus abiiſſet. Uterq; inſalutatis Polonis profectus eſt; utcunq; Legatus Moſcoviticus impensè Kiſieli Palatini colloquium expeteret. Ejus poſtulata in occulto habebantur; niſi quod fama ferebat, illum Magni Ducis ſui nomine quæſiviſſe, *an Religionis causâ bellum hoc gereret; id ſi eſſet, quadraginta millium exercitum auxilio miſſurum Ducem, hâc lege, ut pars Ukrainæ Moſcis cederet.* Ex Legati verò domeſticis cognitũ eſt, Duci haud volenti eſſe Chmielnicii iſtos in Rempubl. auſus, ac proinde eum admonitum, *impetus uti ſuos ſufflaminet contineatq; à ſanguine Chriſtiano, & ſubditorum Domini ſui injuriis, Regi Poloniæ fratrem ſe eſſe & futurum, quiq; ei iniquè adverſentur, iis ſe omni vi ſuâ contrarium fore.* Sed Græcâ

*Legatus Moſcoviticus abit à Chmelnicio.*

*Illius apud Chmelnicium Legationis finis.*

fide hæc dicta,& potiùs occulta in futurum fundamenta belli jacta hîc esse, eventus posteà docuit. Cæterum profectis illis, tantò magis Delegati, bonâ similiter pace, dimitti postulabant. Et annuebat Chmelnicius, si epistolâ unâ conteuti, re nullâ prætereà effectâ, abire vellent. Tandem tamen multis magnisq; Kisieli laboribus obtentum est, ut certas conditiones chartæ injici permitteret, subscribere iis, si placuissent, pollicitus. In quibus difficultatis plurimum movit, quod Delegati Polonis exercitibus integrum esse volebant, durantibus his induciis, ad Szlucum amnem, & aliâ parte Barum, Vinniciam, & Braclaviam usque progredi. Arctiores enim Regiis Chmelnicius, sibi patentiores figi limites poscebat. Cùm circa hoc diu frustrà decertatũ esset, in captivos conversa Delegatorum cura est: quos ut liberarent, nihil inexpertum reliquêre. Necjam verbis tantùm sed & nummis emollire ferreum nitebantur hostis animum. Neque Chmelnicium duntaxat, sed & alios, qui apud eum aliquid posse credebantur, solicitabant; aurum ingerentes, & ubi, quos vellent, libertati redditos viderint, stipulantes majora. Nihil omnibus istis conatibus effectum est, quàm ut denique excubiæ intenderentur, ne ullus, invitis aut

*Conditiones Pacis aliquæ scribuntur.*

*De captivis iterum disceptatur.*

tis aut inſciis Coſacis, elabi poſſet. Poſtremâ ante abitum noćte, nonnulli ex ipſo etiam Delegatorum famulitio ſubmerſi ſunt. Adeo inter iſtos jus gentium penſi habetur. Tandem XXIV. Februarii ſeriò jam diſcesſum molientes Delegati, denunciari Chmelnicio juſsêre, *vale ſe ipſi dicere, ſimulq; ultimas preces pro captivis interponere velle.* Cum is ad Delegatos venire promitteret, prævenêre tamen hi; & quantumvis æger admodum, perq; arthritidos paroxysmum, manibus pedibusq; captus, nihilominus trahâ vehi ſe cum Collegis ad Chmelnicii ædes juſſit Kiſielus. In quarum atrio (deſcendere enim moveriq; de trahâ in domum, moleſtum fuiſſet ægro) congresſus cum Delegatis Chmelnicius, puncta manu ſuâ ſubſignata Palatino tradebat; nec non literas binas, quarum alteræ ad Regem, alteræ ad Magnum Cancellarium ſcriptæ erant. Simul cantherium & in ſacculo centum plus minus aureos Kiſielo donat, quos ille protenus inter captivos diſtribuit. Pro his verò jam undiq; iterum accuratisſimæ fiebant deprecationes, illis ſimul ipſis, quorum res agebatur, tantùm non ſanguinem lacrymantibus, &, ſi non pacta, non preces, non pretium apud immitem valerent, ſaltem Tartaris tradi poſcentibus: quippe à

*Chmelnicio valedicunt Delegati.*

*Dona Chmelnicii.*

quibus auro utiq; impetrabilis esset libertas. Surdo adhuc narrabatur fabula. Andreæ insuper Potocio captivorum primario, si patruelis frater ejus, quod fama narraret, Barum invasisset, dira denunciabantur. Quin binis jam noctibus sonuerant apud plebem Cosacorum voces, omnia extrema ipsis quoq; Delegatis minantes. In extremo dexterarum complexu, Induciarum fidem ad Pentecosten usq; diligenter tuendam, Palatinus Chmelnicio amicè commendabat: hic vicissim ambiguum quid de futurâ compositione mussitans, sistere tamen ad eum conventum captivos & machinas aliquot bellicas pollicebatur. Ita discessum est: Cosacorum Tribunis Delegatos extra Urbem comitantibus. Sed longiùs eosdem comitabatur metus, uti inter malè fidos infestosq;.

*Periculum & captivis & Delegatis iminet.*

Afflictos undiq; proditiones etiam turbabant. Inventi quippe ex famulitio Delegatorum nonnulli, etiam secretorum non ignari, qui ad hostem seu sponte, seu promissis empti, profugêre. Contrà & ab hoste clam elapsi circiter centum homines diversæ sortis, Delegatos assectabantur. Quod idem Kioviæ fiebat, cùm bini ex Delegatis eò divertissent. Cæterùm ut appareat, quid hâc legatione effectum sit, operæ pretium est con-

est conditiones, quarum ante jacta mentio, hîc subjicere.

*1. Clavam & Vexillum à Regiâ Majestate & Reipubl. missa, Dux & exercitus Zaporovianus recipiunt, in fideli obsequio manere pollicentes, quemadmodum ex peculiari in id scriptâ epistolâ appareat.* Conditiones Pacificationis Pereaslaviensis.

*2. Quia ob inopiam pabuli exercitus Cosacorum jam congregari nequeat, id quod tamen ad conficiendum exercitûs futuri album seu matriculam & discriminandam à stipendiariis plebem necessariò fieri oporteat, ideò pacificatio hæc seu, ut vocant, Commissio, ad proximum ver, & nominatim ad Graci ritûs Pentecosten profertur. Ad quod tempus, Zaporohianum Sacræ Regiæ Majest. exercitū Ductor ejus ordinet, ac secundum antiquas consuetudines & privilegia Zaporohiana militiæ componat, provisurus, ut exercitus ille ad Borysthenem & solennes Tartarorum irrumpentium vias, in Palatinatu Kioviensi, ritè dispositus reperiatur. Ad eundem diem duo Viri à Regiâ Majestate perficiendæ tractationi mittantur.*

*3. Quia Commissionis negotium confici nunc nequiverit: Poloni interim Lithvaniq; & pariter ex alterâ parte Zaporohiani exercitus pacificé & intra limites agunto. Ita ut dicti exercitus neutrubi Pripetum &*

*Horinum fluvios, & in Podoliæ Braclaviaq́; terris Cameneciam ne transgrediantur, nec se irruptionibus, suggresſionibusve mutuis infestanto. Et si illi exercitus eorumq́; aliquæ partes jam alicubi dictos terminos migraverint, recedunto. Quâ de re diplomata jam mox utrinq; dimittuntor; post quorum publicationem, si quis fines dictos transgredi sustinuerit, pro contumace habetor & punitor.*

4. *Ne interturbationibus ansa detur, Domini & hæredes posſesſionum ultra nominatos limites sitarum, ab earum ingresſu & inhabitatione, omniq́; jure postliminii ad definitum tempus abstinento. Qui inter Horinum & Slucum sua tenent, integri porrò indemnesq́;, dum limites modò fixos ne egrediantur, tenento.*

5. *Ad contestandum fidele suum erga Regiam Majestatem obsequium, Ductor militiæ Zaporohianæ captivos omnes in futuro Commisſionis conventu, Regi reddere salvos atq; incolumes, Deo volente, promittit: petens vicisſim ut Czaplinſcius tum sibi dedatur, qui injectâ prædio & vita Chmelnicii manu, huius incendii prima fax, & jam prioris quoq́; belli autor fuerit, aliis potentioribus ad sequius consilium dolo ejus inductis.*

6. *Istas*

*6. Istas conditiones sub fide & conscientiâ bonâ, integrè immoteq; servare & exequi Palatinus Braclaviensis & Collegæ ejus nomine Regiæ Majestatis totiusq; Reipubl. Polonæ, nomine verò universi exercitûs Zaporohiani Ductor ejus promittit spondetq;, manu utrinq; & sigillo apposito. Actum Pereaslaviæ 24. Februarii Anno Domini 1649.* Literæ ad Regem supplices in hunc sensum conceptæ erant. *Cum acerrimis injuriarum stimulis ad excutiendum servitutis jugum incitati compulsiq;, alios propè jam Dominos circumspicere cæpissemus: Illustris Palatini Braclaviensis autoritate à proposito revocati, in obsequio Regiæ Majestatis manemus, ac manere parati sumus: ubi Sacra Regia Majestas compotes nos votorum fecerit, quæ ista sunt:* *Petuntur plura à Rege pro Cosacis.*

*1. Servitus, quam Turcicâ haud mitiorem gens nostra Ruthena in antiquâ suâ Græcâ Religione propter Unionem patitur, petimus, ut solvatur. Ita ut, more antiquo, unius ritûs atq; eorundem Sacrorum gens Ruthena, & Episcopatus Ecclesiæq;, totâ Russiâ, Poloniâ, Lithvaniâq; sint. Nomen Unionis ut deleatur: ita ut duo tantum ritus, qui in primo Russiæ cum Poloniâ coalitu viguêre, serventur. Quicunq; Episcoporum, ritum Latinum sequi maluerint, id iis integrum esto, dum Græca templa & veteres fundatio*-

*nes redditūum Ruthenis restituant: quibus Ecclesia Graeca magis probatur, in eâ manere citra noxam possint. In summâ, ut dentur Romanae Graecaeq; Ecclesiae ea, quae antiquitus ad quamq; pertinuerint, & nemo usquam fratrum nostrorum novo unionis jugo gravetur. Eo remoto, aequior faciliorq; concordia erit.*

*2. Cum Czaplinscius prioris belli praecipuus incentor fuerit, post ablatum mihi Chmelnicio praedium, vitam quoq; meam adortus; eum ut malorum primum autorem nobis dedi petimus.*

*3. Alterius & majoris belli cum Dux Visniovecius fax & origo exstiterit; utpote pacis commissionisq; inchoatae violator, cum eo, si Dux exercituum creatus fuerit, nec pacificè nos agere, nec omninò illum in Ukrainam admittere velle, & ad bellum omninò redeundum fore, denunciamus.*

*4. Palatinus Kiovienfis ut sit gentis nostrae, ritûs verò Graeci; ne in templa Graecae Religionis injurius sit, quemadmodum hodiernus est, qui in arce templa nostra demolitus, alia strui vetuit. Ei alium altiorem in Senatu locum; nobis verò Palatinum eorundem nobiscum sacrorum optamus. Itidem Metropolita ut in Senatu sedem habeat. Ita ut tres omninò Senatores, inter Ecclesiasticos*

*sticos Metropolita, inter Politicos Palatinus & Castellanus Kiovienses nostræ Religioni addicti ejusq; proinde, uti & juris Ruthenorum Patroni & Vindices inposterùm habeantur.*

*5. Kioviæ quæ sunt templa, & monasteria maneant inviolata; sed Jesuitæ exesse jubeantur, quos ut ægrè faceret Ruthenis, introduxit Palatinus; inde intolerabili confusioni data ansa est.*

Quia autem in pactis istis Unionis & Unitorum non rara fit mentio, breviter, quid iis nominibus significetur, indicandum est. Orientalem Ecclesiam, quæ & Græca appellatur, non tàm gravi aliquo sententiarum divortio ab Ecclesiâ Romanâ, quàm ab ejus capite Papâ, dedignatione obsequii, dissidere, adeoq; Schismaticos appellari, constat apud rerũ gnaros. Quotquot igitur ejus ritûs in Russiâ olim erant, omnes Constantinopolitani Patriarchæ antistitio subjecti, ex alieni & Turcici quidem imperii metropoli, leges,atq; instituta sacra petebant. Quæ res, quia Christiano populo nec decora satis nec tuta videretur: Regum Procerumq; Polonorum, præsertim verò Antistitũ, cura eò jam dudũ incubuit, ut hæc, quæ Turcicæ potentiæ, tum vicinitate, tum (quia sub Turcâ multi Græcæ fidei) ipso hoc Religionis nexu quodammodo

*Unionis & unitorum origo ac progressus.*

dammodo obnoxia esset provincia, sub idem cum reliquâ Poloniâ sacrorum Caput redigeretur. Vi ad eam rem adigere vetabant leges Regni; *& cùm nemini, tùm minimè istis eripienda videbatur religionis libertas, quam in primo ad Rempubl: accessu secum attulissent. Numerosissimam porrò gentem violentia ejusmodi ad extrema omnia efferatura videbatur prudentibus & moderatis, qui, populum de servitutis oneribus jamdudum querulum, cum pro reliquâ libertate arma jam induere non auderet, pro sacrorum suorum integritate lubenter arrepturum ajebant. Non una jam ejus rei specimina edita, sed tumere adhuc animos, & si gravius premantur, haud dubiè iterum atroci impetu erupturos.* Verùm Proceres Rutheni, Scholis & necessitudine Polonorum, aliis item invitamentis paulatim ferè omnes inducti sunt, ut prisca instituta, & in iis sacra sua cum Polonis Romanisq; spontè mutarent. Plebs ut rudis, sic vetustatis pertinax, quò magis novum sacrorum regimen in terrâ suâ invalescere videret, eò acriùs querelis apertisq; inductæ mutationis execrationibus, minis deniq; contra nisa est; Cosacorum, qui omnes ejus ritûs essent, arma plerunq; circumspiciens, & occultè identidem ciens. Sed inconditæ


*Proceres Rutheni Religionem mutant.*

conditæ multitudinis vis ingenio potentiâq; aliorum diu retardata, aut ſuppresſa eſt. Tandem verò nonnulli ex ipſis Præſulibus Ruthenis, ſententiarum ſuarum cum Occidentalis Eccleſiæ dogmatibus vicinitate animadversâ, divino impulſu flecti ſe pasſi ſunt, ut Eccleſiæ Romanæ æquis conditionibus innecti velle teſtarentur. Et horum curâ misſi deniq; ſunt anno 1595. ad Clementem VIII, Rom: Pontificem duo Legati; Hyppatius Pociey, Vlodimirienſis Breſtenſisq;, alter Cyrillus Terlecki, Luceorienſis Antiſtes. Qui Romæ comiter accepti, cum, poſt habita ultrò citroq; de rei difficultatibus colloquia, quosdam Eccleſiæ ſuæ ritus Romanis aptare promiſisſent, poteſtatem cæteros retinendi impetravêre. Unde in partes mox discesſit Eccleſia Ruthena, aliis, *Unitorum* nomine, Romanæ Eccleſiæ regimen amplectentibus, aliis priſci ſchiſmatis eò retinentioribus, quò plurium deſertione ad ſequendum ſolicitabantur: illo concordiæ & pacis conſilio, ut ſæpè fit, in ſævisſimum diſcordiæ incitamentum degenerante. Nimirum ut inter accolas nationes, ita inter vicinas Religiones acriora, niſi in tertiam aliquam conſpirare communis utilitas aut necesſitas impellat, odia ſunt. Quia quò pronior

Pronior] in illâ propinquitate tranſitus eſt ex unâ in aliam, eò intentiore ſtudio illum obſtruere fervidi partium Duces nituntur. Hincq; adeò cum cûrâ ſæpè conquiruntur omnia, quæ ad diſtrahendos magis animos faciunr, Multa etiam, pacis alioquin ſtudio tolerata, odioſis interpretationibus aſperantur. Hînc ſané in gravisſimas disſenſiones factionesq;, Rusſi ivêre, & nulli penè congresſus, nulla etiam poſthac Comitia quiritationibus Ruthenorum, *Unionem* quàm maximè incuſantium, caruêre. Donec tandem, ſtrepentibus Chmelnicii armis, cauſa, quæ Comitiorum autoritate tranſigi non potuit, gladiis acta eſt, & utramq; litigantium partem gravisſimis calamitatibus, Podoliam verò & Ukrainam Turcico heu jugo deniq; ſubjecit.



INDEX



# INDEX RERUM insigniorum.

## A.



Laurent.

*Alex*

*Hyppa-*

*Ianus*

( o )

ERRA-

# Errata Typographica

lit:p. significat paginam, l. verò lineam.

*Pagina* 3. *linea* 14. *lege* perstringentem, p. 4. l. *penult.* aguntur. *& l ult.* fama p. 19. l. 28. langvidior. p. 23. l. 14. laneo. p. 25. l. 10. incertam. *&* l. 16. se querebantur. p. 26. l. 15. Pereaslaviam. p. 29. l. 26. famem. p. 31. l. 27. Subpræfectum. p. 32. l. 6. inde. p. 33 l. 14. in compensationem. p 34. l. 8. incertum. *&* l. 14. carcerem. p. 35. l. 7. gestabat. p. 36. l. 19. inhospitas. p. 37. l. 1. accurrisse. p. 41. l. 10. aperuêre. p. 42. l. 18. Polovcos. p 43. l. 18. *dele.* primum. p. 44. l. 6. Samarcanda. *&* l. 7. metropoli. p. 46. l. 2. paulatim. p. 48. l. 13. *pro* &c *lege* ex. *&* l. 23. Situm. p. 49. l. 9. Dobrucenses. l. 10. *dele* alios. *&* l. 22. *lege* nominatum. p. 50. l. 8. ferociæ. *&* l. 15. Batto. p. 52. l. 11. commisso l. 25. internæ. *&* l. 26 libidini. p. 53. l. 6. circum metopo. p. 54. l. 27. Petihorienses. p. 55. l. 2. Arrianus. l. 5. Circassios. &c l. 9. Cl. p. 56 l. 12. conspicua. *ibid.* Mahmet. p. 57 l. 8. Principes. p. 62. l. 13. fortissimè. l. *&* 26. Beauplanius. p. 63. l. 12. in *pro* inter. p. 70. l. 16. potiùs. p. 73 l. 5. vivum. p. 74. l. 15. circumventus. p. 75. l. 8. permissu. p 76. l. 16. transmittit. p. 78. l. 25. in gentem p. 85. l. 2. liberavit. p. 88. l. 24. Zaporovianum. p. 90. l. 23. idcircò. p. 92. l. 21. consiliique. p. 94. l. 23. Vezirum. p. 97. l. 22. Inovladislavviensi. p. 103. l. 8. solicitè. *&* l. 18. navat p. 118. l. 1. ablegandos. p. 157. l. 25. attinerentur. p. 161. l. 12. celeritate. p. 163. l. 8. Osinciana. p. 165. l. 5. strui p 183. l. 9. Tubicinem. p. 193. l. 8 Convocatione. p. 212. l. 5. Electorales *&* l. 20. feudi sui. p. 218. l. 10. includendi p. 227. l. 5. Archiepiscopo. p. 229. l. 12. *&* 22. Alexandro. p. 238. l. 7. malis. l. 20. fastidiri. *&* l. 26. ferream. p. 253. l. 6. noxiave. p. 255. l. 11. Meditandum. p. 259. l. 27. gratia. p. 274. l. 27. Tigenhofiana p. 278. l. 27 & Semigalliæ p. 286. l. 28. diffidentium p. 289. l. 16. variarent. p. 303. l. 6. Pii. isti. p. 314. l. 1. redituum. *In Indice Lit: C. p.* 2. l. 20. obtruncatur. *&* l. 31. *pone* 96. 110. *&* l. 24. Coricinscius.

## In Margine.

*Pag* 19. l. 2. *lege* Tomakovvka. p. 54. l. 6. Tartari p. 72. l. 10. comite. p. 94. l. 6. ad. p. 121. l. 3. examinantur. p. 167. l. 2. Brodana.

JOACHIMI PASTORII
AB HIRTENBERG,

# HISTORIÆ POLONÆ PLENIORIS

PARS POSTERIOR,

DE

IOANNIS CASIMIRI


Regis Expeditionẽ Zboroviana & Berefte-ciana, profligatoque ibidem Chano Tartarico ac Chmelnicio Cofaco,

Accefferunt alia plurima acta, ad annum ufque M DC. LI.

*OPVS POSTHVMVM.*

DANTISCI.
Sumptibus SIMONIS BECKENSTENII.

ANNO M DC LXXXV.



Illustrissimo Reverendissimo & Celsissimo Principi ac Domino,

# DN. MICHAELI

in Radzieyovvice Radzeiyovvski, Episcopo Varmiensi & Sambiensi, Terrarum Prussiæ Præsidi, S. Rom. Imp. Principi, &c.

## Celsissime Princeps, Domine, Domine Gratiosissime.



Um olim Parens meus, ( cujus recens obitus & nunc mihi justas exprimit lacrymas, & semper exprimet, ) florens adhuc annis animisque rerum Polonicarum compendium aliquod, *Flori nomine*, edidis-

edidiſſet, jam tum quaſi teſſerâ quâdam caritati ac venerationi erga res Sarmaticas ſe obſtrinxit. Neque is deinceps ab hoc animo vel inſtituto diſceſſit. Quin ubi cum annis major rerum peritia & judicii maturitas ſupervenit, augeri apud ſe & invaleſcere ſtudium illud paſſus eſt, tantum aberat, ut id reſtingueret. Unde adeò & primò auctarium aliquod Floro additum Stephano Rege; quaſi læta coronide, opus terminante. Deinde etiam commentarius annexùs, rerum ad noſtra uſque tempora pertingentium. Nec hic ſtetit ejus Induſtria. Quin potiùs, ut quicquid in ipſo ingenii erat, id Almæ Sarmatiæ pridem conſecrârat: ita conceptæ erga Eam juſtæque reverentiæ, plura uſque, in Templo Memoriæ ſuſpendere monumenta contendit, addentibus ei pariter ſtimulum non mediocrem beneficiis, in Inclyto Poloniæ Regno, & maximè Indulgentiâ feciet lir id nunc moderantis palmisque triumphalibus vel ad ſtuporem uſque exor-

exornantis, Regis JOANNIS III. (quem Fata servent) clementissimè in ipsum collatis. Quæ cùm grato animo agnosceret, quiescere nullo modo potuit, quin ruptis omnibus difficultatum objectarum repagulis, Historiæ rerum recentium pleniori incumberet edendæ. Cujus cùm pars prior felicibus auspiciis in lucem prodiisset, restabat, ut pars altera, ceu soror gemella, quàm proximè eam sequeretur. Et ita quoque apud Parentem olim constitutum erat. Sed Fati, cujus omnia parere coguntur legibus, Divina vis intercessit. Mihi verò cùm de consilio & voluntate Parentis constaret, neutiquam committendum esse duxi, ut per me stare videretur, quò minùs, quod ille voluisset ac destinasset, efficeretur. Nam de Opere ipso, feceritné Parens hîc operæ pretium nec ne, judicare meum non est. Hoc quidem negari nequit, ad publicanda ea, quæ in Historiâ scribendâ commentatus erat, admodum eum semper fuisse verecun-

dum: Sive quòd lucem respiceret ac nobilitatem ingeniorum, quæ ante ipsum res Sarmaticas in literas misissent, sive quod abunde nosset, tùm nunc superesse, tùm aliàs etiam superfuturos, qui & judicio & elegantiâ in hoc scribendi munere facilè ipsum queant præcedere. Sed ut ut gloriam Parens, quam nec sectatus est, exiguam scribendo consecutus sit: veniam tamen, ut opinor, merebitur, quòd honestam illam secutus est voluptatem animi, quã capiebat, de rebus ac memoriâ Regni, cujus jam à teneris se devoverat venerationi, utcunque bene cupiens mereri. Romanarum quidem rerum Conditor, si fas est ejus hîc ad rem multum imparem aducere exemplum, non alio se, quàm isto conscientiæ, contrà censuram duriorem Clypeo defendit. Unde in Historiæ suæ Procemio † Utcunque erit, inquit, juvabit tamen, rerum gestarum memoriæ principis terrarum populi, pro virili parte & me ipsum consu-

† *Livius in Præfationis suæ principio.*

consuluisse. Hæc autem memorare hic fortasse supervacuum sit, immò est, si Te spectem Illustrissime Celsissimeque Princeps, qui, dum in vivis esset Parens meus, à multis eum annis gratiâ ac clementiâ singulari & fovere & tueri dignatus es. Quo ipso etiam permotus ille, ut qualecunque grati adversus tàm Illustrem in se grati animi testimonium exhiberet, hanc, quæ nunc lucem subit, Historiæ plenioris Partem Ill^mæ. Celsitudini V^ræ. statuit inscribere.

Moriens quidem me filium natu maximum, non alteri quàm Ill^mæ. Celsit^ti. V^ræ eam dedicare jussit, Cujus Nomen isti suo Fætui, Testamento etiam legavit. Non ergo, ut opinor, est quod mireris, Celsissime Princeps, cur huic libro Nomen Tuum ausus sim præmittere. Tuus Ille est ex instituto Patris viventis, Tuus ex mandato morientis, Tuus denique vi scripti supremi Instrumenti. A me jam nihil addi potest ampliùs, quàm ut Celsissime

Princeps, orem, quâ fieri poteſt reverentiâ demiſſisſimâ, ut, dum hanc offero Ill^mæ. Cels^ni. V^ræ. Fætum ingenii paterni, meminiſſe gratioſiſſimè digneris, quâ quondam autorem, dum vita ei ſuppetebat, Clementiâ ſis complexus, atque adeò ejus fructum aliquem etiam pignori ejus ſuperſtiti benigniſſimè impertias.

Immò verò, Celſiſſime Princeps, quando Inclyta Tua Humanitas, dum Te ſupplex alloquor, inter petendum alacriorem resque me & audaciorem efficit, ignoſce Clementer, quòd ſurgat ~~mihi~~ fiducia etiam altius aſcendendi votis, ſimulque humillimè rogandi, ut illum Favoris radium, quo Patri affulgere dignatus es, ad filium etiam pertingere & propagari gratioſiſſimè patiaris. Equidem Celſiſſimæ Tuæ Clementiæ omne animi ſtudium, imò me ipſum pariter, jam nunc,

nunc, quâ par eſt, humillimâ obſervantiâ ſubmitto, qui ſum

*Illuſtriſſ. ac Reverendiſſimæ Celſitudinis V^{ræ}.*

ad omnia obſequia devotiſſimus

*Cliens & Servus*

*Georgius Adamus ab Hirtenberg, Paſtorius Proth. Apoſt. Cant. Can. Lanc. S. R. M. Secret.*

I.

FOrtia qui patrant , laudemque decusque merentur,
Et famam, pretium dulce laboris, habent.
Non minùs hos sequitur non segni Gloria passu,
Scribere queîs curæ est fortia facta virûm.
Quos inter Lechicum multis Pastorius orbem
Obstrinxit titulis nominibusque sibi.
Resque simul magnæ sunt , quas describit , & illis
Auget & Ingenii Scriptor honore decus.
Sic ubi Pellæi faciem vultumque Monarchæ
Pingit Apellææ cura laborque manûs,
Junguntur tituli cumulatæ laudis utrinque,
Et cum materiâ vivere certat opus.

*lubenti calamo animoque scribeb.*
*PASTORIANI Nominis*
*reverentissimus*

O. D. Vögedingius
M. D.

II. Flo-

FLorea SAMARIÆ quondam qui munera
ſparſit,
Dum FLORI titulum pagina parva tulit.
Nunc Illam plenâ largus veneratur acerrâ,
Dum Plenæ Hiſtoriæ majus adornat opus.
Magni res Populi magno hîc PASTORIUS
ore,
Et verbis paribus grandia facta canit.
Qualis ſanguifluum for'sſtans Gradivus ad He-
brum
Os verum ac habitum cernit in amne
ſuum:
Talem hîc ſevero Mars exhibet ore Polonus,
Vivit, & in docto hoc ejus imago viro
Plaudimus. Et non hîc triſtes niſi fortè tu-
multûs,
Sævaque bellorum vulnera multa legas.
O ſi per Lacheſis licuiſſet ſtamen, ut hujus
Pars ſimul Hiſtoriæ Tempora noſtra fo-
rent!
Pro tumidis Autor jam mitia corda Coſacis
Narret, & in Lechicam pectora prona
fidem.
Otia pro turbis & optimæ munera Pacis
Scribat, & illuſtres ac ſine nube dies.

Dicat Sarmatiæ priſcum revireſcere florem,
Et reddi veteris ſcala beata notæ.
Et jam Moldaviam dicat Zalachumque ferocem
Rurſus Lecchindum fœdera ſpreta ſequi.
Hinc Boryſthenidas, hinc gentes mobilis Iſtri
Suſpicere, & Lechicum grande putare Decus.
Tum magnâ Auguſtum celebraret voce IOANNEM,
Ejus & Herculeâ parta trophæa manu.
Præcipuè ereptam ſævo è terrore Viennam,
Pulſosque Odryſios hoc præeunte Duces.
Quas res hiſtoriæ quisquis mandaverit olim,
Tunc quoque cùm dicet paucula, grandis erit.
Scilicet eſt magni nota certa & propria Regis,
Hiſtoricos modicos non ſinit eſſe ſuos.
Sed ſi Scriptorem vetuit Mors invida noſtrum
Tangere, quæ Lechiam nunc nova ſcelabeant:
Invitant tamen hæc PASTORI triſtia Doctas,

*Chriſtophorus Behr,*
*Gedanenſis.*



# HISTORIÆ POLONÆ PLENIORIS

# LIBER VII

REX pactas ad Pentecostes usque festum cum Chmelnicio inducias, in bellum minimè dubitabat desituras. Satis quippe videbat altissima, & Poloniæ tristissima quæque Aruentem hostem, in id tantum tempus arma suspendisse, quo cœlum mitius tellurem ad recipienda belli opera & dandum equis pabulum redderet idoneam. *Anno M.DC. XLIX.*

Sed post acceptum, de minus optato successu Commissionis nuntium, Rex Smarzevium nihilominus oblegat ad Chmelnicium, hostis animum & consilia porrò exploraturum. Interim firmandas sibi vicinorum Principum putabat amicitias, & juxta in exercitus colligendi curam incumbebat. Moschi dubiam fidem ut stabiliret, eò Cicklinium Castellanum Ciechoriensem mittit. De Rakocy Transylvani occultis adversus Poloniam con- *Rex à Cosacis hostilia expectat* *Legati missi ad Principes suspectos*

consiliis quia multa sparserat fama, ea res quomodo se habeat, perquirendi, & si quid veri juberet, cum Principe expostulandi negotium, Joanni Wiclopolscio Præfecto Biccensi, postea Castellano Voinicensi, & denique Palatino Cracoviensi datum est. Exercitus, conficiendi solicitudinem difficiliorem reddebat æris inopia, cum in proximis comitiis parvæ contributiones in rem tam arduam & tanta impendia requirentem decretæ essent. Interim tamen dum majoribus per Poloniam delectibus incumberetur, qui in promptu erant milites, cum Præfectis ante constitutis in Russiam præmittuntur, ut ad limites, pactis induciarum præfinitos, excubantes prohibeant, ne quà hostis istic turbas daret. Lanckoronscio præcipuè tractus Barensis custodia contigit. Ubi plebs Cosacica, fortunâ & instinctibus haud dubiè Chmelnicii excita, dum futuro se bello licentius accingit, bellum acceleravit. Excreverat verò ad Tiram & Bohum coëuntium aggrestium numerus eousque, ut ei sustinendo imparem se ratus Lanckoronscius, Ostrorogium in auxilium advocandum sibi duceret. A quo adjutus, Baro, Urbe Podoliæ primaria, vicinisque locis facilè expulit seditiosos, Sed hi Szarogrodiam refugi, dum pugnæ fortunam tentare non auderet cum Polonis, quos longe numero validiores, quam erant, esse credebant, oppido se inclusére. Poloni sequebantur, oppidumque adoriri

*Præmittitur cum exercitu Lanckoronski*

*Plebs Russica concurrit*

adoriri parabant. At illi ſeu cognitam jam horum paucitatem, aſpernati, ſeu vi ſibi viam, antequam arctius clauderetur facturi, ad cæteros undiquaque erumpunt, immani ſed infauſto impetu. Nam non tantum Polonos gradu ſuo movere non potuere, ſed & fortiter excepti, nec minore virtute mox repulſi, inque fugam diſperſi ſunt, perſequentibus palantes victoribus, ad obſcurum uſque noctis. Poſtea non viſum eſt pertinacius urgere fugientes, ne deſperatione in audaciam accingerentur. Neque in oppidi impugnatione vel tempus vel militem prodigere placuit. Sed cum mox alibi ad Luczinkoic globus agreſtium coire diceretur, ne ſpatium coëuntibus daretur, miſſus eò properè Adamus Sieniavius. Qui quicquid illud erat mali ſurgentis in herbâ oppreſſit, adeò ut Podolia tùm penè omnis ab illâ lue repurgata, quic tam militi in civitate Barenſi reſpirationem dederit. Andreas Firleius Caſtellanus Belzenſis conducto inter Wlodimiriam, & Olykam, Oppidum Radzivillianum milite; ubi Olycæ aliquantum moratus eſſet, 18. Maji copias ſuas movere cæpit: Nempe ex barbarâ Coſacorum ferociâ erga CommiſſariosRegios tum ex tardo Smarzevii Regii Secretarii reditu ſatis jam collegerat vanam eſſe ſpem diuturnæ cum Chmelnicio pacis, deque eâ tanto magis poſtea deſperavit, cum detentus a Chmelnicio idem Secretarius (nam eum à Coſacis miſerè

*Circa Szarogrodiam certamen*

*Iterum ad Luczinkos rebelles diſſipantur*

*Firleius conducit exercitum*

deniq́ue trucidatum esse postea demum intellectum est) agrestem quendam pretio conductum miserat cum literis, quibus nuntiabatur, nihil mite spirare Chmelnicium & Cosacos. Ipse quoque nuntius multa narravit de Cosacorum molitionibus, & abhorrentibus â pace animis, quod vel inde liceret conjicere, quod cum unus Tribunorum mitiora suadere cœpisset, â cæteris, haud dubiè jussu aut permissu Chmelnicii, submersus sit.

Idem porrò retulit, Tartaros crebris Chmelnicii adhortationibus solicitatos, partim adesse Cosacis, partim exspectari. Facilè ista fidem invenere in animis, nulli cum Cosacis paci fidentibus, & metuentibus præveniri. Itaque citeriorem Horini fluvii ripam adversus repentinam vim hostium custodiendam sibi ratus, Firleius Zaslaviam cum exercitu proficiscitur. Quo cum ultimâ Maii venisset die sequente mox Andream Suchodolscium Dominici Ducis Zaslaviæ Tribunum cum expedito velitum Moldavorum agmine mittit exploratum, nunquid copiarum hostilium in propinquo esset. Ille egressus, septem Cosacorum millia ad Sulciniam castra posuisse intelligit, ad quæ antequam perveniret, in vigiles eorum, centum circiter numero incidit, quos omnes ita cecidit, ut ne nuntius quidem cladis elaberetur. In reliquos priusquam iret, mittit properè ad Firleium, subsidium postulans, qui sine mora Rosacovium, veteranum Equitum ductorem cum mille

*Firleius Zaslaviam ducit militem*

*Suchodolscius ad Sulciniam ca-*

mille equitibus ire jubet ſuppetias Suchodolſcio. Junctis copiis fit impetus in caſtra hoſtis, equitibus deſultoriis Hiacynthi Rozdrazevii Tribuni, tum Oborſcii Præfecti Livenſis cæteros præeuntibus. Coſaci quia vallo ſe circumſepſerant, non ſegniter & ipſi crebris pilarum ictibus Polonos amolirinitebantur. Porrò ne receptus ſibi ad oppidum interciperetur, eò varraginem ſuam ſenſim promovere cæperant, aliis interim magno numero è caſtris in oppugnatores proruere auſis. Sed hos Poloni ita tùm exceperunt, ut effuſo in vanum impetu, & amiſſo quaſi aculeo pau'o poſt in fugam, plurimis paſſim cadentibus ſpargerentur. Facilè fugientes aſſecuta Victorum celeritas eſt, & late ſtragem dedit. Illicò & qui in caſtris erant territi, in oppidum recedere agminatim cæpêre, non ut illic pedem figerent, ſed quod iſtac tutiorem ſibi fugam arbitrarentur. Victores in oppido illos deprehendere cupientes omni vi id impugnarunt, ingreſſi, paucos, præter imbeliem ſexum reperere, quo magis in eos quos reperit Victorum gladius deſævit. Cæſorum ad quinque millia hic numerata ſunt, ſupra eos, quos ſtagnum & uligo paludum hauſit, vexilla viginti duo erepta, tormenta duo. Armorũ omnis generis, agreſtium quoque, pulveris item pyrii & plũbi, annonæ denique variæ magna vis, equi ter mille propè. Ductores præcipui quorum alter Doirc, alter Hladki erat, aufugere. Soror prioris

*dit rebelles*

malefica mulier, infelicem hunc fratri congressum angurata, conflictui tamen ipsa interfuit, & equo Scythico insidens, tum voce, tùm exemplo cæteros ad fortiter dimicandum, animavit. Alia similis farinæ fœmina, in vallo circumcursitans, cribro pilas excepisse fertur ferro postea trucidata, cum in castra irrupisset miles. Tertia ejusdem notæ, & Chmelnicio in delitiis (Solocha nomine) cum se ê castris proripuisset, viva in manus Victorum venit. Non leviter animos militum universorum hoc tàm felix præludium erexit, cum inprimis etiam qui non pugnaverant, pugnæ mox fructum sat uberem caperent, dum ex illis, quos Cosaci onustos reliquerant, plus quam bis mille curribus multis diebus assiduè promerent annonam. Exin literas per Jaskonem Firleius ad Nobiles & plebem apud Cosacos merentem mittit, quibus spem veniæ ad Polonos redeuntibus pollicetur. Et effecit hæc Ducis cura, ut multi agrestes, hactenus conscientiâ facinorum, metuque Polonorum apud hostem morati, aut per nemora aut saltuum avia vagi ad penates suos reverterentur. Posthac Christophorus Czarnecius, Ductor veteranus, tum castrorum Præfectus, cum turma desultoria Smogulecy, aliisque tribus velitum, si quid agminum hostilium deprehendi posset, vestigaturus, 3. Junii excurrit. Sed plerosque Cosacos, qui ante hîc signa explicuerant, terror

*Firleius plebem ad pacem invitat*

jam

jam in sylvas egerat, paucis fidei incolarum, vel mœnibus oppidorum credere se audentibus. Septoviæ tamen Sudelkoviæque quingentos plus minus reperit, oppressitque Czarnecius, ita ut paucissimi effugerent, oppidaque hæc ubi gladius satis ante sanguinem perfudisset, ignis denique absumpsit. Visum est talibus suppliciis terrorem in cæteros tractus illius incolas spargere, ne Cosacos sequerentur, vel receptarent. Re ita gestâ Czarnecius binis machinis bellicis minoribus, & signis duobus potitus, ad Firleium rediit. Tertio post die Hiacynthus Rozdrazevius Tribunus, & simul Aksacus subdapifer Kioviensis, turmas quinque rursus in hosticum, jubente Firleio, ducunt, & cum ad Chlapotinum Tyssam (alii Raskonem vocant) aliquot millia Casacicæ plebis ducentem, deprehendissent, ipso adventu suo ita perculerunt rebelles, ut partim in nemora, partim in oppida refugerent. Illos per incerta saltuum venari non videbatur consultum Oppidum adorti levi negotio occuparunt, mox in obvios quosque ferro sat diu grassati, ne quisquam elabi posset, ignem denique tectis injecerunt, quo oppidum universum in cineres desedit. Qui in oppido restabant homines, hinc gladium, inde ignem fugientes, in stagnum adjacens agminatim ruunt. Ubi gladium insequentium ictûs, plurimos seu natantes, seu in ulvâ nequicquam se abscon-

*Chlapotinum comburitur & alia oppida*

dere quærentes, dedere neci. Proximis inde diebus aliquot, continuo adhuc per oppida suspecta, aut ab hoste infessi, circumlatus terror, & vastitas latè facta est. Qua Zvchalum itur aliquot Coloniæ à Suchodolscio, iterum exploratum misso, exustæ, catervæ hostiles cæsæ, & in indicium captivi non pauci adducti sunt in castra. Postea etiam Aksacus Præfectus Ostrensis in globum hostilem incidit, quo cæso signa nonnulla & nuncium simul in castra retulit, Tribunos *Cosacorum aliquot non modicis copiis accinctos, Zuchali consilia & rationes belli ordinatius in posterum continuandi, inire.* Lanckoronscius ubi aliquantulum circa Barum respiraverat 10. Junii ad Ostropolim copias suas ducit, circa quam Urbem Krzyvvonosik stabulabatur, cum sex circiter millibus Cosacorum. Filius is erat istius Crzyvvonossii, qui immanis nuper agrestium colluviei ductor, illata Russiæ magna vastitate, postea sauciatus, tandem miserè alicubi periit. Hic jam Patris, projectâ ad pessima quæque indole, successor & æmulus, manum non modicam colegerat trahente plebem ipsa nominis paterni illecebra. Ubi verò is propinquantem Urbi Lanckoronscium persentit, obviam primò ire ausus est. Sed mox camporum aperta suis rebus noxia expertus, in Urbem se recepit & vim ingruentium amoliturus, veteribus munitionibus novos ex terra & senticetis obices tumultuariâ o-

*Circa Ostropolim Crzyvvonosik grassatur*

*Congreditur cum Lankoronscio*

verâ adjecit. Premunt vestigia Poloni, & fortium muniones obvias incursu facto, impetu Urbem occupare sperant. Korsiani inprimis Dragones densissimis Sclopetorum ictibus valla eorumque propugnatores impetiêre. Cum parum efficeretur, revocatus à Duce miles, sed ut quasi spiritu recepto eò animosius mox rediret. Hostis obstinatos in Urbis capiendæ consilium Polonos videns, alios in vicino agentes Cosacos in auxilium advocat. Quod cum Lanckoronscius intellexisset, mittit partem copiarum, quæ venientes auxiliares Cosacos interciperet. Et favit fortuna, ut felice occursu incursuque istos plerosque trucidarent, adeò ut pauci admodum in Urbem evaderent. Interim insistit oppugnationi Lankoronscius, ipse præsens, & subinde militem animans, alicubi etiam pila tormentariâ propè tactus: Nam ut hinc in obsessos, ita illinc machinæ indesinenter tonabant in oppugnatores. Qui denique pervicère, & in Urbem ingressi sunt. Sed quia ex latebris ædium multum adhuc noxæ inferri sibi posse videbant, igne raptim injecto tectis, igens incendium excitârunt, quod adeò & subitò & latè domos corripuit ut ægrè vim flammæ & ipsi Poloni evitarent. Oppidanornm quicunque reperti, acie ensium occidêre. Sed plerique una cum Cosacis in Arcem se receperant, quã & ipsam cum oppugnare statuisset Lanckoronscius, mittit ad Firleium Collegam, auxilia

*Suppetiæ Casacorum cæduntur*

*Ostropolis occupatur & exuritur*

*Arx oppugnatur*

 pos-

poſcens adverſus Hoſtem tam pervicacem. At vim præſentem ſentiens Hoſtis, majoremque præcipiens animis antequam illa advenirent, clementiam invocare incipit, plebe inprimis innocentiam ſuam ſubmiſſe admodum *conteſtante, quod non ſponte ad hoſtilitatem, ſed nempè à Coſacis coacta veniat.* Mox & Coſaci ipſi, & inter cæteros Krzyvvonoſik jam ſaucius, ſex Sacerdotibus miſſis vim deprecabantur, ſanctè pollicentes, *nunquam ſe arma in Regem aut Rempubl. geſturos.* Mox in feriæ ſubmiſſionis pignus, ſex machinas bellicas ad Pilaucos acceptas, & vexilla duo reddebant. Ipſi verò Arce egredi, præſente obſeſſore Exercitu non ſuſtinebant, nullis ducis promiſſis ſatis fidei habentes. *Adeò ægrè induci mens ſcelerum conſcia poteſt, quin quod meruit ſemper formidet.* Tandem aſſiduis deprecatorum ſupplicationibus effectum eſt, ut nefario illi cum ſuis impunè exire liceret. Quæ res deinceps, inter Polonos multa ſiniſtra excitavit judicia.

*Krzyvvonoſik evadit*

Alioquin memorabilis hæc Caſacorum clades & Polonorum contrà victoria fuit: Nam illorum duo pene millia periere, ex hiſce præter turbam calonum ſex commilitones, Germani quatuordecim occubuerunt, vulnerati infra viginti.

Urbis verò ita fortiter expugnatæ nuntius multo gaudio etiam Firleji caſtra perfudit. Is tamen Dux, etſi fortuna ubique hactenus faveret,

ret, ei non nimis tamen credendum ratus, & de futuro solicitus, ad Regni Senatores, Magnatesque, militem alere solitos mittit literas, rogans, *ut pro solito erga Rempubl. studio, copias suas propere submittant, quo inde ad vim hostis propulsandam auctior fieret exercitus*: Quippe â Duce Samuele Carolo de Korec monitus erat Firleius, Cosacorum grandem colluviem ad Zvehalum confluere, eumque locum rebus suis firmare. In consilio bellico postea disceptatum est, *an movenda castra universa, & an ad Lunckoronscy copias exercitus major accedere debeat, an potius ille ad majorem exercitum invitandus*. In diversum abeuntibus sententiis, nihil tum definitum est, nisi quod ad Zvehalum mittendam Firleius putavit exercitus partem, disturbandis isthic Cosacorum captis. Missus igitur Christophorus Przyiemski, præcipuus belli Tribunus, adjunctis ei Cretvvertinscio Duce, subjudice Luceoriensi, Luca Hulevvicio, Præfecto Zvinogrodensi, Zahorovio Dapifero Novogrodiensi, Lisakovio subjudice Braclaviensi; comitantibus item Przymiciclscy, Pogurscy, Cobierzicy, Klosivvy, Piglovicorum, Dembiny, Poniætovy, Comorovy, Chvvalibovvy cohortibus turmisque, nec non Dominici Ducis, Palatini tum Sendomiriensis militibus, tum Rozdrazevvy, Czarnecyque desultoriis equitibus.

*Firleius Regem & Proceres hortatur ad opem ferendam*

*Zvehalum mittitur Christophorus Przyemski Tribunus cum aliis*

His porro accessuræ in tempore Corecy Ducis

Ducis turmæ ſperabantur. Cæterùm non improviſus omnium iſtorum Coſacis adventus fuit: Quippe velites Palatini Sendomiriæ, Ductore Andr: Suchodolſcio præmisſi 16. Iunij in excurſores Coſacorum inciderant, & iſti concurſu facto, cum in auxilium inſuper Coreccianus miles veniſſet in ſuburbia Zvehalenſia rejecti erant. Illic reſtitantes, de ſepimentorum latebris in ſubeuntes jaculabantur, adeò ut periculum conſpicati equites cedere jam pararent. Sed Dragonarios equo deſcendere jubet Przyemſcius, impetuque pervadere obſtacula. Iuxta quoque Coreciani milites tormentis in illos detonuere. Ita in fugam dati ſubſeſſores illi, quos emiſſus mox eques Polonus ſub ipſa uſque mœnia proſecutus eſt.

*Zvehalum obſidetur*

Die in veſperam labente Przyemſcius nihilominus oppugnationem Urbis ordiundam putabat, quod inprimis de novis copiis in auxilium Coſacorum ducta Hladky venientibus inaudiſſet. Quibus in qualemcunque remoram objicit velites Suchodolſcianos ipſe cætero cum milite Urbem undequaque invadit. Circumſonat undiquaque valla ſclopetorum fragor, ſed non minus quoque ex urbe crebeſcebant pilarum ictus. Et alicubi dejecti pontes impeditiorem ad portas acceſſum reddebant. Commodum accidit, ut propugnaculum unum miles Polonus occuparet, quo incenſo ignis vento ductore, in urbem transmiſſus latè mo-

fud

fudit flammam. Novum hostem intra mænia immaniter grassari videntes Cosaci portâ Arcem spectante effunduntur in uligines arci subjectas. Et latuit fuga illa sat diu Oppugnatores, fumi caligine, quæ istic agerentur obtegente. Plurimi hostium, trajecto amne Slucoteream munitionem opere tumultuario erigere cœperunt. Interim oppidum populabatur flamma, donec universum conflagraret. Incolæ plerique eodem cum tectis suis igne consumpti sunt, multis cum exitum non solicitè admodum declinantibus, cum alios, qui fuga eripere se incendio voluissent gladio perire conspicarentur. Cosaci, qui Urbe profugerant amne paludumque circumjectu, munitione denique erectâ adversus subitam vim tutos se credebant. Neque enim in illa invia secuturum, aut non impunè secuturum Polonum rebantur. Sed miles Przyiemscianus, duce bonâ fortunâ, vadum repererat alicubi, per quod trajici ad novum illud Cosacorum receptaculum posset. Et promptissimus quisque transiit, hoste nequicquam prohibente, ubi inprimis Suchodolsciani milites, qui jam ante quanquam alio fine, & vado non eodem, trajecerant, succurrère. Iam itaque & hic periculum sibi imminere sentientes Cosaci, præmissis impedimentis cedere moliebantur, aliquamdiu tamen tuendam munitionem statuere, saltem ut morante hic Polono, currus præmissi longius

*Incendiũ Zvehali*

*Cosaci ex Oppido profugi*

longius â diſcrimine amoveri poſſent. Paulò poſt, quicquid illud caſtrorum hoſtilium erat, occupatum eſt, magnum impetum facientibus eò Polonis, Coſacis verò languidâ illud manu animoque tuentibus. Quippe ſequi currus conſtituerant. Et paucos iſtic mox reperit occupator miles, pleriſque in vicinas ſylvarum latebras dilapſis. Cecìdit, quotquot eorum deprehendit Victorum ira, cæteros Commorovius aliique nonnulli perſecuti, incidère in currus, quibus expilatis, non modica præda reportata eſt. Inter alia ſpolia Haraskonis ſcrinium fuit, in quo repertæ plures literæ, â variis ad Chmelnicium ſcriptæ, quæ quia multorum ſecretorum indices videbantur, ad Aulam Regiam miſſæ ſunt. Is enim Harasko magno apud Chmelnicium loco, ejusque arcanorum particeps fuit. Parum abfuit, quin ipſe cum aliis Tribunis Tyſſa & Doniec ad tertium â Zvehalo lapidem caperetur. Nam eo uſque progresſi Poloni in globum hoſtilem inciderunt, quem & ita feliciter adorti erant, ut pauci præter Tribunos, inter quos Harasko erat, evaderent. Periere omninò hâc Zvehalenſi clade decem circiter Coſacorum millia, computatis illis, quos flamma unà cum Oppidanis abſtulit. Boum equorumque triginta plus minus millia abegit prædator miles. Plurimum & argenti reperit, quod hoc præcipuè in oppido plebs Coſacica quicquid prioribus victoriis quis-

*diſperguntur denuò*

*Haraskonis Coſacici Tribunì ſcrinium cum literis ſecretis*

*Clades Zvehalenſis quanta*

quæque privatim abſtulerat, clam ipſo Chmelnicio, recondidiſſet. Polonis tanta victoria ac præda parvo impendio conſtitit. Neque enim niſi duo turmales Poloni, Germani duo periêre. Lixas complures, dum incautius per apiaria theſauros ſcrutantur, avaritia ſua perdidit. Digna viſa eſt Firleio victoria, quam miſſo de induſtria nuntio, Regi aliisque Proceribus ſignificaret. Locus enim iſte multum formidatus ante fuerat, nemine dubitante, quin ſedem hanc ſuam inter primarias habitam, omni ope defenſurus eſſet hoſtis. Miſſa itaque in Aulam, & quò præterea viſum, literæ, ſed ad Radzivillium quoque Campiductorem Lithvvaniæ ablegavit Bialtum Vieiſcianum Optionem Firleius, ſcire cupiens, quo locô jam ageret Lithvvanicus exercitus. In literis rogabatur Princeps, *num circa Kioviam exercitui Polono ſuum adjungere luberet, ſin minùs, ut crebris literis iisque* Gallicè *ſcriptis Firleio de rebus ſuis nuntiaret: Tum inprimis ut Chmelnicio in* Polonos *eunte, exercitus Lithvvanicus tergum ejus urgeret.* Poſthæc movet Zaslaviâ exercitum Firleius, cui obviam quoque cum copiis ſuis proceſſit Lanckoronſcius. Is porrò in primo congreſſu (nam ita res exigebat) auxilium â Firleio poſcit, Miedzybozio, Steniaviano oppido, & militi, qui id ægrè jam protegeret, ſubmittendum. Non ita pridem enim ille oppidum verſus mille equites expediverat, aliquid

*Firleius ad Radzivilliū ſcribit*

aliquid de hoste allaturos. Qui cum in Cosacos incidissent, non impigrè illos prope amnem Sluzck aggressi, stragem isthic tantam dederant, ut amnis sanguine turbidus, per injecta cadavera, jam ægrè flueret. Sed hosti multorum millium postea suppetiæ succurrêre, ut minime tantæ multitudini se pares fore viderent mille illi Antecursores. Itaque in Urbem se recipere tutissimum esse visum fuit. Oppidani non ægrè recepere laborantem militem, & quantum poterant ipsi, junctis urmis juvère: veterem constantiæ laudem adhuc pulchre tuentes. Nam ipsis belli hujus initiis per præsentissima etiam pericula, & cum aliæ quæque Urbes certatim deficerent, fidem Hero suo Adamo Sienjavio, & toti Reipubl: egregiè servârant. Virtutis etiam adversus hostem non pœnitenda specimina dederant, magno suo & meritò in posteritatem duraturo honore. Tantò jam etiam promptius, tam fido oppido, & inclusis ibidem Corsianis Sieniavianisq; Draconibus auxiliundum videbatur. Quanquam hi jam omnes in accem se receperant missis sociis militibus, qui quà possent, per hostilia, agmina eluctarentur ad Duces, monerentque ut opem festinarent laborantibus. Horum urgentissimis precibus tantò magis stimulabantur Duces, ut morâ omni sepositâ copias auxiliares mitterent. Præmissus est Sokolus cum modicâ manu. Qui egressus, oblatâ confli-

*Miedzibozianorum virtus*

gendi

gendi occasione vel necessitate, fortiter quidem, sed cum damno trecentorum suorum restitit hosti. Sequebantur majores mox copiæ ex utriusque Ducis exercitu selectæ. Suos milites ipse Lanckoronscius ducebat, ter mille ferè numero. Totidem Rozdrazevius Tribunus ex Firleiano exercitu. Quippe cum Rozdrazevio missi erant hastati Proguslai Lesczinii Præfecti Generalis Majoris Poloniæ, ductore Uladislao Clodzinio, hastati item Ducis Korecii & Radziejovy Præfecti Lomsensis, postea Vice Cancellarii, Velites porrò Czarnecii, Piasecziniorum, Cossacovii, Aksacii, Ocuni, Coberzycii, Jastrzombscii, Micielscii, Skarzèvii, Pegloviorum, Samuelis Holubii, Chvvalibovvii, Uicifcii, Zboroscii, equites porrò germani Unrugi, Dragones deniquè 400. ipsius Rozdrazevii & Oborscy Præfecti Livensis. Tormenta sena juxta ducebantur. Cosaci de Polonorum cuntibus auxiliis certiores redditi, oppidum magno impetu adoriuntur, ingressiq; Oppidanos plerosque trucidant, paucissimi effugêre. Jam & Arcem aggredi moliebantur, cum interim copiæ Polonæ succedunt. Illi suos esse & sibi auxiliatum ire rati, incautius agunt, donec vi infestâ hostes se Poloni ostendebant. Qui mox ferro istos ante se agentes multa cæde viam sibi in opidum stravêre. Nec diu isthic restitit Cosacus, sed alios trepitatio in aquas egit, alii sub molendinis, & pontibus

quærebant latebras. Major pars Urbe relicta in theriotrophium, seu vivarium se recepit, quod festinatis operibus terreis, ut est iste hostis ad manuarium laborem promptus invictusque, palis item roboreis, adversus non subitos tantum incursus, sed & vim majorem repentè firmavit. Erat in proximo sylva, objectamentis ejusmodi materiam suppeditans, tum multis etiam profugorum cohortibus præbens ipsa suffugium. Quæ hic circumjecto sibi idoneo sepimento, pariter vim præstolari ausæ sunt. Ardor incesserat militi Polono persequendi & hostem & victoriam. Sed Lanckoronscius inhibuit post Corsianum militem ex Arce liberatum, non amplius suos cum desperato hoste committendos ratus, præsertim quod & subjecto torminibus Cosaco intellexerat, magnum istorum, qui recessissent numerum esse, & non procul inde Chmelnicium cum ingente exercitu tendere. Unde magni evitandi discriminis, non aliud remedium aptius visum est, quam properè insthinc movere. Et plurimi nisi retrò ducerentur, ultrò abire minabantur. Et si jam etiam cum egregia militum manu, Conicipolscius Vexillifer, nec non Nicolaus Ostrorogius Pocillator Regni adessent, aliquos etiam machinas bellicas secum adduxissent, ut istorum saltem accessio erigere animos labantes debuerit, sed nihil usque nisi recessum ad castra Firlei crepabant plerique. Ea autem

*Miles ex Arce obsessa liberatur*

*Firleius ad Con-*

...tem jam interim Constantinovum erant traducta, quam dein & isti à Miedzibozo reduces 25. Junii ingressi sunt: id potissimum pretium operæ ferentes quod hostibus oppido fortiter cietis, suos in Arce periclitantes liberaverant. Ad Constantinovum diu acerbis concertationibus disceptatum est inter Duces, cum de immensâ Chmelniciani exercitus mole appropinquante non dubitaretur, quo loco is hostis expectandus esset. Lanckoronscius Camenecíam traduci volebat exercitum, cui unico adversus Orientis minas propugnaculo tanto solicitius prospiciendum videretur: quod id in fidei suæ autoramentum, & auxilii Turcici pretium, Ottomannicæ ditioni subdere velle Chmelnicius dicebatur. Firleio suspectum erat iter, *quod & longum satis, & montium nemorumque saltibus anceps, insidiis subinde exercitum Polonicum esset objecturum, cum alioquin altissimâ etiam pace oram illam latronibus fœdam, nunc vero confertissimis eorum catervis infestam sciret. Porrò suo ad Camenecíam discessu aperturus hosti videbatur viam in Poloniam sibique contra interclusurus, quicquid auxiliorum sibi accepturum se sperabat. Spes autem erat, Radzivilium cum suis copiis accelera turum, quemadmodum eum rogaverat Firleius, nondum gnarus quibuscum monstris illi quoq; Principi in ipsâ Lithvvania dimicandum esset. Porrò etiam si illum propiora sua*

*Constantinovum metatur castra*

*Disceptatur an Camenecíam ducendus exercitus*

*suadet id Lanckoronscius*

*Firleius aliter sentit*

 *sua*

*ſuæ Provinciæ pericula attinuiſſent, ſaltem Volinenſis & Kiovienſis Palatinatuum, Ducis item Corecii, aliorumque auxiliares copias brevi ad fore, certus erat, non adfuturas, ſi exercitum adeò procul amotum intelligerent. Neque ad Regem, & alios Proceres tam facilem fore literarum commeatum in iſtâ locorum intercapedine. Cameneciam naturâ, operibus, milite, ad propulſandam vim ſatis inſtructam, & ſuper ordinarium præſidium, iſtic jam eſſe cum coborte Vladislaum Latalſcium. Non majoribus antehac viribus eam Urbem defenſam adverſus hoſtem longè majorem. Denique iſtum qualis ſuadeatur diſceſſum inglorium ſibi & exercitui, contra voluptati fore hoſti, & gloriaturum haud dubiè iſtum, non arma tantum ſua, ſed & conſpectum â Polonis reformidatum eſſe.* Itum eſt in Firlei ſententiam, ne Cameneciam iret exercitus, ſed neque ad Conſtantinovum morandum videbatur pleriſque, certis enim nuntiis compertum eſſe aſſerebant *Chmelnicium omnis non Ruſſiæ tantum, ſed Tauricanæ etiam potentiæ viribus ſuccinctum venire. Eum tam exiguo exercitu præſtolari velle, nihil aliud fore, quam fatum provocare.* Quare

*Reditum exercitui ſuadent multi*

iterum circumſiſtitur Firleius; *& ne in præſens periculum ſe exercitumque unicum nunc Reipubl: præſidium, præcipitet*, oratur. Cum is decoris ſui publicique ſervantiſſimus, nec ſiniſtris adeò de hoſte rumoribus facilè credulus, refra-

tetragaretur, aliqui ſeceſſionem facere ab reliquo exercitu, & omninò quo lubido tulit, abire auſi ſunt. Firleio aciem imperii ſtringere impote quod primariâ quidem non tamen abſolutâ authoritate huic exercitui præeſſet & aliquos ſubinde ex præcipuis ſibi contrarios haberet. Quare ne Pilaucianum ad modum cuſtos Reipubl: exercitus denuò in diverſa rueret, dedit hoc reliquorum deſiderio Firleius, ut ad Camienum Czolhanſcianum, quod nunc Sienjuturum hæredium eſt, & deniquead Zbaraſum recederetur. Hic omninò gradum ſiſtere viſum eſt, quantumvis nonnulli longius mitterent cedendi conſilia. Et antequam caſtra iſtic figeret, locum ipſemet Firleius, comite Lanckoronſcio luſtravit. Eo cum 30. Junii ventum eſſet, uſque etiam aliqui effugia quærebant, quibus exercitui, adeoque diſcrimini, quod metuebant, ſe ſubducerent. Nonnulli voluntariam à ſe militiam ſuſceptam, et hinc adeo invitos teneri non poſſe, cauſabantur. Quibusdam tempus ſtipendii accepti effluxerat, unde adeo ſe nexu militiæ ſolutos rebantur. Alii quæ dudum ſibi deberentur ſtipendia effl ctim poſtulabant, quamvis non ignari, non eſſe jam, unde ſatisfieri ſibi poſſit. Firleius omnia quæ ad pacandum militem pertinerent, experitur, tandemque ne de ſtipendiorum futura exolutione dubitaret, proprias etiam facultates ſcripto obligare militi pollicetur.

*Camienum recedit exercitus & porrò Zbaraſium*

*Milites multi dimitti quærunt*

*Et abeunt* Retenti sunt in obsequio, qui in militia veteres famæque studiosiores erant. Bis mille circiter abiere, quos tempore, ad quod se obligassent, elapso, quia propria voluntas non retinebat, nulla jam autoritas morari poterat. Sed istis intermixti ibant alii, quibus abeundi non erat potestas, pluresque talium abiissent, nisi Duces in currus eorum manum jussissent injici. Hinc de castris ritè firmandis consilia inita. Dispositi item per loca circumjecta milites, qui agrestes ab injuria militari defenderent, quo scilicet messis operis non impeditis, esset deinceps unde victû hauriret exercitus. Bono consilio id fieri videbatur, sed hostium præceler adventus effecit, ut sequius res cederet. Nam ad hunc modum dum parceretur agrestibus, miles Polonus de victu in futurum minus sibi prospicere potuit; & quæ huic negata, paulò post à Cosacis Tartarisque absumpta sunt. *Agris parcitur infelici consilio* Cæterum antequam iste hostis ad Polonos propius accessisset, certi aliquid accipere de illo cupientes Præfecti militiæ, turmas aliquod Sieniavii & Sobiescy Præfecti Crastnostaviensis exploratum 4 Julii mittunt. Hi in Chmelnicii speculatores inciderunt, quorum sex trucidatis, unum servant, adducuntque in castra. *Speculatores emissi* E quo cognitum, *Chmelnicium vestigia Polonorum lentis itineribus legere, nondum tamen compertum quicquam de positis ad Zbarasium castris habere, quin imo credere exercitum no-*

*nostrum unà cum Ducibus non ante pedem sistere constituisse, quam Vistulam attigisset.* De mole præterea Chmelniciani exercitus immane est quod referebat ille index, *triginta scilicet in eo esse Tribunos, quorum singuli decem præter propter millibus militum præsint; Tartaros non alios adhuc esse, quam qui cum Chmelnicio hyemaverint; sed indies Chanum ipsum exspectari. Tormenta porro 24. ducere secum Chmelnicium, & vim ingentem pulveris pyrii, glandium aliorumque belli apparatuum.* Postridiè alius affertur nuntius, Chmelnicium de Polonorum ad Zbarasium castris certiorem redditum, suspendisse gradum metu, ne festinatione in insidias aliquas se indueret, tum quod loci, ubi hærerent Poloni, situm firmitatemque nō ignorans, deliberandum sibi putaret an progredi expediret ad opidum, cui per se satis munito integer jam Polonorum exercitus opitulaturus esset. Inter diversos ejusmodi de Hoste nuntios advolat simul fama Ducem Visnovecium cum egregia suorum manu vix unius diei itinere abesse à Castris. Is Princeps omnium suarum quas ultra Borysthenem amplissimas habebat, facultatum, fructu à primis statim tumultuum initiis erat exutus, & eundem egestatis & penuriæ, insolentem, multa insuper in Regno adversitates aulicæ exercebant. Unde adeò vix quisquam sperare potuit, illum tanta ab hoste damna, tanta ab æmulis potentibus

*Visnovecius ad exercitum venit*

fastidia passum, rebus suis adeo accisis, ad patriam juvandam appellere mentem valuisse. Is tamen ex collectis, quos in his etiam fortunæ augustiis, comitate retinuerat, famulis & clientibus in mediam belli tempestatem, & se, & ejusdem sanguinis Principem, Demetrium, offert. Sed constituerat ille primum seorsim â cætero exercitu habere suos, etiam sic hostem carpendo prodesse se posse ratus Patiæ. Præfectos belli omnemque exercitum, tanti Ducis & tali cum comitatu venientis, propinquitas, vehementer exhilaravit. Sed ipsum in eadem castra omnino pertrahendum existimant, nihil dubitantes, cessurum precibus Principem natura sequacem, si ad bellica inprimis opera vocaretur. Quô efficacior esset invitatio, alter Præfectorum belli Lanckoronscius ad illum proficiscitur, *desiderium exercitus & discrimen patriæ in exiguo hoc, sed selecto exercitu periclitantis adeoque tanti Ducis operam, ad commune propulsandum periculum implorantis*, facunde proponit. Ille aliquantum obniti visus, tandem tamen passus est se exorari, sicq; septimo Iulii, una cum Demetrio Duce wisnovviecio castra inter binos belli Præfectus (quippe obviam illi cum præcipuis Ordinum Ductoribus processerant) ingressus est. Ubi post edita publicæ lætitiæ signa, eo mox incubitum est, ut Dux alteri belli Præfecto Ostrorogio reconciliaretur, quia offensam in illum osten-

*Magno omnium gaudio*

*Visnoviecius castra ingreditur*

offenderat. Et interventu Lanckoronscii haud ægre obtentum est ab ipso, ut iras privatas publicæ utilitati temporique remitteret. Quantum lætitiæ adventus Visnoviecii exercitui affuderat, tantum mox nescio quæ in castris prodigia omnes perculere. Præcipue mirus fulminis ictus animos arrexit. Exigua cælo orta tempestas modicam fundere cæperat pluviam, cum subitò nubes, nihil tale minans, fulmen ejecit, quod ipsius Firlei signum pedestre tetigit, dimidiamque ejus partem in minutissima frusta discerpsit. Ea res variis mox interpretationibus excepta est. Plerique *exitum universo exercitui, alii parti ejus portendi affirmabant, quod non integrum vexillum vis fulminis rupisset.* Alii *iratum Firleio numen significari* clamabant, quod *Acatholicum in castris Ministrum sacrorum* ( is erat Joannes Pandlovvsk, ) *aleret, qui cum sacris cætero exercitus invisis operaretur.* pluribus talia miles otiosus exagitasset, sed jussu Ducum, & instantissimis periculis alio avocati, secretò secum loquebantur, aut coquebant. Postridie mittitur exploratum Sierakovius, Notarius Campestris, cum mille ducentorum, magnam partem majoris Poloniæ militum manu. Quæ cum in pabulatores Cosacos, quingentos plus minus numero incidisset, corripuit ceciditque plurimos. Progressa ulterius ad trajectum quendam, quinquaginta circiter Cosacos

*Prodigia in castris*

*Fulmine signum Firleianum discerpitur*

*Sieracovius speculatum mittitur*

reperit, sed ii Polonos conspicat, per incerta paludum, & arundinum latebras diffugère. Non procul indę alius trajectus supererat, cui cohors Cosacorum apposita erat, illiciendis magis, quam arcendis, Polonis. Nam aliæ cohortes ponè se locis opportunis abstruserant. Sierakovius Piglovium virum strenuum cum cohorte suâ præmittit, ipse eodem secundum amnis declivia improviso suggredi parat. Piglovius intrepidè ad locum designatum tendit, ubi appropinquârat, magno fremitu â subsessoribus undiquaque invaditur, & Scythæ accurrebant, qui ultra montem in valle positi, nihil nisi indicium adventantium expectaverant. Ille re subitâ, & tanta circumvenientium multitudine deprehensus, tueri se quantum potest nititur, sed imparem se sentiens, retrò ducere suos parat. Et perluctatus est, quanquam non sine summa difficultate, & damno plurium suorum. Cæsi turmales undecim, septem capti â Tartaris, ex gregaria famulorum turbâ ultra quindecim. Sierakovius audito tumultu, succurrere suis cupierat, sed cum in aperta camporum pervenisset, undique majorem hostium exercitum ingruere conspicatus, nisi opprimi vellet, ad castra properè sibi redeundum sensit, ita ut hic quoque non pauci perirent. Pęgorscius amisit 4. turmales, Franciscus Micielscius Thesaurarius Palatinatus Posnaniensis duos, Albertus Köbierzycius Castellani Crivensis

*Piglovius ægrè evadit. nec sine damno suorum*

*Et Sierakovius periclitatur*

vensis filius quinque, Uladislaus Klodzinſcius quatuor, gregarios verò complures. Infra tamen periculi magnitudinem & Scytharum oppugnantium numerum impetumque clades Polonorum fuit nec modico etiam hoſti ſanguine ſtetit. Mille enim ferè iſtic interiere, & index ad Duces adductus, â quo de Chani Tauricani in Ruſſiam adventu certiores redditi ſunt. Eidemque fidem mox Chirurgus tranſfuga adſtruxit. Ita jám creditum eſt, quod hactenus & multis indicibus acceptum fidem non repererat. Ducibus inprimis ad credendam rem triſtem tardis, aut falſitatis lubenter accuſantibus indicia, ne præmature exercitus turbaretur, cum præſertim in eo non pauci reſtarent, qui periculi inſtantis aleam ſolicitis nimium animis præciperent horrerentque. Et inprimis famulitii turba vacillabat, propeque â ſeditione abfuerat, ſeu certam ut rebatur perniciem cum Dominis ſubire refugiens, ſeu vi potius per medium hoſtem erumpere parans, quam obſidii mala expectare aut perpeti. Nam quod non multum commeatus ſuppetere ſcirent caſtris, primò omnium ſibi, ut vilioribus, tabeſcendum fame, aut certando pereundum fore credebant. Ita agitantibus Dux tantum, modo aberat, quo non reperto, paulatim reſedêre animi. Plurimi tamen in pagos, injuſſu etiam Ductorum, proruperant, conquærendis vitæ alendæ præſidiis, unde & magnus eorum nume-

*De Tartarorum adventu nuntii*

*Lixæ abire parunt*

numerus poſtea Scytharum velocitate deprehenſus abreptuſque eſt. Noċte quam propior mox hoſtis acceſſus excepit ingens tumultus caſtra invaſit. Bos neſcio cujus militis, abruptis vinculis, & mox perſequentium clamore efferatus, præcurſitabat ſtationes, excubiaſque exciverat, ignorantes, quid tantus & magis magiſque augeſcens clamor ſibi vellet. Exonerata inde ſclopeta aliquot, & mox Tubicen, dato, quod in ſubitis periculis ſolet, ſigno, omnem exercitum commovêre, quippe hoſtis notæ calliditatis, aliquâ per inſidias in caſtra irrepſiſte putabatur. Poſtea, recognitâ, falſus pavor aliis in riſum, âliis in ſiniſtrum futurorum omen verſus eſt. Suborta dehinc dies 10. Julii hoſtis univerſam potentiam, & diriſſimæ obſidionis ( quam ut oculis poſteritatis digniſſimam paulò fuſius narrare aggredior ) primum quaſi aċtum admovit. Erat ingens tam Coſacorum quam Scytharum exercitus, ut dubitem, an poſt Hunnorum, aut Tamerlanis ſeculum ulla ætas viderit majorem. Et hic præterea, quod nunquam ante, hoc bello faċtum, ipſe Tauricæ Princeps Chanus aderat, ingens virtutis incitamentum ſuis, & amplâ ſpe apertiſſimoque quaſi hiatu in prædam ſibi, non exercitum tantum hunc, mole perexiguum, ſed Poloniæ Regnum deſpondens. Iſtis enim plane invitamentis & Chmelnicius hominem, ſocietatem ipſius ac fœdus implorans

*Tumultus in caſtris ex levi cauſa*

*Coſaci & Tartari accedunt & caſtra figunt*

*Chanus ipſe adeſt*

tans, & ipse barbarus se ad bellum acuebat. Butlerus excubiis castrorum Præfectus eminus venientē hostem conspicatus, Firleio rem properè nuntiat, qui signo machinis dato, suos omnes, qui extra castra essent reverti, qui in castris ad omnia paratos esset jubet. Aliquanto post equitatum castris eductum ordinat, acie, si ingrueret hostis pugnaturum. Frontem aciei occupat Alexander Coniecpolscius Regni vexillifer, Alam sinistram curabant Firleius & Lanckoronscius, quibus Adamus Sieniavius & Marcus Sobiescius Præfectus Crasnostaviensis cum suis in subsidium collocati. Dextræ alæ Visniovecius & Ostrorogius præerant. Peditatus cum desultoriis equitibus, & famulitio castrensi ad valla tuenda missus est. Quæ latius quàm oportuit circumducta, majorem, quam tum suppeteret militum numerum exigebant, unde plurima loca, inopiâ defensorum, hosti magis pervia, aut opportuna reddebantur. Hostis paulatim & aliquandiu junctis agminibus subit, cum ad Polonos in acie stantes propius accessisset, diffunduntur in latera globatim Tartarorum Antecursores, & Polonos longe lateque prætervecti ulteriora occupare quærunt cumque palantes alicubi lixas deprehendissent, diu undequaque quasi venati, capiunt eorum duo penè millia. Aliis, cum præcurrendo Polonos in pugnam solicitare viderentur, occurrit Coniecpolscius & con-

*Magnâ spe illectus*

*Ordinatur exercitus Polonus*

*Velitationes præcursorum*

& confertis mox agminibus ingruentes ita fortiter sustinet, donec commotâ tandem utraque exercitus alâ, cruento eos campo expelleret. Periit ibi inter alios Tranctus ê præcipuis Aulæ Tauricanæ. Nemo dein die illo præter paucos præcursores in campo comparuit. Neque suis longius procurrere Duces permittebant, insidias veriti, quas ex utroque latere hostis instruxerat dispositis hinc sedecim, illinc octo millibus equitum. Nam peditatus hostis cum tormentis nondum aderat. Si quindecim saltem millium exercitus fuisset Polonus, haud dubie memorabile aliquid egisset eo die, quia hostis inordinate admodum suggressus, antequam robore peditatus suffulciretur, non difficulter profligari potuit. Sed non habebant Duces in castris nisi novem præter propter millia hominum, in qua paucitate nulla ratio permittebat adoriri hostem, cum primis magna militis pars tutelæ castrorum relinquenda esset, quæ defensore vacua hosti celerrimo, & jam undiquaque circumfuso, facilia fuissent occupatu. Póstero die (11. Julii.) pedestria hostium agmina, cum reliquis præcipuisque Tartarorum turmis, advolvuntur, & ingentia undique camporum spatia occupant, Chano cum suis, eâ parte oppidi, quæ meridiano soli obvertitur, & veteris Arcis usque reliquias servat, tentoria sua expandente. Cætera Chmelnicii plusquam ducentorum millium exer-

*Exercitus Zbarasianus novem millium est*

*Exercitus hostium pedester accedit*

exercitus undiquaque circumsedit. Pars sine morâ procursionibus lacessit Polonos, alii circumgredi castra nituntur. Nonnulli locis depressioribus satis longè erant progressi, cum Sobleius re animadversâ Germanos equites, Unragio sub mittit. In quos illi magno fremitu invehuntur. Unragius nihil territus venientes adeo fortiter excipit mox & premit, ut plurimos in stagnum impelleret. Inde mox cautius remissiusque agere cœpit Cosacus. Sub id tempus Lesnicius quidam, gente noblis ad Polonos rransfugit, è quo intellectum est, Cosacos nocte proxima impetum incastra facere decrevisse. Ac fragor cadentium in sylvis arborum satis indicabat, moliri illos aliquid & jam scalas aliaque ad oppugnationem necessaria struere. Paraverant se ad vim propulsandam Poloni, sed hostis nocte ista clamorem semel excitasse contentus, oppugnationem in diem sequentem 13. Iulij distulit. Quâ orta Chmelnicius primo omnium ex collibus vicinis speculatur, qua parte oppugnatio rectissimè institui posset. Non multo post undiquaque suos irruere jubet, dato negotio, ut qua infirma maxime castra animadvertisset, eo tantò validior vis incumberet. Late patebant castra, & ijs òppugnandis facilius multitudo hostium, quam tuendis paucitas Polonorum sufficiebat. Alicubi etiam vallo ad stagnum usque non perducto hiabant castra. Huc ergo impetu

*Unragius velitatur*

*Chmelnicius castra Polona speculatur*

*Castra circum*

petu maximo se convertit hostis, equite agrestem multitudinem adducente; mox & voce, minis, gladioque ad oppugnationem adigente. Sed locum Rozdrazevius signis aliquot suorum, & Boguslai Lesczinii Generalis Præfecti Majoris Poloniæ, Dragonariorum fortiter tutabatur Cui Pigloviorum Skurzevii aliorumque, tandem & Lanckoronscianæ cohortes in auxilium venêre. Ita hostis loco quidem, quem ceperat, ejici non potuit, sed nec quò voluit eluctatus est. Aliqui hostium stagnum natando trajicere cæpere, ita inermes etiam occupare Urbem vel castra sperantes, quod illinc nulla vis expectaretur, sed â lixis & calonibus falcibus verubusque audaculi isti confixi periêrunt, Cum malè hæc res cederet, alii jussu Chmelnicii in Visniovecii stationem incurrêre At ejus milites glandibus strenue respondebant impugnantibus, & aptato tempore ipse Dux cum acerimo quoque pedite erupit castris, & Cosacos non â vallo tantum longius, ex scrobibus etiam propulit suis, quibus reconditi explosionibus sclopetorum noxam Polonis dabant, ipsi adversus similem vim latibulis suis tuti. Conspecto Visniovecianorum successu, plurimi equitum ê castris succurrebant quorum ope tanto major in hoste strages data est, Polono non modo gladiis, sed & falcibus securibus, armis videlicet, quæ ipsi apportaverant oppugnatores, rem gerente. Abactus est

*venire laborat*

*Repellitur â statione Visniovecii*

est eo usque Cosacus, ut Visniovecio Victori tormenta duo aliaque multa arma auferre in castra licuerit. Tandem fortunam alibi hactenus malè propitiam circa Urbem experiri placuit hosti. Sed & istic non ab Oppidanis tantum, accolisque qui in oppidum profugerant, nobilibus plerisque, sed â præsidiariis quoque militibus ducente Korfio Tribuno, ita excepti sunt, ut multo accepto damno, nullo penè dato abire cogerentur. Infrenduit frustrà susceptis laboribus & sanguinis fusi impendiis Chmielaicius, & præsentiâ suâ momentum felicitatemque majorem addere rebus hactenus voto minus respondentibus sperans, ipse prævius oppugnationem molitur. Et primum impetum in munitionem vallo oppositam vertit, quam non multo præsidio insessam, faciliorem que adeo expugnatu arbitrabatur. Sed eam Oborscii Præfecti Livensis equites desultorii protegebant. Cum his dum pars Cosacorum luctatur, alii interim magno numero ab eodem Chmelnicio in valla ipsa castrorum impellebantur. Et ruebat quo ducebatur plebs agrestium, nihil dubitans de successu prospero, circumsonantibus præcipuorum Ductorum vocibus, *vires Polonorum debilitatas, & alicubi castra â Cosacis perrupta esse* ingeminantium. Nec caruit res periculo, propeque major oppugnantium, quam defensorum vis apparuit. Itaque eruptione

*Item ab oppido*

*Chmelnicius ipse, in cursioni præsens perrumpere quærit*

*Fiunt incursiones periculosa,*

factâ, re scilicet minimè tum expectata, avertere illos libuit â vallis. Prorupit primus cum turmâ suâ Ubyssius, & præsentissimo periculo suo repellere cæpit Cosacos. Qui ægrè â spe cæptisque suis avellebantur, tamen cessêre tandem, cùm Ubyssiano militi suppetias Corecii Ducis cohors, juxtaque ex statione Firleii pedites ac tormenta ignem strenuè jacularentur. Vergente die denuò in ipsam Firleji stationem cæteris eminentiorem, & discrimini maximè patentem fit impetus â Cosacis, agente ipso Chmelnicio & Ductoribus plebem quà voce quà gladio. Et hæc undiquaque vim moliens, tunc per subjectam colliculo vallem furtim suggressa, jam ipsum alicubi vallum castrense tentare & conscendere cæperat, ægerè demum, nec sine multo discrimine, â Firleio suos fortiter animante, & quâ res urgebat, contra ducente, rejecta. Lanckoronscius quoque tum cum turmâ suâ è vallo prorumpens, amoliri subeuntes Cosacos contendit, sed propter creberrimos de scrobibus jaculantium oppugnatorum ignes, citra votum stetit conatus, & periit tum Rajiecius, Georgii Lubomierscii Præfecti tum Cracoviensis Optio. Hinc jam in Rozdrazevii stationem hostis acerrimâ vi incubuit, & diu cum cohorte Tribuni hujus, viri sanè strenui, & dignum se militem habentis, luctatus est: donec iterum eques noster, Kosackovio Subjudice Braclavien-

*Ubyssius prorumpit é castris*

*Firleiana statio invaditur & ægrè defenditur*

*Statio Rozdrazeviana invaditur*

vienſi, Zahorovio, Micielſcio, Clodzinio Ductoribus erupit. Vertit hic in ſe magnam mox partem Coſacorum, & aliquot impetu proturbavit, ſed aliunde à multitudine jaculatorum circumventus, vix ad aliam caſtrorum portam inter denſiſſimos glandium ictus evaſit, non hic quoque periculi expers, cum circumpoſita Coſacorum agmina pariter igne ſævirent. Amiſit turmales non paucos Coſackovius, Chlodzinius inter alios Signiferum, quo cadente cùm vexillum quidam turmalium accipere vellet, manus ab alio ei præſcinditur, rato Coſacum eſſe, qui prolapſo ſigno inhiaret, nam ob fumi caliginem alter alterum non dignoſcebat. Pariter Zahorovii Aquilifer hoc in excurſu graviſſimè ſauciatus fuit, adeò, ut antequam ad caſtra equo ſuo perferretur, delapſus, vexillum cum vitâ, propè ipſum vallum amitteret. Id corripere Coſaci omni conatu enitebantur, ſed ſimul ut procurrerat aliquis, â valli defenſoribus ſclopetorum ictibus intercipiebatur. Tandem famulorum caſtrenſium unus è caſtris emiſſus, evitatis ſua agilitate, ſeu felicitate magis jaculantium ictibus, in caſtra ſignum illud incolumis retulit. Coſacorum interim aggreſſiones circa Rozdrazevii ſtationem uſque, frequentabantur. Et cum viginti præter propter millia huc deſtinata eſſent, aliis atque aliis ſubinde ſuccedentibus, non fatigabantur æque quã fatigabant. Ac tametſi plurimi

*Signum militare defenditur contra hoſtem*

ſubinde occumberent, in illo tamen adeò grandi numero & ardore quaſi cæco oppugnantium parum id attendebatur. Chmelnicio ipſo, quod ſupra votum fermè excreviſſet exercitus haud recuſante ingentem etiam hominum vim in ſpem caſtrorum occupandorum prodigere. Obſeſſi ſatis & ipſi rerum ſuarum agebant: quanquam inexhauſtam oppugnatorum multitudinem, invictamque obſtinationem toto die ſine intermiſſione experti periculi denique magnitudine tantum non frangebantur. Verum inſigni mox Viſniovecii Ducis artificio erecti ſunt. Is enim languefiere alicubi militem conſpicatus, ſigno per tubicinem dato interdici publicè juſſit, ne in Tartaros Sclopetarii Jacularentur, hos enim miſſis internuntiis, pacem & amicitiam offerre Polonis. Fictum id erat, tamen à tanti Ducis aſſeveratione fidem reperit & mirum in modum animos omnium refecit, adeò ut ultrò jam in Coſacos proruere ambirent. Utendum iſtâ animorum inclinatione viſum eſt Ducibus, itaque præmiſſo voluntariorum, tum famulitii caſtrenſis agmine, peditem & ſelectas aliquot equitum turmas in hoſtem ire juſſere. Alacribus animis primi illi invadunt Coſacos, & non à vallo tantum, ſed & de Scrobibus ſuis fugant. Et quanquam ſuperveniente Coſacorum equitatu inhibitus eorum impetus, mox tamen recaluit quando Firleius cum pedite, & Dragonariorum agmi-

*Stratagema Viſniovecii*

agmine adfuit. Mox & Visniovecius cum equitatu accurrit, magno impetu quicquid hostium obviam venerat, proturbat, & quà fistulis minoribus, quà gladiis trucidat. Fit fuga, & pulveris pyrii, Sclopetorum, rutrorum, aliorumque apparatuum, non parum relinquitur. Ægrè tormenta periculo subducta sunt. Equitatum Polonicum conspicati Scythæ assultant magno numero, & Visniovecio inprimis inhiantes, eum circumdare nituntur. Sed ille cum Tartaris pugnare non rudis & quid illi maximè formident gnarus, ita illos dimicando circumducit, ut tandem eò loci venirent, ubi quàm maximè tormentorum ictibus paterent, quæ & ita fortiter in subeuntem Scytham detonuere, ut is conspectâ plurium suorum strage majorem nollet expectare. Sed ex iisdem tormentis dum minutæ glandulæ, quibus in grandius hostis damnum machinæ onerata fuerunt, sparguntur latiusculè, Ponetovius quoque eximius equitum Ductor, & aliquot Christophori Przyjemscii Tribuni pedites hostibus nimirum aut intermixti, aut nimis propinqui interiêre. Tali fine atrocissimâ, & septendecim acerrimis assultibus extrema omnia obsessis minata oppugnatio ea die deſæviit. Chanus Tartarorum Princeps, totâ hâc luce ex colle, veteri arci Zbarasianæ proximo, infesta hæc oppugnantium defendentiumque se certamina spectaverat, fuso mutuis manibus Christiano sanguine

 haud

haud dubiè ˈætus, ſed inprimis id avidè opperiens, ut Coſaci caſtris exuerent Polonos, quibus fugientibus putabat haud ſibi defuturum, unde avaritiam ſuam crudelitatemque abundè expleret. Et ſane eo ipſo die rem omnem confectam dare promiſerat Chmelnicius, ac omninò montem viæ publicæ imminentem ideò ſervare Scythis ſuaſerat, unde tantò citius animadvertere fugientes, & involare eò promptius poſſent. Poſtero die oppugnatione ſed modicâ, tàm caſtra quàm Urbem tentavit hoſtis, at utrinqne repulſus eſt levi manu. Urbem defendebant Korſiani pedites, oppidanique ipſi, quibus profugorum ex agris circumjectis magna acceſſerat multitudo. Si quando nec iſta præſidia ſufficere viderentur, ſubmittebantur ex caſtris auxilia. Minimè enim negléctim ſibi habendam Urbem putabant Duces, quod annonæ non parum collegerant oppidani, unde & miles & jumenta reficiebantur, tum quia cum Urbe perditâ, aquæ copia intercepta fuiſſet exercitui obſeſſo.

*Caſtra mutat Polonus exercitus*

Hoc die porrò retraxere Duces militem in caſtra minora. Nam quod prior circumvallatio latius exporrecta videretur, quam utà tam modico exercitu, citra nimium laborem periculumque defendi poſſet, dum priorem defenſores deſignati tuerentur, alii interim milites, & quicunque huic operæ apti erant, alii contractiori vallo faciendo, aliquot hactenus diebus

incu-

incubuerunt. Sed dubites an non hoſtium æque, quàm exercitus obſeſſi commodo hæc opera navata ſit. Nam reducto in interiora caſtra milite, priora valla hoſti patuêre, cui pronior inde in obſeſſos & proſpectus & oppugnatio fuit. Poſtridiè vehementiorem Coſacorum impetum præſtolabantur obſeſſi, eò quod fragorem procidentium arborum, tum fabricantium aliquid operarum audierant, ſed nonniſi machina una adducta eſt, quam ex ligno tegendis oppugnatoribus ſtruxerant. Et hanc ubi agreſtes depoſuere, lixarum turba diſſectam poſtea in caſtra fruſtillatim detulit. Enimverò cum à vi abſtinerent, aſtu frangere animos obſeſſorum Coſaci ſtatuerunt. Quodque inprimis auditum Turcarum adventum haud parum terroris daturum eſſe Polonis crederent, ſpargunt per exercitum rumorem, ire & prope jam adeſſe Turcas, opem Coſacis ferentes. Eoque fine paulopoſt tentoria ad Pilancos, inter cætera ſpoliorum Polonis ablata, late expanduntur. Manipulos porrò ſtramineos, ementito Turcarum habitu (nam veſtes tiaraſq; de mappis, lectorum ſtragulis, tum vexillis quibuſdam verſicoloribus, mirâ arte inter ſe aptatis confecerant) coopertos, imponunt equis quos ita inſtructos pedeſter Coſacus, peregrino pariter veſtitu indutus, regebat. Quæ res procul intuentibus Turcici exercitus ſpeciē dare videbatur. Sed Polonis ridiculus magis quã

*Turcarum adventus fingitur*

formidabilis ac perniciosus hic dolus fuit, quia adhibitis conspicillis Scenam dum strueretur spectaverant. Ast postea (16. Julii) alio & feliciore astu oppidum hostes penè intercepere. Cum oppugnationum undiquaque minis totâ pene nocte militem Polonum insomnem tenuissent, credebant, die ortâ tantò altius indormituros, qui noctem vigilando traduxissent, idque adeò tempus machinationi alicui suæ opportunum fore. Ac propè equidem abfuit, quin voti potirentur. Composuerat se ad quietem excubitor miles: isti interim adeò tacitè subrepunt, ut jam sepimenta Urbis vellerent, & conspectis per rimas & foramina, armis securius â milite depositis injicerent manum. Eo strepitu excitati vigiles ad arma prosiliunt. Hæc vero per foramina trahebat ad se Cosacus. Diu ita in diversum trahendo arma luctatur, donec pilis securibusque manus nonnullorum præsecarentur. Oritur oppido toto tumultus, aliis occupata ab hoste mænia, aliis non occupata quidem, sed in summo discrimine esse clamantibus. Exsurgit in hostem missa â Firleio Kopistiniana cohors, cum nec ista multum proficeret, Korsiana succedit. Ita tandem pluribus suorum amissis, reliqui re infecta abiere. Diem sequentem incursu hostium, non item metu vacuum habuêre obsessi. Nocte verò subeunte magno iterum impetu castra adoriuntur Cosaci, nonnullis horum Tribunis cer-

*Oppido iterum insidiatur hostis*

*Castra invadit hostis*

certam jam ſpem occupandorum caſtrorum Chmelnicio facientibus. Et jam ante factum incurſum, victoriam animis nil dubiis præcipientes, prædam inter ſe Chanus & Chmelnicius creverant. Capita Ductoreſque Polonorum Chmelnicio, reliqui cum prædâ univerſa Tartaro deſtinabantur. Obſeſſis Ductorumque etiam ipſorum nō nemini iſta hoſtis neſcio unde cognita fiducia, & adeo audax rerum alienarum diſtributio, aliquam iterum conſternationem incuſſerat, adeò ut accuſare fortunam ſuam & Ducis primarii Conſilium inciperent, qui in has anguſtias paſſus eſſet exercitum includi. Sed cum vis hoſtilis ingrueret, querulos ad arma neceſſitas avocavit. Cumque omnes certatim arcerent incurſiones hoſtium, etiam hæ non multo poſt refrixêre, tandemque duobus primipilaribus illorum, qui adeo magnifica ante ſpe animos ſuorum ſuſtulerant, amiſſis receſſum eſt. Et ſubjecta lux inturbida fuit, non auſis meliora ſibi polliceri de die, qui nocte nihil profeciſſent. Veſpere orto exercitus in tertia jam caſtra ſe recepit. Nam cadentibus ſubinde nonnullis, tum frequentiâ excubiarum conflictuumque fatigatis omnibus, etiam ſecunda caſtra nimis jam latè porrecta videbantur. Tertioque receſſu occupatus collis eſt, unde oppugnatoribus difficilior incurſus, obſeſſis proclivior ſui reddebatur defenſio. Cum verò inter Duces conveniſſet, non-

*Conſternatio in caſtris*

*Caſtra iterum mutat exercitus Polonus*

nisi tenebris intendentibus movere exercitum, ne aliud agentibus subito hostis ingrueret: aliqui tamen conspectis curribus nonnullis Firleianis, qui de die in nova castra commeatum veherent, mittere & ipsi suos cœperant. Unde orta die revocati currus, & severè interdictum, ne nisi sole occaso, quisquam se moveret. Cum tempus designatum appetiisset, ordine, quem Duces sanxerant, retrocessit exercitus. In vallis funes relicti ardentes, fallendo hosti, ut Polonos in prioribus castris usque hærere existimaret. Agmen vero cedentis exercitus claudere jussus est Christophorus Przyiemscius, excubiturus, ne abeuntibus inexpectatus superveniret hostis. Die sequenti (19 Julii) deserta â Polonis castra occupant Cosaci, & ad altera contractiora viam sibi ductibus obliquis, militemque tegentibus struere incipiunt. Et in novis his Polonorum munimentis omnia infesta reddebant, quia occupatis vallis, quæ obsessi deseruissent, facilè, quicquid gereretur in castris adversis, perspicere poterant. Cum accessibus illis obsidionalibus propè ad stationes Ostrorogii & Przyjemscii se admovisset fossor Cosacus, globi (granati vulgò) hinc tramittebantur. qui postquam procidissent, dissilientes, noxam eo majorem in hoste dabant, quod is, quale hoc genus pilarum sit, ignarus, secura curiositate molem delapsam miraretur. Densius simul pilæ aliis jaciebantur machinis, quæ

quæ â molis oriſque latè patentis ſimilitudine, vulgo *mortariorum* nomen adeptæ ſunt, curante eam rem Sebaſtiano Aders, viro machinali iſtâ ſcientia pereximio, & jam olim Coniecpolſcio Duci exercituum ob artem & induſtriam in paucis caro. A quo etiam in Tauricam ſuperioribus annis clam miſſus, omnẽ illam terrã cum cura exploravit deſcripſitque. Sed is jam, cum primo jactu lapides meros ſpargente, plures Coſacorum interemiſſet, alterum parans & in ſuggeſtu paulo incautius ſe elevans, pilâ hoſtili trajicitur, nec multò poſt exſpirat, magno omnium damno & dolore. Ei Andreas Radvanſcius deinde ſuffectus eſt. Exin non levibus territamentis ſtationem Viſniovecianam ſolicitavit hoſtis, Sed eum & protector ſtationis miles, & ortus interim nimbus compeſcuit. Nam ſcrobes & latibula Coſacorum ita aquis oppleta ſunt, ut niſi mergi aut permadeſcere toti vellent, effugere inde cogerentur. Quod conſpicatus Viſnovecius ſuos ſubmittit, qui palantes invaderent, & abſcondentium ſe excuterent latebras. Reperti paſſim aliqui ſunt, ac mox pilis, gladiis, ſecuribus trucidati. Nonnulli in rerum hoſtilium indiciúm adducti. Bina pyrii pulveris dolia ablata. Moles & machinamenta, quæ ad oppugnationes ſibi fabricaverat hoſtis deſtructa.

*Sebaſtianus Aders occiditur*

Sub id tempus literæ â Chmelnicio ſcriptæ redduntur Firleio, primario belli Præfecto, in quibus homo ille veteres *injurias ſuas â Præfectis*

*Chmelnicius ſcribit ad Firletum.*

*fectis Regiis Iudaisque acceptas refricat. Eas reputantibus non mirum videri debere, si ipse extrema passus, præbitis à bona fortuna occasionibus ad amoliendam ulciscendamque vim alienam utatur. Eidem fortunæ suæ obsessos quoque animum merito submissuros, cum satis videant impares se obsessori exercitui tandem fore: & ista obstinatione irritatis Victoribus non nisi ruinam sibi facere duriorem.* Pariter aliæ allatæ sunt ab eodem hoste ad Ductores Germanos exaratæ hoc argumento. *Nullo ipsos beneficio, sed nec injuria cognitos esse Cosacis. Nec nisi alienam culpam nunc, communi cum Polonis tot injuriarum reis, calamitate luere. Miserari se sortem hominum, quos quò acriores ad bellum videat, eò magis cuperet meliori belli causæ innexos, meliorem quoque fortunam experiri. Sed locum adhuc esse mutandis consiliis, quæ ipsi non ratione tantum, sed & eventu jam Judice quotidiè sentiant damnari. Transirent ad eam partem, cui Deum magis propitium esse videant. Exiguum esse stipendium, quo ad præsentia adeò, perpetuaq; mortis pericula autorati sint, & si id tanti ipsis fore apud Cosacos felicioris militiæ luculentum pretium, cum apud suos exitium potius quam stipendium expectandum sibi videant.* Priores literas cum legissent Duces, aliis pariter Ductoribus legendas præbuere. Alteras non est visum ostendere iis, quibus inscripta erant, ne

*Idem scribit ad Germanos*

ne fortè blandimentis ejuſmodi aliquis levior (nam de plerorumque fide non dubitabatur) ad transfugium ſe pellici pateretur. Chmelnicio ſtudiò nihil reſcriptum eſt, ne vel irritaretur duriore reſponſo, vel molliore inſoleſceret. Sed ille cum nhil incurſibus continuis, nihil artibus efficeret, cuniculis actis ſubire vallum, & caſtra ipſa ſubruere aggreſſus eſt. Dies noctesque induſtria agreſtium ducendis occultis meatibus miraque arte, & vario flexu militem ſuum occulentibus mæandris incumbebat. Et brevi tempore adeò propè ad vallum acceſſerunt foſſores, ut cum præſidiario milite ſociare ſermonem poſſent. Ac ſubinde, inprimis de nocte andiebantur aggreſtium iſtorum voces, nonnullorum laboribus ſuis ingemiſcentium querulæ, aliorum maledicæ & minaces Polonis. Hos verô externis hoſtis molitionibus minus hactenus territos, occulta iſta machinamenta quibus ſolum ſibi ſubtraheretur, non parum habuêre ſolicitos. Fuerunt etiam inter Duces præcipuos, qui deſertis omnibus externis munitionibus in Urbem Arcemque retrahendum, quicquid exercitus ſupereſſet, ſuaderent. Sed id conſilium Firleio & Viſniovvecio omnimodè diſplicuit. *Receſiſſe ante exercitum, ſed commodo ſuo & quia valla nimis latè porrecta tueri is non potuerit. Jam caſtris teneri, quorum defenſioni hactenus par ſit, & porrò, favente Deo, videatur par futurus. In ma-*

*Cuniculos ſtruit hoſtis*

*De caſtris deſerendis deliberatio*

*majores angustias coactis non fore locum, ubi arma expediant. Neque oppidum Arcemve capere omnes posse, quos castra ceperint. Plurimos militum, famulitium castrense, & impedimentorum magnam partem relinquendam fore libidini hostis. Cui ejusmodi ultro velut in illecebram data spolia ad persequendum reliquum exercitum, non modico futura sint stimulo. Inde & insolentius acturum, qui se, qui mortem à cedentibus formidari crediturus sit. Manendum itaque omninò in castris, hic potiorem quam alibi esse spem tuendæ vitæ, vel si extrema impendeant, omninò gloriosiorem saltem mortem fore, stationem suam tuentibus, quam in angustias ultrò, & metu magis, quam necessitate refugis.* Acquievere tum Ductores cæterique militesque. Et cum nocte sequente hostis obsessos iterum urgeret incursionibus, alia omnia consilia præsens necessitas excussit. Postea pacis cogitationibus utrinque dies aliquot exacti sunt. Obsessis famem, & illos hostium per cuniculorum latebras suggressus ad animum magis magisque revocantibus, hoste pariter, cum vi parum hactenus effecisset, morâ ad deditionem cogere, vel astu tandem expugnare obstinatos sperante. Nec ignorabat is mala interna, quæ supra vim hostilem premerent obsessos. Inopiam præcipuè annonæ magis magisque ingruentem. Nam jam pridem equi penuriâ pabuli emoriebantur, & fætore

*Dissuadet Firleius & Visnovecius*

*De Pace cogitationes*

castra

castra universa inficiebant. Panis buccella denis sestertiis, doliû hordeacei quinquaginta florenis emebatur, tandem & militi gregario nihil penè, quo ventrem satiaret, suppetebat, præter equinam, postremò & canes mactabantur in cibum, ac si qui ex his sese cadaveribus equorum saginassent, inter delitias habebantur. Quare eò jam inclinavere animi, ut honestæ alicujus pactionis vel quæreretur, vel oblata acceptaretur ratio. Scribitur primum epistola â Kisielo Vexillifero Novogrodiensi ad Chmelnicium, ita temperata, ut nihil indignum obsessis contineret, animum tamen hominis pertentaret, quibus conditionibus pacisci velit. Postea eodem fine ad hostem missus est Zacwilichovius, vetus equitum Ductor, Chmelnicio verò dudum notus, & ante hoc bellum amicus. Sed is quia ebrium repererat Chmelnicium, nihil nisi minas ferè inde retulit. Planè enim homo ille, dum sobrius erat, mitis tractabilisque, ubi potu incaluisset exuit naturam. Exin ad eundem Zacwilichovius Kisielo Vexillifero Novogrogiensi comitatus rediit, mitiora responsa ab homine expectans. Sed is tum, etsi non potu, tamen fortunâ suâ ebrius, durissima â Polonis, si obsidionem solvi vellent, postulabat. Inter alia Jeremiam Visniovvecium, Lanckoronscium, Ostrorogium, Coniecpolscium, Sieniavium dedi sibi volebat: cæteros dimittere

*Tentatur de pace animus Chmelnicii*

*Dura & iniqua proponit hostis*

tere pollicebatur. sed armis omnibus exutos, addiderat nescio quid, *de concedendis sibi Poloniæ provinciis quicquid earum esset ad Vistulæ usque ripam.* Responsum ei est, tam *duras conditiones, & exigi non debere, & inire ab exercitu non posse, qui nullas Reipublicæ Provincias habeat in potestate sua, neque nunc eò adhuc redactum ut de cæteris, quæ in manu sua posita viderentur suscipiendis cogitet.* Qui responsum hoc ferebat, Tubicen Firleianus apud hostem mansit, malorum quæ obsessos premerent, pertæsus, & majorum haud dubiè metuens. Cum Chmelnicius ita iniquum se præberet, visum est Chani Tauricani tentare animum. *Honestius forte & proclivius cum homine externo eoque Principe videbatur negotium futurum, quamcum agresti hac plebe. Quæ insita animis illiberalibus impotentia moderari felicitati nesciat, & si impunè possit, superbè iis insultare amet, quos ante supra se positos, humillimo obsequio coluerit. Quod si Chanus pacem quam bellum mallet, non restiturum Chmelnicium, cui Regulus ille omnispotentiæ fortunæque hujus autor & fundus sit.* Missi itaque ad Chanum duo Nobiles Viri lingæ scythicæ benè periti, Janicius & Bielicius. Ille sic satis pronum ad ea, quæ vellent Poloni testatus animum, alios tamen majoris notæ legatos, & inprimis Visniovvecium, Coniecpolscium, Sieniavium postulabat: Sed

*Chani deinde tentatur animus*

bat: Sed quia hos tantos viros, & tot majorum ſuisque contra Tartaros facinoribus inſignes, periculo exponere Poloni nollent, abſque effectu conatus pacificationis intercidit. Cæterum brevi iſto, quod commeatibus ultró citroque literis nuntiisque dabatur armorum interſtitio, ſi aliud nihil efficiebant Poloni, ſaltem otii aliquantillum lucrabantur ad reſpirandum. Et intermedio hoc tempore quia colloquiorũ non verebantur commercia, fiebat ſubinde, ut agreſtes, qui inter Coſacos militabant, Polonos, ipſosque, ſi qui adeſſent, Heros ſuos affarentur, miſerationem præferentes, & in Coſacorum truculentiam erga vulgus ruſticum multa jacientes obliqua. Nempe iſti ſuo malo jam ſentiebant, non excuſſiſſe ſe, ſed mutaſſe tantum Dominos, Veteranis agreſtes non eſſe niſi inſtrumentum laboris, & quo ipſi ire nolint, ſe adigi, magnâque humani ſanguinis prodigentiâ in pericula & cædes impendi. At dum ita inter ſe gregarii & plebs agreſtium colloquuntur, alibi Duces cùm hoſte per Internuntios agere orſi, inter ſe acerbè admodum contendere. Iterum enim de milite in oppidum & Arcem ſubducendo diſceptatum eſt. Et nonnulli currus có jam movere cæperant, tantâ feſtinatione ut Firlcius denique pontibus ablatis, & manu injectâ iter intercipere properantibus coactus ſit. Unde ingens circa currus certamen ortum

*Colloquia inter Obſeſſores & Obſeſſos*

*De receſſu in Arcem & Oppidum contentio*

multis eâ occasione rapiendi, quæ fami levandæ facerent, avidè utentibus. Neque sanguini parcebatur, eousque incaluerat certantium ex aviditate ira. Ægrè demum accursu ipsius Firleji composita est pugna. Cæterum cum impedimenta sua alii nonnulli in Arcem Oppidumvè jam dudum & nemine reclamante deferri curassent, Firleianæ aulæ Rector duos pariter currus eò jusserat deduci. Ea res conspecta magnam mox tempestatem Firleio creavit. Eum enim cæteri Ductores acerrimè perstrinxêre, quasi *præproperi metus, & velut elato fugæ signo, aliis idem faciendi verecundiam auferret.* Auditæ & voces, ex quibus non obscurè colligi poterat æmulos Firleii, qui non pauci erant, summum rerum Regimen Visniovvecio datum velle. Adeò facilè vacillat & contemnitur belli imperium, nisi solutum lege & penes unum sit. Sed ille animo & ore satis promptus, innocentiæ suæ & autoritati non defuit. Et cum dicta in arenâ statim refutasset, sinistra etiam adversum se consilia non ægrè postea discussit. Nec multò post recrudescens ab hoste vis animos á mutuis diffidiis ad communem salutem tuendam avertit. Nam ubi aliquot diebus frustra agitata essent compositionis consilia, denuó 28. Julii castra Polonorum adorti sunt Cosaci. Eosque cum cautius quã ante vallos impetere conspexerant Tartari, ipsimet quoque, procur-

*Firleius impetitur*

*Reditur ad hostilia.*

currere, & non voce tantum, sed sagittas vibrando, ad alacritatem majorem cunctantes excitare conati sunt. Circumstrepebat Castra undiquaque hortantium adorientiumque fremitus, at in Rozdrazevii stationem majore quam usquam alibi vi incursum est. Sed hic cum non minus Ductor, quam miles officium impigrè faceret, nullum operæ vel sanguinis pretium abstulit hostis. Sieniavii pariter statio frustra ab eo tentata est, aliquot tamen sauciati, inter quos Proszinski, Ztocki, Porsinski eminebant. Ubi sic iterum sine magno effectu oppugnantium impetus deferbuisset, misit appetente vesperâ hostis unum ex primiceriis Cosacis, qui nuntiaret Ducibus, mirari Chmelnicium, cur á Polonis non continuaretur pacis faciendæ negotium. Missæ igitur literæ, *in Polonis moram non fore* nuntiantes, *dum ipse æquiora quam ante proponeret.* Qui literas apportavit, retentus â Chmelnicio per noctem, & cum ipso in eodem tentorio cubare jussus est. Istic mutua familiariter Cosacus disseruit, quæ speciem mitioris animi videbâtur præferre. *Non novi dominii causâ bellum istud captum, sed ut antiqua jura & privilegia recuperent Cosaci & plebs Ruthena. Illis ne adeo intolerabili severitate imperaretur, nec adimerentur iniquis modis fundi, hanc verò ne novis subinde operarum inventis & depeculationibus Herorum avaritia exhauriret. Veteres Visio-*

*Oppugnatur statio Rozdrazeviana*

*Pacis tentamenta iterata*

*Chmelnicii familiarior sermo de causis belli*

*niovvecios, Zbarascios, Zaſlavios, Oſtrogios aliter habuiſſe ſubditos non novos ſubinde ſinus exactionum excogitaſſe, neque rerum tamen copiam, vel pecuniam iis, militemve, ubi opus fuerit, defuiſſe. Nempe compoſitiorem habuiſſe vitæ modum, Coſacis faviſſe, & fidei antiquæ tenaces benevolum ſenſiſſe Deum. Ubi cæpta ſit mutari Religio, ubi luxus Polonicus immigravit in Ruſſiam, retrò omnia ſublapſa eſſe. Mox inopiæ luxus comiti, per injuriam & expilationem ſubditorum quæſita ſupplementa. Adſcitos depeculandi Magiſtros Iudæos gentem perfidam, & nihilominus adeò caram potentibus, non aliam ſanè ob cauſam, quam quod excogitandis novis prædandi artibus ingenioſi, Herorum & ſimul ſuam ſcitè explere cupiditatem norit.* Ita novus morum Magiſter Coſacus nocte illa philoſaphabatur. Crederes in omnia æquiſſime conſenſurum, qui adeo graviter bellorum cau ſas ac remedia ediſſeruiſſet. Verum ubi ad rem ventum eſt, nihil de priorum conditionum aſperitate remittebat. Et Chanus cum rurſum ad compoſitionem ſollicitaretur, nonniſi per ipſos belli præfectos, Viſniovecium aut Coniecpolſcium ſecum agi volebat. Nec abnuere id jam cæperant obſeſſi dum certo hominum numero in loco, qui utrique parti placuiſſet, Chanus ipſe cum proceribus iſtis Polonis conveniret. Sed Tartarus in tentorio ſuo negotium tractari cupiebat, quod

*Tractatuum vani terum conatus*

quod cum recusarent Poloni, offensus vehementer ille est, subodorans scilicet, quod res erat, & honoris sui inter has etiam angustias, retinentes esse Duces, & ipsi non omninó fidere. Cæterum vanescente ita denuó spe pacis, constitutum Polonis est, in tertia denique castra recedere. Quæ toto octiduo assiduis peditum, & famulitii castrensis laboribus in futuram necessitatem parata habebant: quippe cuniculi & suggressiones hostiles, quibus castra ferè subibantur, haud alia ratione melius evitari atque irritæ reddi poterant, quam si retró contractis castris, necessitas hosti imponeretur, novo labore alios struendi accessus latebrasque. Ea antequam conficerentur, mora aliquot dierum interjiciebatur. Trigesima Julii erat cum motus clanculum exercitus, & relictis vallis prioribus in novos hos receptus retro ductus est. Nec quicquam hosti de recessu isto illo die suboluisset, nisi duo Juvenes ex castrensi famulitio rem prodidissent, qui euntibus reliquis, absconditi alicubi, ubi tempestivum esse visum est, inclamabant Cosacos, *Venirent, nam fugere Polonos in alia castra.* Nihil moratus hostis accurrit, occupatque stationes â Polonis relictas, sperans haud dubiè fore, ut aliquos extra vallum deprehenderet. Sed jam in tuto erat exercitus, Przyjemscio & Rozdrazovio, qui tergo reliquorum tuendo veteres stationes ultimi

*In tertia castra recedit exercitus*

reliquerant, jam portas novorum castrorum claudentibus, cum irruerent Cosaci. Hi ergò terga cedentium carpere frustra annisi, mox nova castra ingressos, priusquam ad defensionem ritè se accingere possunt, oppugnando solicitare cæperunt. Adeo juvere illos scrobes ac latibula, quæ Poloni suum ante in usum, equorum inprimis tegumento facta hostium commodo reliquerant. Nam hi parata mox suffugia repercre, inter quæ tuti obsessis impunè negotium facessebant. Antè recessum Duces quicquid istud erat spelæorum repleri destruique mandaverant, sed qui id facere debebant, seu aliis laboribus lassi, seu desides & incommodi inde nasciturі, non intelligentes, jussa neglexêre, quã noxã universus exercitus luculento jam damno luit. Cui avertendo visum est excursum facere in hostem, emissæque

*Obsessi excurrũt* sunt turmæ Sieniavii, Sobiescii, Radziejovii, Korecii, Hulevicii, Kisielii, Czetvvertinii, Lysacovii, Zahorovii, Sokoli, nec non Rozdrazevii equites desultorii. At Cosacorum ingenti numero grandis insuper, hoc in conflictu Scytharum multitudo accesserat, & tantum illi sclopetis, hi sagittis urgebant equitem Polonum, uthic tum in castra se recipere cogeretur. Et sic tamen centũ quinquaginta quà sauciati, quâ cæsi sunt, sed & hostis memorabili tum damno affectus. Nam â Sclopetariis vallum defendentibus, partim ab equite emissario

rio duo penè millia proſtrata ſunt. Proſtridie (ultima Julii) in oppidum undiquaque ab hoſte facta eſt impreſſio. Sed id præſidiarii Germani ita ſtrenuè defendêre, ut nonniſi duobus ſuorum amiſſis, plusquam ducentos oppugnantium trucidarent, unde pudore iraque accenſus hoſtis, nocte ingruente in idem oppidum tanto vehementius incubuit. Et jam violentiæ magis patebat, quia ſtagnum, quò imum oppidi latus protegebatur, dirutis infra aggeribus, ferè exſiccaverant Coſaci, niſi quod ſolum tum ab aquis prioribus, tum pluviarum inſuper frequantia madidum non facilem uſque tranſitum dabat. Germani denuò fortiter arcent ſubeuntes, & cum plerumque operirentur, donec propius ſuggreſſi eſſent invaſores, ne in illo noctis obſcuro in vanum prodigrent pulverem pyrium, magnam iterum in hoſte dant ſtragem. Unde is magno negotio nihil ſe agere animadvertens alió flexit, & cum ex transfugis Viſniovecianam ſtationem alicubi infirmiorem ſciret, eó vertit impetum. Sed Viſniovecii Ducis prudentia & mox fortitudo egregie ſupplevit, quod loco deerat, qui non contentus ſuos arcendo hoſti oppoſuiſſe, Firleji mox opem advocat. Et hic ipſe cum turmis aliqûot equitum & cohorte ſuâ propereaccurrit. Ita mutua Ducum ope repulſus hoſtis, duplici & utraque acerrimâ invaſione nihil effecit. Audita tum Ductorum Coſacorum

*Oppidum aggreditur hoſtis*

*Et mox ſtationem Viſniovecianã*

rum cum plebe agresti rixæ, cum hanc illi in sepimenta oppidi impellerent, hæc verò periculũ ex rumore occumbentium sentiens nollet vitam amplius prostituere: *Facilè esse post principia stantibus*, clamabat ista, *alios in flammam agere, quin venirent, & suam quoque vitam discrimini propius exponerent, qui aliena sint ita prodigi.* Quidam etiam de turba illâ machinas ligneas, quibus in oppugnationibus utebantur Cosaci igne injecto exussere. Sequens dies ab hostium insultibus liber, Ducibus Tribunisque Polonici exercitus consultãdo traductus est: ubi inter alia decretum, *ut oppido eâ parte, quâ per aquas hostili machinatione subductas incursibus nunc opportunius esset, triplici curruum serie tum præsidiis tantò majoribus prospiceretur. Pulvere pyrio, cujus defectus instabat, ne in jaculationes nil profecturas abuteretur miles. Suggestus ut erigeretur, qui tria vel quatuor tormenta caperet. Aggeris hiatus ut repararetur, coërcendo stagni fluvio, quo vetus aquarum munimentum oppido periret.* Postridie (2. Augusti) non publico quidem assultu tentata castra sunt, nihil tamen hic tutum erat ab ictibus sclopetariis, qui jam crebrescebant, speculantibus ubique Cosacis, quá aliquos incautius fortè in oppido aut castris agentes figerent. Et periere tum Rochozinias, Tocicius, Plaza: Sabokricius ante ipsum tentorium Firleianum

*Cosaci cum plebe agrestium rixantur*

tra-

trajectus est glande. Hoc eodem die plus quam mille equi castris exacti sunt, ob inopiam pabuli, & ne cum parum prodessent, ita arctè clausis fœtore suo vivi, seu fami enecti iisdem officerent. Eos dum certatim Cosaci vagos sectantur incautâ prædæ cupidine, non pauci mortem sibi acceleravêre, excubitoribus Polonis Germanisque in figendis illis delicias quodammodo sibi facientibus. Tertia Augusti dies, nullâ re nisi paucorum aliquot excursu improspero memorabilis fuit. Ex Cosacis captus & in castra adductus unus est, duri pectoris corporisque homo, & qui per adhibita tormenta nihil aliud sibi exprimi passus est, quam *Tartaros petulante ferocia, & nec sociis parcente prædarum cupidine, Cosacis oneri odioque esse, & in castris suis gliscere morbos, quibus plurimi subinde interirent.* Ex Polonis occubuere hâc die bini fratres Kucharscii, periit quoque Hanslerus, Unrugi Equitum Ductoris Optio, vir multis animi intrepidi experimentis, hoc bello spectatus, damnis verò illatis etiam hosti ita notus, ut non rarò de industria structæ illi insidiæ sint, antehac feliciter evitatis, nunc denique magno numero circumventus, succubuit. Cadaver cum hostis auferre magno opere laboraret, á Germanis protectum, atque in castra delatum est. Quó & Equus ejus nulla arte vel vi capise passus, evasit. Sauciati hoc eodem die Lesnovius & Pu-

*Equi castris expelluntur*

Ee 5 cius

*Colloquia familiaria inter Polonos & agrestes*

cius Sobiescii Præfecti Craſtnoſtavienſis commilites. Noctem inſecutam non hoſtile ullum opus, ſed amica potius colloquia inſigniẽre. Jam dudum hoſtes ita propè ſucceſſerant caſtris, ut mutuæ voces, per mediæ inprimis noctis ſilentium facilè audirentur. Ea occaſione Poloni in excubiis ſtantes, agreſtibus in proximo per latibula ſuadiſpoſitis aliquibus etiã id noctis, non ſine tædio & quærela facientibus opus, quæ utilia utrinque viderentur, ſubjicienda putavere. Et in hunc ferè modum unus in id ſelectus loqui cæpit. *Quæ vero vos neceſſitas ad has ærumnas, ad hæc laborum ergaſtula ſubigit. Ingemuiſtis operis herilibus, & graves eæ Vobis viſæ ſunt, tametſi illæ, die nec integrâ, & â famulis plerumque veſtris peragi ſolitæ, noctem omnibus quietam reliquêre. Ager cuique ſuus uberrimum, nec ad ſacietatem tantum, ſed ad luxum penè præbuit victum eò cum uxore, cum liberis, cum familiâ frui ſecurè ac tranquillè licuit. Cur igitur hic, derelictâ re omni familiari famem, cur omnes cæli injurias, cur immenſos labores, cur verbera Coſacorum ad oppugnationes vos urgentium, cur aſſiduæ vitæ pericula toleratis? Quæ ſtultitia eſt, ne Heris obtemperetis, perire velle, & quam à nobili Poloniæ cive pati nolitis ſervitutem, eam â plebejo, feroci, crudeli Coſaco pati? Sub Dominis credite ſemper eritis. Videtis en quale jugum vos maneat, ſi vel noſtrum*

*ſtrum*

*rum excusseritis. Sed ne putate rem confectam habere istos, quorum servi jam estis, Cosacos. Si vel plurimis annis belli molestiæ ferendæ fuerint, non depomet arma Polonia antequam vos juxta cum illis in obsequium redegerit. Chmelnicio nunc adeò spes opesque vestras addixistis, at is prospero rerum successu corporum, vitaque vestræ jam nimis quam prodigus, ubi rotam converterit fortuna, vos destituet, vestroque corio suum redimet. Annon meministis Kisinos, Pavlucos, Polkovas, aliòsque id genus turbones. Dum initiis eorum favere fortuna videretur, magna omnia, imo Regna Kiovienſia, & illi & quotquot cum ipsis facerent sperare ac loqui cæpere. Sed quo paulo post magnificæ illæ spes prolapsæ sunt? Calent pene adhuc sanguine Fratrum vestrorũ Kumeikæ, calent Mosnæ. Nostis desertam à Ducibus plebẽ, toties victori militi* Polono *infinitæ cædis materiem fuisse. Nostis & ipsos Cosacos tandem veteranos in obsequii patientiam subactos, nostis denique Duces illorum toties in triste exemplum infelicis perfidiæ palis pependisse. Nonne enim albent adhuc campi ossibus eorum, quorum insepulta cadavera olim canibus esca jacuêre. Credite nobis vivit idem adhuc scelerum vindex numen, & quod illis perduellibus contigit, omnes manet. Neq; fallat vos, quod externæ eæque barbaræ gentes in idem vobiscum flagitium conjurarunt. Levis*

*est*

*est gens Tartarorum, & in prædas magis, quam bellum intenta. Quas victorias Cosacorum & vester labor pepererit, earum fructum soli capere volent, & post victoriam cum ipsis pugnandum fore credite. Quod si verò divina clementia, in quâ confidimus, benignius nos respicere cœperit, nolent illi causæ vestræ laborãtis diu patrocinari. Vos arbitrio Victorum relinquent, uxores, liberos, cognatos, vernas vestros, eodem, quo pecora, agimine in Tauricam abducent, si per nos licuerit. Nam nec illi celeritate sua manus Polonas semper effugiunt. Scitis hunc ipsum, qui ex alto colle nos jam despicit, atque in prædam destinat, Chanum â Chmelnicio olim captum, non nisi Regis defuncti benignitati libertatem suam debere. His itaque præsidiis debilibus sanè & incertis haud confisi ad consueta potius opera redite. Militia non decet vos sed pessundat. Quin igitur bello omisso iter potius & bellatoribus commeatum præparate, ut sit unde vobis Polonos propietetis, quos jam adeo insolenter affligitis.* Aliqua joco, plura serio dicebantur, & qui sic disserebant (nam plures subinde interloquebantur) nonnullos ex plebe ita seu repererunt, seu fecerunt mites, ut isti vicissim modestè ac quia veterani aberant, libertatemque majorem nox loquentibus faciebat, ingenua animi sui sensa efferrent, Inter quos unus supra agrestem (quanquam Russica plebs plerumque inge-

nio non destituitur) prudens facundusque, fortè & miseriæ præsentis præ cæteris pertæsus *Nunquã* ait *auditum credimus gregariam hanc agrestium turbam ad tumultus ejusmodi excitandos ultrò & suopte motu sustulisse animos. Quicquid talium malorum ortum unquam est, Cosacis istis debetis quos militia vestræ albo habetis inscriptos. Illos libertas, quâ donati à vobis sunt, corrupit, ut majorem inde concupiscere, & vel armis negatam parare sibi ausint. Majores nobis, indultu vestro facti, jam pares vobis esse desiderant. Benignè à Veteribus Ducibus, Regibusque habiti mollibus imperiis assuevêre. Eò molestius est illis à successoribus, nova satellitia, alium militem, & grandes Polonorum colonias, in has terras invehentibus, non pari honore haberi, sed in ordinem redigi, veteribusque libertatibus privari. Milites se esse ajunt, habendos igitur ut milites. Nolunt præfectorum vel Commissariorum potestati subesse, quorum ab injuriis vindicare se non facilè possint. Commune cum Nobilibus habere cupiunt tribunal. Nos miser populus haud ignoramus, quamvis pacem bello potiorem esse rus colentibus. Et minimè lubentes plerique arma arripimus, sed nempè, nisi sponte velimus, cogimur sequi armatos. Domus, fortunæ cervix denique periclitatur, si publicam nolimus insanire insaniam. Quam grati nobis isti labores sint,* *sci-*

*Agrestis cujusdam non imprudens sermo*

*ſcire ipſi poteſtis, qui quomodo in medios ignes in confertiſſimas telorum tempeſtates, in valla moleſque objectas trudamur, quotidie videtis. Noctu diuque vario cælo & aliquando pluviâ nuſquam in ſicco conſiſtere permittentibus, opus facimus. Subinde armis veſtris vel perimus, vel pereuntes noſtros famelici ipſi, & vix genua jam ſuſtinentes, ſpectamus. Meſſis jam & frugum colligendarum tempus eſt, ſed ea nobis hic deſidentibus, velâ tranſeunte milite corrumpuntur, vel nimiâ maturitate ſicca excidunt. Ita ſi vi bellica hic non perimus, inops tamen omnium hyems fame nos tandem enecabit. Tartaro & violentiſſimo quoque noſtrorum, ſi quid reliquum erit rapturo. Et quam ob cauſam verò tanta diſcrimina ſubimus? Scilicet ne Dominos habeamus. Divina voluntas, & natura nos ſervos fecit, tales erimus porrò, & æquo animo eſſe decet. Heros poſſumus, ſi* DEus *volet, mutare, tollere non poſſumus. Et cur non* Dominis *potius, quibus dudum aſſuevimus pareamus, quam militibus iſtis, qui etſi nondum* Domini *nobis ſunt, ſævius Tyrannis, quod vel corpora noſtra vibicibus plena oſtendunt, nos exagitant.* Non ingratæ fuerant Polonis iſtæ agreſtis querelæ, quanquam non ignorabant, alios in illa multitudine aliter ſentire & loqui. Die ortâ Viſniovecius cum ſelectis ſubitam excurſionem fecit in hoſtem, & vallo caſtrorum, præter opi-

*Excurſio Viſniovvcii*

opinionem omnium, conſcenſo, Coſacos aliquot, vexilla viginti, & arma non pauca abſtulit. Ex ſuis tamen, qui comites eruptionis fuerant, Creptovicium Palatinidem Novogrodienſem & Kamodzieyſcium deſideravit Kozika ex Zahorvvianis conturmalibus ſauciatus eſt. Ex captivis indicibus cognitum, *Coſacos in noctem proximam molni incurſionem, eamque in rem ſcalarum millia aliquot, aliaque oppugnationum inſtrumemta magno numero parata habere. Scythas Nahajenſes Chano diſcordes & parere dedignantes, domum abiiſſe. Agreſtes pariter agminatim aufugere, ſed á Tartaris prehendi occidique. Chmelnicium dudum obſidionem derelictus habiturum fuiſſe, niſi tansfugæ ſubinde brevi ſubſecuturam deditionem promitterent, annonæ inopiâ deficere in caſtris militem. Metui ab illis Regis adventum, cui comitem ire Univerſam Nobilitatem intellexerit. In Litvvania pariter res ejus non optimo loco eſſe, & Ducis Radzivvillii arma in Ukrania viſceribus jam graſſari.* Quod de Coſacorum conſilio proxima nocte exequendo captivi dixerant, ndn fuit de nihilo. Et Duces quanquam de fide indicum iucerti, tamen credulitate hic peccari non poſſe rati, nihil omiſêre eorum, quæ ad impediendos retundendosque hoſtiles conatus facere poſſe putarent. Itaque paratum ad omnia univerſum exercitum poſtea reperit hoſtis

*Captivi effata*

ſtis. Cæterum nox penè tota quietè transacta eſt, & appetente demum aurora, quo tempore ſecuriores forſan fore obſeſſos rebantur, oppugnationem cæpere Coſaci, adducentibus manipulos ſuos ſingulis Signiferis. Scythis verò quod eo diè deſideriorum ſuorum ſcopum denique conſequi ſperarent, ſolicita circumcurſitatione agreſtes ad fortiter agendum opus ſuum à tergo impellentibus, Viſi etiam inter iſtos, qui ſigna ſua ſub ipſis obſeſſorum Polonorum vallis figerent, in fortitudinis nempe incitamentum. Quorum unum poſtea Polonus quidam, diu ſuper eo cum Signifero hoſtili colluctatus abripuit, multum eo nomine à Firleio cui ſpolium attulit laudatus, præmioque affectus. Cæterum Coſacorum alii jaculando infeſtabant obſeſſos, alii ſcalas, alii faſces vimineos alii ceſpites terramque ſaccis apportabant. Vehementiſſima omnium impreſſio in ſtationem Oſtrorogianam facta eſt, & perluctati iſtic in vallo jam conſtirerant aliquot manipuli hoſtiles, ſed accurrente ad ſtationarios Firleiano peditatu, quà venerant, repulſi ſunt. Etiam Viſniovveciana ſtatio fortiter adverſum vim oppugnantium ſe defendit. Ad oppidum itaque impetum vertit hoſtis, idque igne excitato facilius occupatu fore ratus, non nullos ſubornaverat, qui flammam qua poſſent inijcerent. Et ſurrepſerat unus propugnaculo ligneo, ignemque ſupponere cæperat, cd

*Oppugnationem novam Coſaci Tartaris ſtimulantibus aggrediuntur.*

*ſuper ſigno militari certamen*

Judæ-

Judæus quidam rem conspicatus illud incendij seminarium properè extinxit, & incendiarius flagitium vitâ luit, non procul inde glande trajectus. Effuso in vanum tot simul locis impetu, recessit denique Cosacus. Tartari ob spes suas toties elusas irati, Cosacos æque ac Polonos adoriebantur: & illorum non paucos jaculis suis interemêre; ingeminantes non seriò eos nec animosè satis rem agere. Polonos qui juxta vallum plerique stabant, vibrata fortius spicula præteribant. Equi tamen illorum non pauci sauciati sunt. Eodem die cum deferbuisset oppugnatio, pugnandi adhuc ardore calens Visniovvecius procurrit, & non paucos quidem hostium cecidit, sed non sine damno suorum, inter quos duos præsignes viros Lanckoronscium & Dziaduscium amisit. Butlerus Corsianus signifer vulneratus, mortem ægrè effugit. Numerus eorum qui ex parte hostium occubuêre, sciri exactè non potuit, quia nec illi sciunt, incuriâ barbaris insitâ, & quia in tanta exercitus mole aliquot millium hominum jactura nec sentitur, nec in censum venit. Sequenti die (7. August.) Firleium quoque faciendi in hostem excursus cepit cupido. Et quanquam ubi ad rem ventum est, nihil vel ipse, miles in se pateretur desiderari, infra tamen votum effectus stetit, ideò potissimum, quod paulò ante eruptionem miles quidam Polonus ad hostem elapsus consilium,

*Visniovecius excurrit parum prosperè.*

*Firleius pariter.*

vulgaverat: Unde adeò minimè securos deprehendit Firleii molitio. Sex istic turmales, gregarii paulò plures, pedites Rozdrazeviani tres periêre. Eodem die idem Firleius Joanni Potocio tradidit regimen turmæ equestris, quam Sierakovius Notarius Campestris 26. Julii glande hostili in ipsis castris trajectus, rectore vacuam fecerat. Sub hoc quoque tempus novis querelis in Duces efferbuit exercitus. Lassaverant jam istum perpetua ab hoste discrimina, & dies noctesque continuis penè in excubiis, conflictibusque exactæ, maximè verò omnium annonæ penuria, aut caritas tanta, ut nisi ditissimus quisque alimenta redimere pecunia posset. Panis buccella duobus florenis, potus hordeacei cadus 60. flor. emebatur: Unde facilè de cæterorum id genus nutrimentorum pretio conjectura capi potest. Caritatem annonæ fames, famem morbi, & mortalitas sequebantur: corporibus laborum assiduitate tantò citius elanguescentibus, quia cibis idoneis refici non possent. Etenim jam ad fœdas quoque putidasque bestiarum carnes adigebatur miles, easque ipsi Duces blandæ vocis condimento, prope & exemplo jucundas vescentibus reddere satagebant. Certè Firleius quanquam senio & morbis invalidus, jam semel iisdem his dapibus admoverat manus in stomachum, nisi proximi attinuissent, ingesturus, ideò duntaxat, quò minus cibum fastidiret miles, quem Dux ipse

*Miles Polonus quiritatur.*

*Fames invalescit in castris Zbarazianis.*

ipſe non aſpernaretur. Nam alioquin is, alimentorum inopiâ huc nondum urgebatur, cum ſenex futuri providus ita ſibi proſpexiſſet, ut affatim haberet, unde ſe & ſuos ſatiaret, non ſine invidia aliorum, quos ſeu ſueta liberalitas, ſeu ſpes properæ liberationis annonæ ſuæ incurioſiores fecerat. Porrò certum â Rege auxilium finemque adeò ærumnarum intra menſem fore Duces promiſerant. Hunc elapſum, & nullam dum ſubſidii ê Polonia auram adſpirare, querebantur. Scriptæ fuerant identidem ad Regem literæ, afflictiſſimam obſeſſorum fortunam nunciantes, ſed omnes unà cum latoribus interceptas ſuſpicabantur, & earum nonnullas ipſe Chmelnicius obſeſſis remiſerat. Stapcovius Viſnovecii Ducis Centurio fratre & famulo comitatus, per multa diſcrimina ad caſtra Regia pervenit quidem, ſed ut poſtea cognitum eſt, ea propter Tartarorum circumcurſitationes ingredi non potuit: neque â Rege quicquam perferri potuit, arctâ adeò indagine obſeſſis itineribus, nihil ut tranſire, hoſtem quiret. Interim ingens hæc mora probabilia miſeris faciebat Coſacorum dicta, qui exercitus in auxilium obſeſſorum miſſos, partim profligatos ad Dubnam, partim ad Leopolim circumcluſos teneri ajebant. Indignantiſſimè igitur ſortem ſuam accuſare omnes, & Ducibus, inprimis Firleio iraſci, qui ad Zbaraſium caſtra hæc metatus, exercitum omnibus malorum,

formis objecisset. Paulò post novum ab hoste periculum interpellavit quidem has quiritationes, sed ita ut vehementius dein excandescerent. Nam sequente die (8. August.) quicquid erat hostium intra accessus, vel usquam in excubiis, repentè retrò ire jussum est. Diceres abitionem parari, & voces audiebantur Ductorum aliorumque obsidioni quasi valedicentium; verùm mox redeunt confertim omnes qui abierant, & commotis quasi castris universus jam exercitus ducentorum circiter millium capitum, denuò versus castra obsessi tendit. Et jam quisque fermè cum onere aliquo accedebat. Hic stramina, ille scalam, alii currus attrahebant, humo mox opplendos, alii cespites portabant, alii vimina, ligna, alii totas propè arbores volvebant. Paulò post compositis his, quæ per partes à tanto hominum numero congesta erant, exsurgunt novem ingentes suggestuum moles; His machinæ mox & sclopetarii impositi, â quibus penè nihil postea tutum in castris Polonis fuit. Nam adeò altæ erant moles, ut longe super castrorum valla eminerent, indeque adeò tantò certioribus ictibus figebantur obsessi, cum omnes non tantum videre, sed & numerare hostis posset. Stupenda res erat spectantibus, & quia insolita, eò magis percellebat nimio plus jam afflictos Polonos. Totidem equos Trojanos castris Polonicis imminere dixisses. Plurimi militum con

*Magni & formidabiles suggestus struuntur ab hoste.*

conſpectu ipſo iſtarum molium, in ſequiora penè conſilia in ſiniſterrimos ſanè ſermones prorupêre. Quippe auditæ aliquorum voces, *ſe præfectos, qui exercitum in tantum diſcrimen adduxiſſent, hoſti in pretium incolumitatis ſuæ daturos.* Eò compellit homines, & ſui honeſtique omnis immemores reddit deſperatio. Duces modo ſeveritate modò comi colloquio obviam ibant furentibus, multa & ſilentio transmittebant, quæ nullo facilius conſilio, quam morâ & patientiâ viderentur ſanari poſſe. Certi tamen erant ad extrema, quæ minarentur, non acceſſuros, quia ſciebant, plures & meliores conſiliis iſtiusmodi intactos, Ducum autoritatem tueri & inſanientibus iſtis, quà liceret, obniti. Interim ut aliquam ſolatij ſpem vel ſpeciem facerent miſeris & deſperantibus, ternas ad Regem literas ſcribunt, diverſis viis mittendas. Primæ Judæo, alteræ agreſti, tertiæ militi committuntur. *Parvæ* ſchedulæ erant, ut veſtibus inſui, nec facilè deprehendi tactu poſſent. Scriptæ porrò omnes gallico ſermone, quò ægrius intelligerentur, ſi ab hoſte fuiſſent interceptæ. Uti ſanè non niſi una à milite, Skrzetuski dicto, perlata eſt ad Regem. Habitu enim agreſti indutus, trajecto de nocte ſtagno, non inobſervatus quidem, ſed quia linguâ & veſte Ruſſum graphicè mentiebatur, non agnitus, caſtra hoſtium incolumis tranſiit, literasque apud Toporovum Regi tradidit. Poſtea

*Militum Polonorũ tumultuoſi ſermones & minæ.*

*Obſeſſi Duces literas ad Regem ſcribunt.*

ſtea à Ducibus obſeſſis, quid ſuggeſtuum hoſtilium inuſitatis molibus objicerent, cogitari cœptum eſt. Neque enim diu defendi caſtra potuiſſet ſi ita ex illis ſuggeſtuum ſtruibus, viſui ictibusque hoſtilibus paterent. Nihil præſentius tum accurrit, quam ut ſepes, quibus tentoria hactenus nitebantur, vallis ſuperintenderentur, proſpectum ſaltem in caſtra utcunque interceptura hoſti. Sed quæ repertæ ſunt, circumtegendo in urbem vallo non ſufficiebant. Itaque illis partibus, quas nullum ejusmodi objectamen prætexebat, ictus frequentabantur ab hoſte, non modico noſtrorum damno. Periêre ibi Jelovius Palatini Braclavienſis, & Laſota Baranovii commiles. Ex gregariis plurimi cæſi & ſauciati. Dirigebāt Poloni in ſuggeſtus illos machinas ſuas, dejicere ſperantes moles adeò exercitui horribiles. Sed ita truncis arborum, vimine, humoque congeſta, ſtipatæ erant, ut ad ictus tormentarios tremiſcerent quidem, non collaberentur. Quia verò nec inde, quantum ſperaverant, damni vel metûs Polonis inferebant, è caſtris eos elicere tentabant. Fingunt itaque ſe obſidionem denique omittere velle, *quia Poloni omnem oppugnantium virtutem aſtumque eludant & Rex jamſuppetias obſeſſis laturus in propinquo ſit.* Autumabant ita induci poſſe Polonos, *ut tot malis internis externisque fracti, deſerere caſtra occiperent, tum in campo-* *ru*

*Obſeſſos arte in apertum elicere tentat hoſtis*

*rum aperta effusos, facilius in manus suas & Tartarorum venturos. Sed Duces munitionum tegumenta, sibi suisque non ante deserenda putabant*, quam cominus oculis suis fulgentes Regia aquilas vidissent: adeoque severè edixere, ne quisquam tum egrederetur vallo. Quare &, illud hostium, nunc abire molientium, nunc revocantium alios, quasi fugam metu Regis meditatos, commentum fuit iritum. Postea nonnulli ostentatis ventris famelici irritamentis, solicitare obsessos cæpere, quippe cepas, radices varias edules cucumeres etiam, lactucamque monstrabant, salivam opinor facturi Polonis, qui istis omnibus ad delicias ante usi, nunc pane etiam carerent. Alii petulantiores convitiis incessebant obsessos, varia exactionum, onerumque, quæ antea Heri subditis imposuissent nomina, odioso risu enumerantes. Adeò omnibus modis patientiam hic Polonorum Fortuna exercebat. Postridie hostis nullâ quidem incursione, sed assiduis tamen ictibus, de suggestuum suorum machinamentis, infestus fuit obsessis. Et aliqui de Coniecpolscii, Demetrii Ducis Visniovvecii, Cobierzicii militibus, plures quoque gregarii cecidêre, aut sauciati sunt. Alibi etiam novis cuniculis suggredi oppidum conabantur obsessores, magno agrestium numero, nulli alii rei, quam suffodiendæ egerendæque humo, assiduè incumbente. Quæ res

*Fames Polonorum illudit hostis*

*Cuniculis Urbem suggredi parant Cosaci*

res animadversa, obsessis non parum rursus solicitudinis attulit. Neque enim modum inveniebant, quo istis subterranis dolis occurrerent. Et haud dubiè ita occupatum fuisset Oppidum, nisi ingenti labori ars consiliumque, & inprimis favor cæli defuisset. Subierant jam viis istis occultis portas oppidi, hasque adeò pulvere pyrio supposito reserare sibi facilé potuerant. Sed has intentatas prætergressi, ad Fanum Ruthenicum nitebantur, ubi perrumpentibus, proclivem sibi oppidi oppugnationem fore credebant. Sed id opus largioris temporis erat, & antequam ad metam deduceretur pacis interventu in vanum abiit. Sequens (11. August.) effusissimâ pluviâ obsessis molestus, cæterà ab hostibus inturbida fuit, nisi quod aliqui adhuc illusionibus accerbè insultabant miseris. Et hi in istâ cœli tempestate tum ab incursibus hostilibus otio, ad miserias iterum suas expendendas avertebantur. Sed plerique jam non irâ aut tumultuosis vocibus, ut ante fremebant, verum necessitati se submittentes, nonnisi extrema sua meditabantur, precibus supplicationibusque quantum per belli munia licebat intenti; cæterà sui & munditiei omnis jam immemores. Miserrima rerum facies, & inprimis annonæ summa non tantum caritas, sed penuria, pyriique inprimis iminens defectus, subigebat iterum Duces, ut Regi conditionem suam significare molirentur.

Et

Et cum quini de legione Visniowieciana operã obtulissent, omnes sed viis diversis missi, omnes etiam intercepti sunt. Felicius Ducibus alia machinatio erigẽdis militibus excogitata successit. Finxere literas, quibus quasi â Rege profectis properũ obsessis auxilium promittebatur. Iisque ne fides abesset, sigillum ex literis Regiis, sed olim scriptis ablatũ affigebatur. Admissi ad inspiciẽdas literas nonnulli ex insignioribus, rem, quam ipsi pro certâ læti acceperant, per castra universa distulere. Unde animis obsessorum jam penè deficientibus, nova quædam lux affulsit, quæ multum mox aucta est, cum mendicus quidam in castra obsessorum furtim transgressus, novo nec tàm vero quam grato nuntio, avidas militum aures opplevit: narrabat enim *Nieczajum adversus Regis venientis antecursores nuper missum, â Polonis jam profligatum. Regem verò cum ingente exercitu apud Zlocoviam esse. vix tamen ante octavum diem propius Zbarasio admovere copias posse, ob trajectuum difficultatem, quos hostis ubique vel sustulisset vel impeditiores reddidisset.* Hæc quia læta â miseris facilè credita sunt, quanquam novæ mox ab hoste calamitates intercessêre gaudiis. Paulò post enim ex indice captivo intellectum est, Cosacos aliâ iterum viâ oppidum adoriri velle. Quare Firleius illos, quibus oppidi custodia commissa erat, Lanckoronscium inprimis de molitione hostili certiores

*Mittuntur iterum nuntii ad Regem sed intercipiuntur*

*Erigitur fictis nuntiis miles Polonus*

facit. Qui monitum ferebat, ex cubiculariis Firleij erat, Lada nomine. Is dum iret, quo missus erat, incidit in Cosacos, qui noctis appetentibus tenebris, stagno lembis trajecto, aggerem moliebantur, ut emissa aquâ obsessis pernecessariâ, & illa ex parte, præcipuo oppidi tegumento, procliviorem sibi oppidi ingressum redderent: Et potiti essent voto, nisi famulus ille, manibus aggerem demolientium ægrè elapsus, excubitores primò, mox & cæteros de periculo monuisset, qui tamen non ita citò accurrêre, quin citius Cosaci eodem stagno trajecto, ad suos evaserint. Cum in aquâ adimendâ frustra laborasset hostis, ignem deindè injicere oppido instituit, inprimis portæ uni, quæ altius educta, Cosacis multum nocebat. Namque in ea latebant fistulatores & inprimis Joannes Butlerus velitum Firleianorum Centurio, qui jaculandi peritissimus, plurimos inde necabat, quod idem ex aliâ arcis portâ Muchavecius, vir alioquin religiosus, idêtidem factitabat, ad jaculationes ejusmodi toto hoc obsidii tempore impiger & felix, adeò, ut ad ducentos Cosacos sustulisse feratur. Cæterum ibant jam Cosaci fascibus stramineis instructi ad portam, de quâ succensâ, ignis in reliqua facilè transiturus videbatur, sed creberrimis obsessorum jactibus interceptus est conatus. Dum hæc ita agerentur, bono quodam fato in castra obsessorum delapsa sagitta sche-

*Aquam penè intercipit hostis*

schedam attulit. In ea scriptor (nam quis ille fuerit incertum est, Equidem quidem Polonum ipse se nominat) id primum excusabat, *quod in castris Cosacorum mereatur. Oppressione nempe potentiorum, & postea inclinata Polonorum fortuna eò se actum, animo tamen Polonis suis usque addictum manere. Cui rei testandæ jam tertiùm se missis tali ratione literis, quæ ex usu esse judicaverit monuisse obsessos. Nunc autem scire se ipsos velle, adesse Regem, & jam Zborovium usque progressum obsessis propediem suppetias laturum. Gnarum id esse Cosacis, tantoque adèo enixius expugnationi incubituros. Sed Polonis pariter, quo propior spes liberationis adsit, eò majore constantiâ ac virtute contra nitendum.* Quisquis fuit, qui Schedulam istam exaravit (nam aliqui ab astu Visniovvecii totum hoc profectum memorant) fidem quidem non apud omnes reperit, quippe multoties jam â Ducibus delusos, sed meruerat is tamen fidem, quam minimè profectò fefellit. Quippe Rex jam dudum quidem afflicto exercitui succurrere molitus, postquam remoras, quæ properantem hactenus retinuerant, eluctatus erat, festinatis itineribus, hoc ipso tempore, quintâ nempe post cœptam Zbarasij obsidionē hebdomadâ, Zborovium (oppidum Russicum est, sex leucis circiter â Zbarasio distans) 15. August. venerat. Quem Regis accessum antequam de-

*Schedula sagitta inserta in castra Polonica novam spem liberationis affert*


scri-

ſcribere aggrediar, paucis, quid circa hoc tempus in Tauricâ factum ſit, exponendū eſt. Eduxerat inde Chanus omne exercituum ſuorum robur, paucis aliquot turmis ſub Sultano Galga in defenſionem terræ relictis. Captivorum verò non exiguus ibidem detinebatur numerus, etſi variè per Provinciam diſperſus. Inter quos erant ipſi exercituum Polonorum Duces, capti â Scythis ad Corſunum. Unde aliquibus & ſui eliberandi, & memorabiłe præterea aliquod facinus edendi cogitatio incidit. Facta enim coitione ſubitâ, non carceres tantum effringere, ſed & præcipua Tauricæ oppida ignibus immiſſis incendere decrevêre. Primos fabricæ iſtius ſtructores accipio fuiſſe Ioannem Sapicham, Martianum Grodiecium, & Thomam Grochovium, â quibus inductus eſt Andreas quidam, homo Ruthenus, ut præcipuum tantæ molitionis inſtrumentum eſſe vellet. Faber is erat ænearius, Humano, Calinovii Ducis captivi opido, oriundus, ante annos verò complures â Tartaris in Tauricam abductus, hic parandis aheneis ferreis rem fecerat, & quod familiaris jam incolis eſſet, eò aptior ad facinus fore viſus eſt, quia minus timebatur. Ille itaque cnm copiam haberet, quemvis pro libitu adeundi, captivos prout in quemque inciderat ſpe liberationis implet, & certo die in montem præaltum, arboribuſque opacum (Teter Kau vocatur ab incolis) ſimul ut ſtructus

*In Tauricâ tumultus Captivorum.*

ctus in culmine montis luxisset ignis, conveni-
re jubet. Magna omnium, quorum intere-
rat, alacritate acceptatum; & ad alios captivos,
etiam Moscos, diffusum secretum, diu latuit
Tartaros, neque fortasse optato fine frustratum
fuisset, nisi Judæus quidam Jesopolensis, de sectâ
Saducæorũ, quos Caraim vocant, rem prodidis-
set. Is enim quicquid inter captivos de negotio
hoc incautius loquentes audierat, cum aliis Ju-
dæis communicavit. Inde postremò Sultano
ipsi, quid agitetur, significatum est. Qui sine
mora, omnes captivos ex campis, in quos ope-
ris faciundi, atque inprimis fænisecij causâ di-
missi tum erant, conquiri, & subterraneis cryptis
includi, cæteros quoque, qui in arcibus oppi-
disve essent, arctius haberi jussit. Sed non
pauci istorum Sultani diligentiam celeritate an-
tevenêre: quippe non expectato etiam die, quo
in montem coire convenerat, ut acriorem cu-
stodiam præverterent, in loco dicto concurrêre,
trecenta omninò, aut paulò amplius capita. Sed
studio in majus augebatur istorum numerus,
ut plures allicerentur: eò majore quoque ar-
dore Sultanus quicquid undique hominum col-
ligere potuit, subitò armavit. Neque tamen,
quantumvis opificum etiam tabernas excute-
ret, plusquam quatuor millia promiscuæ multi-
tudinis contrahere potuit, quibus aliqui arma
ferre assueti, præcipuè verò centum Janiczari, in
terræ præsidium, pretio â Tartaris conducti
speciem & robur addidere. Interim ingens
per

per Tauricam trepidatio, ita ut multi ad litora profugerent, in vicinas terras trajicere parantes. Captivi interim inter montium abrupta & ſpecuum latebras diu Sultani copias fefellerunt, latitantes, erūpentesque ad prædationes, prout propius longiusvè hoſtis abeſſet. Sed hic denique aliquos captivorum excubitores celeritate aſſecutus, ex iis ubi cætera turba lateret, cognovit, factoque in circumdatos impetu, aliquos qui ſe fortius defenderent, inter quos Stapcovius fuit cecidit, cæteros cepit, quorum non pauci ſævis ſuppliciis, alii graviore ſervitii jugo, quæſitam improſperè libertatem luêre.



## *HISTORIÆ POLONÆ*

# LIBER VIII.

SBoroviana Regis expeditio, quoniam huc nos series rerum deduxit, altius paulò repetenda est. Antequam Pereaslaviensi congressu definitum induciarum tempus expirasset, multis, ut ante innuimus, certissimis ex argumentis, & inprimis Smarzevji nuntij Polonici asperâ tractatione, quam post & cædes ejusdem secuta est, certum habebat Rex, arma omninò sibi & Reipubl. adversus rebellem, nova auxilia â Turcis & Tartaris evocantem, sumenda fore. Sed quia Comitiis proximè habitis animi quidem & sententiæ plerorumque bellum voluissent, non tamen omnia, quæ tantum ad bellum requirerentur, satis vel deliberata, vel provisa essent, causam sat gravem habere Rex videbatur, alia indicendi Comitia: Ea verò res si usitato more instituenda foret, lentiùs processura erat quàm tempora Reipubl. paterentur. Quare conventum prima Junji Var-

Varſaviæ habere placuit, ubi cum Senatoribus, quæ è re publicâ eſſent, Rex deliberare ſtatuit. Eadem occaſione nuptiæ inter Regem & Sereniſſ. Ludovvicam Mariam Gonzagam, Ducem de Mantuâ & Nivers, celebratæ ſunt. Princeps iſta antea Uladislao IV. fratri & deceſſori Regis nupta fuerat. Adeoque etſi matrimonium iſtud mutuus Principum iſtorum inter ſe conſenſus, inprimis verò utilitas Reipubl. cui magno damno conſtitiſſet ſuperinducta Regina alia, & denique Senatorum ferè omnium (vix enim quisquam præter Paulum Piaſecium Epiſcopum Premislienſem in Senatu, xx. Januarij ſuper eâ re congregato, contradixerat) vota poſcerent, confieri id tamen non potuit, niſi impetrato â Romano Pontifice Sanctionum Eccleſiaſticarum laxamento. Sed is intellectis ex Mambreco Soc. Jeſ. Presbytero, qui Romam hujus matrimonij cauſa miſſus erat, rationibus, non adeò difficilem ſe præbuit, quin nuptiis iſtis conſenſum per Nuntium ſuum impertiret. Nullo pompoſo apparatu ſplenduit actus nuptialis quia per turgentes Poloniæ res vacare talibus non licebat. Poſt nuptias protenus in deliberationes de Republ. itum eſt. Convenerant Archiepiſcopi duo, Epiſcopi quinque, Palatinus unus, ſex Caſtellani, aliique Senatores Auxilii. Coram his primo hoc ipſum á Cancellario Oſſolinſcio excuſatum eſt, quod *non omnes Regni Ordines convocati ſint, ma-*

*Conventus Warſaviæ.*

*Conjugiū Regium.*

*momentis scilicet rerum moram ejusmodi, quâ ad conciendos omnes opus esset, non ferentibus.* Postea de rebus aliis, bello inprimis instante, disceptatum,& in pleraque,quæRex postulaverat,consensum est, cum nec ardua postularentur,& Regis curæ in proximis Comitiis, belli & rerum commissum regimen esse,omnes meminissent. Hinc jam illicò,quæ ad bellum & iter necessaria essent,parari Rex jubet, tandemque ipsâ die Sancto Joanni Baptistæ sacrâ, cum à Nuntio Pontificis Joanne de Torres Archiepiscopo Adrianopolitano,ensem & vexillum,fausti ominis ergo in templo eidem Sancto Joanni Baptistæ sacro accepisset, Varsaviâ Lublinum movet. Ibi aliquamdiu moratur, de belli ratione iterum cum Senatoribus qui aderant, & inprimis cum Georgio Ossolinscio, Magno Regni Cancellario, belli hujus primario administro, deliberans, tum majorem procerum, & stipendiarii, voluntariiq; militis numerum operiens. Inter alios tum ad Regem accessit Christophorus Hubaldus, vir jam dudum bellis Germanicis clarum nomen,& Generalis excubiarum præfecti dignitatem adeptus. Postea is à Gedanensibus,mox & ab Electore Brandeburgico,ipsoque Uladislao IV.Rege,ad bellica ministeria adhibitus fuit. Nunc postquam pax publica sat longum interstitium Martiorum operum fecisset, à Casimiro Rege legionem conscribere jussus, erat, quam cum curâ &

exquisitè lectam ad Lublinum Regi obtulit.

Verum huc jam de circumsesso ad Zbarasium exercitu alii atque alii allabebantur nuntii. Eo magis Rex properandum ratus Crasnostavum 17. Jul. ingreditur. Prætoriâ, Vecherianâ, Sapichanâ, & Hubaldianâ præmissis legionibus. Vigesima secundâ Julii ad Zamoscium deventum est, ubi castria ordinatius jam positis, nemini militum in urbe pernoctare licuit. : Et Rex ipse in castris mansit, ut tanto exemplo proniores cæteri sub pellibus agere assuescerent. Postea tamen à loci Hero Ioanne Zamoscio in Arcem invitatus est. Idem Zamoscius ex Arce in castra Regem secutus eidem laborum comes mansit, exercitumque insuper validâ militum manu, & machinis aliquot auxit. Grandescebant ita paulatim copiæ Regiæ, non iis tamen incrementis, quali sibi pollicitus Rex erat. Unde adeo nonnulli procerum suadere cæperunt, *ut ad Urbem hanc, vel non procul hinc loco aliquo selecto pedem figeret, dum in idoneam molem adolesceret exercitus. Hanc enim, quæ jam adesset manum, non in aliud, quam ad provocandum periculum fatumque aptam hactenus videri. Interim præmitti partem exercitus posse ad aditus, obsessorum castra tentaturam, aut saltem spem liberationis suis facturam in angusto conclusis, obsidentium contra animos curasque distracturã. Sed alii contra formidabiliora fore,*

*Rex properat ad liberandos obsessos.*

*fore*,ajebant, *hostibus arma, Majestatemque Regiam, si ex propinquo fulsissent; Et quoniam in multitudine agrestium discordia audiantur gliscere, iis augendis non aptius fomentum vel stimulum fore, quam præsentiam Regis, cujus vix demum electi autoritatem antea pertimuerint.* Regi posterior sententia & generosior esse,& præsentius afflictis obsessorum rebus remedium afferre visa est. Itaque 24. Julij promota sunt castra ad Tysżovvcas, quò cùm ab Antecursoribus Regiis quatuor Cosaci adducerentur,spes erat,aliquid ad consilia rectius dirigenda utile ex iis cognitum iri. Sed hi vel rerum imperiti, vel eorum quæ scirent,inter tormenta etiam pertinaces,cum nihil penè novum dixissent, Zamoscium deducti sunt. Hic autem illi Magnates,qui cunctantius ire volebant Regem,denuo coorti moram festinationi ejus injicere studuêre. Verum Rex placitum semel consilium retinuit, alacrioremque reddidit accepta ex Lithvvaniâ de prægrandi Cosacorum clade, fama,veri tamen hîc non tàm nuntia quam præsaga. Quippe etsi hactenus feliciter circumlatis Radzivillij armis, passim in eâ provinciâ accisæ essentCosacorum vires, insignior tamen eorum ad Lojovvum facta strages, quia sub Calend. demum Augusti ea contigit, ad Regem nisi à prænuntio futurorum seu rumore seu Spiritu,aferri non potuit. Narratum item Regi est,Chmelnicium à præ-

cunte Regem famâ perterritum, res suas pretiosiores ê castris in loca tutiora per alium quindecim milibus armatorum comitatum retrò misisse: cò promptius Regis exercitus progrediebatur.

*Locustæ in campis apud Tyslovvice.* Sub idem tempus novum malum, locustæ, militi molestiam facessebant, non campos tantum latè implentes, sed undiquaque in dapes, in corpora, atque ora etiam ipsa sese ingerentes, milite ista in lævum futurorum augurium cò pronius rapiente, quod simul tum aliunde tristes nuntii, de summis Zbarasiani exercitus afflictionibus afferebantur. Cosacus præcipuè quidam à Regiis interceptus, *quot & quantis incursionibus obsessos impetat Chmelnicius, & quod idem aliam quasi supremi conatus impressionem in ultimam Julji paret* retulerat. Fortè tum quoque Kisielii Palatini Kioviensis in castra adventus auxit in exercitu tristitiam. Quia enim diu cum Rege secretó locutus est, quó magis argumentum sermonis ignorabatur, cò validior inter turbatos credulosque suspicio gliscebat, suasisse illum Regi, ut retrogradiatur, & exercitu Zbarasiano, quem nulla salus servare possit, derelicto habito, de se & altero hoc exercitu servando cogitet. Mox & rumor increbuit visos alicubi Scytharum globos, exustumque ab iis in vicino oppidum. Nihil incuriâ amitti solet, atque etiam debet, cum hostis non procul abest

*Kiselius ad Regem venit*

abest: & hic facile fidem reperêre etiam falsa, ubi inprimis à Rege castra cepere circumiri, opera porró aliqua ad defensionem exstrui, & in noctem sequentem militi pervigilium indici. Et Rex ipse in re tam creperâ absentiam Cancellarii ægrius tulit, nec multó post, ut cænobium istud, in quod secesserat, viseret, có excurrit è castris, causâ consilii habendi. Simul tum Cancellario persuasum est, ut cum Rege in castra rediret, quod prima Augusti factum. Eadem die Belzensis nobilitatis accessu, auctus est exercitus Regis. Et mox denuò (lubet enim minutatim primam hanc Regis expeditionem persequi) quà iter continuandum, disceptatum. Quidam Leopolim deflectendum censebant, *illic & copiarum & commeatus notabile accrementum, ac sinisterioris fortunæ tutum receptum fore.* Aliis per Brodanum municipium eundem videbatur. Sed obtinuit eorum Sententia, qui Bialo-Camienium rectà petentum arbitrabantur. Et IV Augusti mota sunt castra usque ad Minovce, ubi denuò aliquot cohortes copiis Regiis accessêre. Adducti quoque sunt duo Cosaci, habitu Dragonum induti, ex quibus inter alia hoc intellectum, augescere inter Cosacos diffidia, & plurimos eorum ubi signa Regia conspexerint, transituros: non æque vera, quam læta hæc erant, & à multis tamen, ut in spes bonas prona gens mortales sumus, credita sunt.

*Deliberatio quà eundum esset adversum hostes.*

Rex veró ex ipſis obſeſſorum caſtris ſubinde nuntium expectabat, quò certi aliquid cognoſceret, unde conſilia melius temperari poſſent. Interim ad omnia extrema ſe accingens, aciem inſtruit, ut militem ante neceſſitatem neceſſitati accingeret, & ſimul numerum iniret exercitus. Et tum quidem non amplius ſeptuaginta ſeptem vexilla reperta ſunt, nihilominus tamen progredi viſum eſt. Quintâ Auguſti Radzikovum, poſtera, die Toporovum, deventum eſt. Hic nobilis miles Skrzetuski, ſummo vitæ periculo, caſtra terrasque hoſtiles perluctatus, literas Regi, præſertim à Nicolao Oſtrorogio Pocillatore Regni, affert, gratiſſimus ſanè, & multo præmio dignus nuntius, etſi ingrata afferet, quippe & ex ipſo, & ex literis exercitus iſtius ſupremæ anguſtiæ, victus, & pulveris pyrii inopia, aliaque atrociſſima mala, & ſecutura denique, niſi properè ſuccurratur, vel à fame mors, vel ab hoſte expugnatio intelligebatur. Eò magis animus Regis ad feſtinandam extrema jam patientibus opem accendebatur.

*Literas ab obſeſſis affert Skrzetuskius*

Atque ut non vi magis quam conſilio potentiam hoſtilem accideret, præmittit captivos cum literis ſuis ad caſtra hoſtium, quibus gratiam Regiam omnibus Chmelnicium deſerturis promittit. Porrò vias minùs uſitatas capeſſere viſum eſt, fallendi hoſtis causâ, milite interim anguſta ſaltuum, per quæ ducceretur,

tur, multum accusante. Ac alicubi inter illas sylvarum latebras ab agrestibus intercipiebantur, quos longius è cætero exercitu vel licentia vel necessitas aliqua abstraxerat. Necessaria porrò victus præsidia in illis solitudinibus deerant militi gregario. Unde & Rex ipse tandem damnabat consilium eorum, qui suâ sponte, seu inexcusabili loci imperitia, se & exercitum his difficultatibus implicuissent. Cautius igitur deinceps agendum ratus, præmittit Christophorum Arcissevium rei tormentariæ præfectum, qui viis, & Bialo Camienio ipso lustratis, num eó progrediendum exercitui esset, indicaret. Eo ubi venisset cum suis Arcissevius, hostium aliquam manum in vicino clivo, & aliam oppido demum egredientem animadvertit, impetum quia non longè aberant, illuc daturus, nisi vir imperii militaris servantissimus, & quo numero hic vel alicubi in insidiis hostes essent ignarus, intra jussa Regia stare maluisset. Itaque de viis locique situ, tum & hoste conspecto, certiorem facit Regem, qui mox quoque cum exercitu, quo ille præiverat sequitur, itinere sanè perdifficili, cum ex tenacissimo cœno corpus sæpe vix emoliretur miles. Solum in tractu illo præpingue, & ubi pluviis permaduit, uliginosum altè admittit, tenetque pedum,

*Hostis occurrit Regi*

*Loco iniquo deprehenditur exercitus Regius*

Tum veró assidui imbres & corpora transf

tranſeuntium onuſtiora reddiderant, & ita molliverant pertinax lutum ut ſubinde obhæreſcentes aliqui, alienam etiam opem, dum ſibi quisque vix ſufficit, fruſtra invocarent: inprimis ad montis, qui iſtic viam pertexit, radices multum laborabatur: Nam ex alto in præceps ruens glebofa proluvies, cæni profunditatem penè faciebat imperviam. Et in ipſum tamen montem eluctandum erat, militum non paucis, excubare iſtic, & num quà hoſtis appareret, circumſpicere juſſis. Atque aliquas Scytharum catervas in vicino eſſe certum erat, cum aliquando illi excubiis ipſis aſtu ſubreperent. Sed quid Chmelnicius cum cætero exercitu agitaret, num defereret obſidionem, num obviam ire Regi vellet, planè ignorabatur: nam unus Schytharum illorum, qui excubitorem ſubtripuerant captus, & quæſtionibus ſubjectus, quia conſiliorum hoſtilium neſcius erat, nihil memorabile aperuit. Et emiſſi II Auguſt. exploratores ſine captivo rediere. Adeò mirâ quadam calliditate & ſeveritate ſuos hoſtis continebat, ut neminem comprehendere poſſent Regii, qui de ipſo faceret indicium. Et ita abundè caſtris ſuis idem proſpexerat, ut pabuli causâ nulli foret neceſſe excurrere. Nihilominus quia jacta alea eſſet, progrediendum ſibi Rex DEO fretus, putabat. Sed antequam moveret, plebem iterum hoſtilem ſolicitandum

*Exploratores nihil afferunt*

citandum duxit, haud dubitans fore plurimos, qui à Chmelnicio abripi ſeſe paterentur.

*Zabuſcio datur Coſacorum Regimen*

Eum igitur ut contemptui & odio opportuniorem redderet, exercitus Zaporoviani regimen, quod hucuſque autoritate Regiâ tenuiſſet, ipſi abrogatur publicè, & ſolenni per Cancellarium habita oratione Zabuſcio Coſaco confertur, homini multis ſtipendiis, & conſtantiſſimâ fide pridem Ducibus Poloniis cognito. Scripta mox diplomata, quibus datus Zabuſcio honor paſſim innoteſceret, eaque per captivos in ipſa etiam caſtra hoſtilia ad aliquos, quos ſibi & ſuis rebus minus adverſos novus Ductor iſte judicaret, tranſmiſſa ſunt. At hoſtis antequam iſta eó perferrentur, quid in caſtris Regiis agitaretur, non ignorabat, plebe agreſtium paſſim illi favente, & quicquid hic audiviſſent per occulta viarum ſignificante. Decima tertia Auguſti cum ad alterum circiter lapidem à Zlozevo moviſſet cum exercitu Rex, adductus eò eſt Scytha quidam à Dominici Ducis Zaslaviæ milite correptus. Sed ex eo nihil amplius cognitum eſt, quàm ipſum exercitui hoſtili Chanum adeſſe, quod etſi ex ipsâ Tauricâ á captivis noſtris ante perſcriptum, pro incerto tamen hactenus habitum erat. Rex iterum ſuos educit imaginariâ acie, veræ præludens, præparansque militem ſequen-

*Capitur Scytha ſed nihil ex eo noſci poteſt*

ti die etsi signum movendorum castrorum daretur, haud tamen mota sunt, ob viarum difficultatem, quas reficere prius oportebat, quam istuc exercitus duceretur. Advenêre tum plures aliquot eo ultimæ scilicet cohortes. Post has nullis amplius copiis auctus est exercitus. Et is tamen hoc tempore, quo crescere desiit, vix 16 aut 17 millium erat, connumeratis iis copiis, quas Regi & Reipubl. de suo militaturi proceres addiderant. Nobilitas quia serò evocata, nonnisi rara & paucorum Palatinatuum aderat. Tum quia constabat non procul hostem abesse, omnia ad pugnam parata habebantur, constitutumque ut imperia à Rege per Cancellarium, proximum tum à Rege Consiliorum rerumque Ducem, in reliqum exercitum dividerentur. Ista dum agerentur, XIV Augusti rumor affertur hostem appropinquare. Sed lentior jam fides erat, quippe quam ante hac similis sæpè fama deceperat, & fieri posse negabatur, quin hostem itapropinquum prior exploratorum industria quàm celeritas famæ detegeret: tamen ne quid omitteretur per incuriam Marco Gdesinio, veteri & notæ in explorationibus ejusmodi solertiæ equitum Ductori negotium datur, utcum aliquâ manu egressus, certi quid de hoste afferet. Is sub vesperam reversus, circumquaque omnia se perscrutatum, tamen nullum prorsus agmen hostile deprehendisse affirma-

*Cancellarius proximus belli administer Regi*

*Gdesinius emittitur exploratum*

affirmabat. Neque de induſtria viri dubitaverim, ſed eam quantumcunque ſedulam, calliditas hoſtis & obviorum agreſtium malefidæ narrationes fefellere: quippe Rutheni omnes Coſacis, ſi non aliis, ſaltem religionis autoramentis obnoxii, Polonis qua poſſent os ſublinere non negligebant. Cæterum quia longius adhuc abeſſe credebantur, non eſt viſum inſtructâ acie illum hîc præſtolari, ſed Jeziornam progredi conſilium fuit. Ne tamen ſecuritate peccaretur, eâ ipsâ die in veſperam jam eunte, ad duo uſque ſtadia, & ultra Zborovum oppidum, protenſæ ſunt excubiæ. Interim Carolo Corecio mandatum, ut poſtridie ſub ipſum orientis diei crepuſculum, cum primis exercitus agminibus pontes aggeresque trajiceret. Ad quos reficiendos, ac faciliori exercitus atque impedimentorum trajectui aptandos, jam ante miſſæ erant aliquæ peditum cohortes. Sed harum operam tempeſtas & uvidi limoſique ſoli genius plurimum tardavit. Eædemque itinerum difficultates exercitum poſtero die diviſêre, alieniſſimo ſanè tempore, & quo illum optimo ordine compoſitum ſtare oportuit. Ac Rex quidem quò rectius res procederent, ductum copiarum inter Senatores jam antea diſpertiverat, qui erant Adamus Kiſiclus Kiovienſis, Stanislaus Potocius Podolienſis, Chriſtophorus Coniecpolſcius Belzenſis Palatini, Stanislaus Vitowski

*Exercitus cura diſtribuitur inter Proceres*

Vitowski Sendomiriensis, Stempcovius Braclaviensis Castellani, Ossolincius denique Cancellarius Regni & Leo Casimirus Sapicha, Procancellarius M. Duc. Lithw. Singulis his quasi Tribunis equitum hastatorum ac velitum turmæ, nec non cohortes pedestres certo numero assignatæ sunt. Carolo Corecio Duci satis animoso frons aciei contigit. Boguslaus LeszcyniusGeneralis Majoris Poloniæ Præfectus Joannes item Zamoscius aliiq; aliquot penes Regem manebant. Cæterùm die assumptioni sanctæ Virginis sacro superaverat pars exercitus trajectuum molestias, ceteræ quoque copiæ, ordine quo imperatum erat, secuturæ, pariter se moverant, solis Dominici Ducis Zaslaviani turmis subsistere jussis, donec impedimenda omnia transportata, & exercitus in ordinem rediisset. Sed dum impedimenta traducerentur, antecursores expeditis nuntiis significant Regi, hostem & magno numero, & summâ celeritate approperare. Eo audito sine morâ Rex copias, quæ ultra trajectum erant, verbis quæ res & tempus postulabat animare, & simul mox ordinare incipit. Sed Tartari, gens celerrima, & ad impetus faciendos præferox, non dabant spatii satis ad ritè struendam aciem, seu nocte istâ quinque leucas, quibus ab hoc loco Zbarasium distat, emensi sint, quod sane perniciosissimo huic, eidemque levissimæ arma-

*Hostis adest improviso*

turæ

turæ militi perfacilè factu fuit, seu quod alii majore veri specie tradunt, dudum jam, sed omni solertiâ exploratorum Polonicorum clusâ, inobservati propè Zboroviam steterint, equidem procel æ instar, è proximo querceto, quod in latebram iis contigerat, effusi sunt. Erant plus quam centum millia Tartarorum quos Chanus, octoginta millia Cosacorum, quos Chmelnicius ducebat, & sequebantur alia ingentia agmina cum impedimentis. Non autem ante latebris illis hostis erupit, quam in oppido æs campanum ad rem divinum pulsari solitum sonuisset, ut jure multi suspicentur, signum quod sacris alioquin servire sueverat, hosti nunc oppidanorum ancillante perfidiâ, pro indice & tesserâ serviisse. Quin & Chmelnicium ipsum in oppido fuisse aliqui tradunt, atque istinc loci situ, tum exercitu Regio eminus lustrato, quomodo res suas institueret, consilium cœpisse: quicquid sit, inexpectatus venit hostis, & mox ita rem egit, ut locum optimè ei perspectum esse satis appareret.

Quia autem tam vastam hominum multitudinem trahebat, quâdam protinus velut indagine Regios circumdare quærebat, & novam istius etiam exercitus obsidionem moliebatur. Unde factum, ut in postrema Regiorum agmina, primus Tartarorum impetus effunderetur, quem devii aut lentius progressi *Postremi Regiorũ circumfundun-tur*

progreſſi currus, quæque hos comitabantur cohortes, non ſine damno excepêre, aliis qui præceſſerant in auxilium minus maturè venientibus, quod primo ſtrepitu audito, nihil de hoſte ſuſpicati, qicquid eſſet tumultus, caſu aut militum petulantia excitatum crederent. Sed mox curribus direptis, ereptiſque, in alias turmas, inprimis Palatinatus Ruſſici nobilitatem, & Dominici Ducis Zaslaviani cohortes, quæ ad tergum aciei Regiæ tuendum relictæ erant, gravius hoſtis incubuit. Neque eum ſtripæ amnis, Stagnivè interpoſitæ aquæ cohibuêre, quia perfidi agreſtes, aggeribus, qui aquas retinebant, infra dirutis, vadoſum reddiderant alveum. Et deprehenſa hic nobilitas magnæ irruentium multitudini aliquamdiu quidem fortiter obniſa, ſed quia longius ab exercitu reliquo remota, à nemine ſublevabatur, feſſa denique & impar, non tantum ſuorum plurimos, ſed tandem impedimenta etiam amiſit. Promislienſibus præcipuè funeſta hæc dies fuit, adeò ut illud territorium plusquam ſexcentos nobiles viros hic amiſiſſe feratur. Coricio, qui Zaslavianum militem ducebat Caſtellanus Sendomirienſis Stanislaus Witovvski, & Leo Caſimirus Sapicha Lithvvaniæ Procancellarius ſubvenêre, tam feliciter primum, ut tum quidem pedem referre cogeretur hoſtis. Sed mox idem reverſus, majore impetu ir-
ruit

ruit in Procancellarii copias, quæ septem turmarum cum essent (nam reliquæ alio loco positæ longius aberant) sex horis integris, conflictu triplici contra hostem se tutatæ sunt.

Attandem plurimis cæsis inter quos primo mox congressu Felicianus Tyskevvicius pulcherrsmè pugnans ceciderat, succubituræ videbantur, nisi Vicovius Castellanus Sendomiriensis, & Balduinus Ossolinscius Stobnicensis Præfectus in se hostem avertissent, non sine ingenti pugnantium utrinque clade, Regiorum tamen vel ideò majore, quo alter Ductorum Ossolinscius, egregium familiæ suæ decus hic periit. Non procul inde in Nobilitate quæ è Palatinatu Russiæ aderat, & mox alibi circa currus multam stragem (nam plus quam mille Poloni istic perierunt) etsi non impunè, edidêre Scythæ, adeò feroces, ut in ipsa ferè castra eodem impetu invehe-rentur. A quibus dum arcere illum juxta cum aliis connititur Georgius Rzecicius Præfectus Urzedvviensis, insignis Patriæ civis, & ob rei militaris peritiam subinde hoc bello à Rege ad intima consilia bellica, & regimen rerum admissus Scythico acinace truncatus occubuit. Dum hæc in adversâ parte castrorum aut ad latera aguntur, majore interim mole rebelles, Tartaris comitati, in Regem ivêre. Qui subitò aciem quoque suam instruxerat, ita ut Georgius Ossolinscius, Magnus Regni

*Felicianus Tyskevvicius perit & Balduinus Ossolinscius*

*Rzecicius Præfectus Ursedvviens cæditur.*

*Acies Regia* Regni Cancellarius duceret dextrum latus, in quo Aula Regis, cui Nicolaus Gnievvosz Præfectus Radomiensis præerat Stanislai Potocii Palatinæ tum Podoliæ, Christophori item Koniekpolscii Palatini Belzensis, cum Palatinatus sui Nobilitate, Joannis Zamoscii Præfecti Calusiensis, & Sigismundi Donhofii Præfecti Lokalensis aliorumque cohortes, ac turmæ equestres erant. Alam vero sinistram Georgius Lubomierscius Præfectus Cnacoviensis, & Dux Coreccius regebant, cui Pozovius honorariarum aliquod cohortium Ductor, & Sebastianus Machowski vigiliarum castrensium eo tempore Præfectus, aliique Tribuni cum cohortibus quisque suis adjuncti. Mediæ aciei robur in equitum Germanorum, quos Serens. Elector Brandeburgicus Ductore Vice Tribuno Achatio Braad supremi Ducalis Prussiæ Mareschalci filio, vi vasallatus, submiserat turmâ, & in pedestri inprimis milite consistebat. Cui post Regem semper præsentem animoseque suos animantem Christophorus Hubaldus germanicas aliquot legiones, & Romoldus Wolfius Prætoriam ducens, præerant. Huc itidem accesserant subsidiariæ cohortes, sexcenti inprimis pedites, quos Sapieha Litvvaniæ Procancellarius suo ære in Reipupl. usum conduxerat, & eodem porrò dum res posceret alebat. Ac primum quidem Tartari vario excursu, atque expansis latè alis, quasi adversam tantùm

tùm aciem ſpecularentur, ſuggreſſi, mox confertiſſimis agminibus dextro ſe lateri injecêre. Sed pilarum denſiſſmâ grandine à pedeſtri milite excepti, ſubitò reſiluerunt, ſimilemque tempeſtatem à mediâ acie veriti, eâ longo circumactu evitata, in ſiniſtrum latus Regiorum invecti ſunt. Ubi Dux Corecenſis, in primâ ſtatione poſitus, omni equidem fortis viri officio ſtrenuè defunctus, multitudine tamen obrutus, ægré exitium evaſit, equo quo vehebatur adeò graviter ſauciato, ut tantùm non procumberet, antequam vectorem ad ſuos pertuliſſet. Et paulò poſt Pozovius tramiſsâ per utramque genam ſagittâ ſaucius, ipsâq; eâ, quâ acceperat parte telum ferens, ad Regem advolat, opem laborantibus ſuis poſcens. Tum verò Rex periculum videns ad primos ordines procurrit, & quà gladiò, quà voce, alicubi & manu frænis injectâ, ſuos in hoſtem impellit trahitque, *Patriæ amorem, Majorum decora, ingeminans, & ſe ſimul ad omnis fortunæ, atque etiam mortis conſortium offerens.* Ad eum modum virtute Regiâ in hoſtem reducti, ſuppetiiſque firmati, ambiguo aliquamdiu Marte, ſed mox prævalente hoſtium multitudine, iniquo iterum certarunt. Denuò itaque Rex accurrere, cedentibus mànum injicere, Ductorum abſentiam quærentibus, ſe Ducem offerre. Et jam ibat in denſiſſimam prælii tempeſtatem

*Rex animat ſuos*

contemptor sui Princeps, ægerrimè demum à proximis, præcipuè Casimiro Tyskevvicio Pocillatore Lithvvaniæ retentus. Conspectâ Regis imperterritâ fortitudine, crevit omnibus animus, ut fortiùs pugnarent, aliis ut impetum saltem hostilem, quantumvis accerrimum, loco suo non moti, exciperent. Eodem accurante submissa laborantibus auxilia, ut qua labascere cœpisset acies, restauraretur.

*Scythæ ferè perrum punt*

Perruperant quippe alicubi equitatum Scythæ, cedentique illi instabant ferociter, sed à turmâ Regiorum Equitum, inprimis illâ, quam Brantius ducebat, ex majoribus præterea machinis, duabusque sclopetariorum cohortibus, quas Wolffius Prætoriæ legionis tum Præfectus, inter equitum cohortes collocaverat, duriter accepti, remisere animos, sic ut denique nullum summo conatu dignum prætium ferentes, & victis quam victoribus similiores, campo paulo ante solis occasum excederent. Quia porrò tumultuariis ejusmodi insultibus parum se proficere hostis sentiebat, mediam scilicet Regis aciem immotam stare, & hinc alias cohortes, & si laborantes, subinde tamen resurgere conspicatus, eò flexit ut exercitum Polonicum circumire accingere pergeret, quod nunc eò facilius illi fuit, quia sero jam die, ad priorem pugnatorum multitudinem, plus quam triginta millia Cosacorum accesserant. Itaque brevissimo tempore, univer-

*Hostis circumdare cogitat Regios*

penè caſtra Regia ab hoſte circumventa ſunt. Unde gliſcente ita periculo, diem atrocem nox oppidò ſolicita excepit. Nam quod in futurum diem major pugnandi neceſſitas impendere videbatur, ſingula Regio juſſu, prout res exigeret, pervigili curâ ordinabantur. Perlunis illa erat, eoque operi faciundo aptior, quare aggeribus excitandis ſtudioſè miles Regius incubuit, Rege ipſo ſtationes excubiarum crebrò viſente, operasque excitante laborantium. Poſtea dum ſuper ſumma rei cum Proceribus deliberat Rex, id animadvertentes alii quidam, & quæ ignorarent in pejus rapientes, ſuſpicari cœpere, de fugâ conſilium iniri. Ac confeſtim unius vel alterius ſequiore judicio ſparſus in plures rumor eſt, Regem aut abiiſſe, aut abiturum, cumque eo præcipuos Procerum, arctiorem ſcilicet obſidionem veritos. Jamque parum aberat, quin ſimilis Pilancianæ conſternatio occuparet militem. Id ubi Rex, qui ad reficiendum corpus interim paululùm ſeceſſerat, intellexiſſet, abruptâ illicò quiete, intempeſtâ nocte, prælucentibus funalibus, caſtra equo conſcenſo obiit, præſentem ſe obviis oſtundens *memoransque, nec fugiendi ſed pugnandi ſibi animum, boni ſucceſſus amplam ſpem adeſſe*, *ingeminans*. Mox & legum militarium acies in eos, quos prima trepidatio abduxerat, ſtricta eſt. Cæterùm inter conſilia ante habita id plerisque, &

*Nocte exercitus Regius instruitur ad resistendum*

*Rumor de abitu Regis ſed falſus*

inprimis Magno Cancellario placuit, ut ratio ineatur, quomodo abſtrahi à Coſacis Tartari poſſent. *Levem eam gentem, & nulla injuria à Polonis nunc læſam, ſi antiqua eis beneficia oſtē-tentur, non difficulter forſan à ruſtica & Dominis ſuis perfida turba ſocietate diſceſſuram.* Ac ſine morâ clam conductus eſt Presbyter quidam Ruthenicus, qui cum uno ex Scytis captivis literas 16 Auguſt. ad Chanum detulit, quarum hæc erat ſententia. *Memorem haud dubiè eſſe Chanum beneficiorum, quæ à Uladislao Rege nuper defuncto acceperit. Cum captus in Polonia olim, non benignè tantum habitus, ſed tandem etiam libertate donatus, Regiæ gratiæ imperium, cui nunc præſit, debeat. Eò magis mirum, tantorum ipſum meritorum conſcium, rebellibus Poloniæ ſervis arma ſociaſſe. Sed minimè illi iniquam hanc conſpirationem emolumento fore. Nec enim DEI favorem conatibus ejusmodi adfuturum. Interim viſum fuiſſe Regi, fratris ſui beneficia in mentem revocare immemori, & amicitiam, ſi Regium fœdus, quam ſervile bellum mallet, offerre.*

*Ad Tartarorum Chanum literæ*

Eodem die (16 Auguſti) unà cum luce eadem Scytharum copiæ, & alibi Coſacorum univerſus exercitus comparuêre. Ac horum quidem vis prima, in oppidum ipſum converſa eſt, aliâ parte Tartari curribus atque impedimentis manum injicere cœpere. Sed Co-ſ co-

*Novi inſultus ab hoſte*

sacos oppido potiri omni ope conantes quadringenti primum desultorii equites, nunc missis equis, pedestribus armis pugnantes per horas aliquot, & deinde in auxilium à Rege submissi pedites, non repulêre tantum, sed & longè extra oppidum prosecuti sunt. Pariter & Tartaris abigendis lixæ, qui curribus adesse assueti, nunc arma corripuerant, suffecêre. Sed postea hostis, diviso quadrifariam exercitu, castra ipsa Regis oppugnare aggressus est. Pars versus mediæ aciei stationes, pars in alam dextram, pars in sinistram tendebat. Simul interim alius Cosacorum globus sub collium, stagno imminentium latebris, templo Ruthenico subrepit: quo occupato, multum noxæ inferebatur Regiis, & penè in castra ipsa, quia hic quam usquam alibi infirmiora erant, irrupit hostis. Repertus est sanè unus, qui in vallum castrorum eluctatus, hostile in eo signum attollere auderet, temeritatis tamen suæ mox præmium, læthali globi ictu adeptus. Rex cognito stationis laborantis periculo, aliquot cohortes è Prætoriis, & turmam Electoralem eò mittit, quæ adeò acriter mox propulsarunt hostem, ut is non tantum oppugnationem castrorum Regiorum, sed & templum occupatum, munitionumque inchoatorum rudimenta, & quicquid apparatuum istic secum habuerat, desereret. Neque melior cæterorum qui alias castrorum partes

*Cosaci templa oppidi subrepunt*

tes attentaverant, fortuna fuit. Tormentorum enim ſclopetorumque ictibus ita excepti ſunt, ut campum magis magisque ſuorum cadaveribus cooperiri videntes, ante ipſam meridiem â cœpta oppugnatione ſeſe ſubduxerint. Poſt meridiem denuò omnibus viribus oppidum adortus eſt hoſtis, impetu id auferre ſperans, antequam ſufficiens defenſorum manus eò accurreret. Sed conſilia hoſtilia prævenerant ſclopetarii Regii, commodum tùm à Rege ad dandam priori præſidio reſpirationem ſubmiſſi. Ubi vis ab hoſte emicuit junctis operis utraque manus commune periculum propulſavit tum feliciter, ut multis ſuis amiſſis retrò agerentur oppugnatores. Opportunè quoque tum caſtrenſis famulitii turba accurrerat, & cùm cedentem jam hoſtem reperiſſet extra oppidum progreſſa plurimos Coſacorum cecidit, idque Duce inprimis Liſiecio S. J. Presbytero, qui & tumultuariæ huic, ſed multo hoſtium ſanguine cruentæ pugnæ, victoriæque novem ſaucius vulneribus immortuus eſt. Cum pari felicitate rem egiſſet gregaria iſta caſtrenſis famulitii turba, propè ſtetit conſilium, autoritati militiæ eos adjungere, & ſic aucto exercitu, juſti prælii fortunam experiri, antequam arctius adducta circumvallatio, majores anguſtias famemque exercitui afferret. Sed aliis, quibus cauta magis cum ſecuritate, quam audacia cum periculo

*Oppidū oppugnatur*

*Lixæ benè rem agunt*

*Prælium cum hoſte ſuadent quidam*

o consilia placerent, haud tutum videbatur, exercitum, animosum quidem satis, sed magnitudine minimè unquam hostili comparandum, dare in casum, facilè enim fieri posse, ut & ipse hic, qui alteri Zbarasiano liberando venisset, semel campum minus felicem expertus, à tàm immensà multitudine pariter obrueretur. Sed effecit cœlestis providentia, ne ullo jam prælio, vel excursu opus esset. Etenim Chanus proclivem sibi ante expugnationem Regiorum pollicitus, ubi tanto sanguine rem constare, & jam à periculis ipsis fidentiores Polonos in hostem subinde erumpere, magnasque dare strages vidisset, ad literas Regias, quas à Rutheno Sacerdote delatas ante memoravi, respondendum sibi duxit. *Fateri se ajebat, Regiæ in se domus beneficia, &, si maturè à Rege recens inaugurato foret compellatus, ejus sanè benevolentiam, quam rem Cosacorum sibi antiquiorem futuram fuisse, at silentio se & incuriâ tramissum, imò vix hominum numero habitum esse hactenus, cum satis tamen appareat, sua quoque amicitiæ aliquem usum esse. Cæterum venisse se hyemandi quidem animo in has terras, quia tamen ineundæ cum Rege præsentis amicitiæ occasio offeratur, ei se non defuturum. Ac si sibi ex vetere fœderum formulà*

*Alii dissuadent*

*Chanus flectitur*

*Epistola ejus*

 *mulà*

*mulâ à Polonis satisfiat, positurum se arma, atque ab iisdem ut Cosaci etiam discedant, effecturum. Mitteret Rex Cancellarium suum, & locum colloquio designaret, eò suum quoque Vezirium firmandi fœderis causâ venturum.* Interea etiam à Chmelnicio nuntii, inter quos præcipuus fuit Nestorenko advenêre, cum epistolâ sat modesta, & omne imposterum obsequium promittente. Rex consilio habito remisit Nestorenkum, & cum eo ablegavit Franciscum Lubovvicium, Dapiferum Ciechanoviensem, & tum Judicem generalem exercitus Regii, qui Cosacum ad saniora consilia flecteret. Hunc comitati alii Joannes Sapicha, Commorovius, Stephanus Hankevvitzius Notarius Judicii campestris. Progressi hi omnes è castris in Tartaros incidunt, solus Hankievvicius ad Chmelnicium evadit, quem cum de statu Delegati Regii & Comitum ejus monuisset, missi illicò, qui indignè habitos honorificè deducerent in locum, ubi erat Chmelnicius. Chano autem respondit Rex, adfuturum quemadmodum posceretur Cancellarium. Sed venire præoccupavit Vezirius Crimensis, ad quem cum medio intēr utraque castra loco processisset Cancellarius, salutatione præmissâ, Tartarus Domini sui nomine petiit, *ut stipendium militare antiquitus à Polonâ Republ.* *Tartari postulata* *Chano in pretium operæ, quam dare Respubl. teneantur, dari solidum, sed à Uladislao Re-*

ge

*ge denegatum, persolvatur. Ut porrò Zaporoviorum postulatis satisfiat, & ut turmis Tartaricis domum nunc reversuris, quà vellent, excurrendi, & sic expeditionis hujus, fusique sanguinis suorum fructum quærendi potestas sit.* Cum ampliandum super his postulatis, & Regem consulendum diceret Ossolinscius, digressus uterque ad suos est. Vezirius verò & Cosacis & Tartaris edicendum curavit, ut ab omni hostili opere cessaretur. Non ubique obtemperatum est, & ubi obtemperabatur, nihilòminus Regii advigilabant curâ intentissimâ ne quâ sibi specie amicitiæ a Barbaris illis imponeretur. Posterâ die, (erat autem 17 Augusti) prodiêre iterum in campum delegati, terni ex parte Polonorum, terni ex altera. Illi erant Palatinus Kioviensis Kisielus, Georgius Ossolinius Cancellarius, & Leo Casimirus Sapieha M. D. Lithvaniæ Procancellarius. Hi, Vezirius, Sieferkazius, Sulimazius Aga. Quibus deinde Chmelnicius quoque supplex accessit, amnestiam factorum petens, atque ut Cosacorum, tum & Religionis Græcæ libertati consulatur. Cum aliquandiu partes inter se disceptassent, tandem intra vigesimam quartam, à primo congressus initio horam in hæc capita conventum est.

*De Pace colloquũtur iterum partes*

*Ab hoc tempore inter Regem Joannem Casimirum ejusque Successores Reges Poloniæ,*

 *&*

*& Islan Gercium (Chanum Tartarorum, ejusque familiam Gierciam amicitia & fraternitas perpetua esto.*

*Rex Poloniæ ordinarium stipendium Chano Tartarorum retentum hactenus pendito, & in posterum ubi id per Legatos Caminieciam missos petet, dato.*

*Chanus Tartarorum vicissim adesse Regi, quandocunque hic jusserit, cum omnibus copiis suis contra quemvis hostem tenetor.*

*Nulli Tartaro hostili animo fines Regni ingredi, aut prædas agere fas esto, & Chanus ab omni invasione Tartaricâ indemnes Poloniæ ditiones præstato.*

*Ab obsidione castrorum Zbarasiensium confestim & Tartari & Cosaci disceduntο, & exercitum ullum, quocunque Rex jusserit, transeuntem ne infestanto.*

*Tartarus omnes exercitus, & quicquid Turcarum Rumeliensium adest, sine morâ ex ditionibus Regni educito.*

*Rex Poloniæ in gratiam Chani, Chmelnicium, & universum exercitum Cosacorum Zaporovienſium, veniam facinorum suorum precantem & fidem suam jure jurando Regi & Reipubl. coram Senatoribus obstringentem in gratiam recipito, eundem denique exercitum, numero, libertate, more antiquo componi curato.*

Porrò

Porrò autem Cosacorum exercitus sigillatim à Rege certa promissa tùm obtinu-
, quæ, ut accepi, nullo addito cultu subji-
.

1. *Omnes libertates exercitus Zaporoviani, secundum ejusdem privilegia vetera conservare promittit Regia Majestas.*

2. *Ut exercitum eundem ad servitia sua & Reipubl. Rex tantò magis devinciat, numerum ejus ad 40000. capitum extendit, ordinationem Albi militaris Ductori ejusdem exercitus promittit, ita ut milites idoneos, tam ex bonis Nobilium, quam Regiis possit in album referre, tali limitatione, ut intra territoria & oppida, cis & ultra Borysthenem expressè nominata conscriptio ea consistat: quanquam & extra hos fines, si quis inter Cosacos esse velit, ei liberum erit in Ukrainam migrare, ubi in album referri poterit. Ordinatio autem Albi militaris per Ductorem ejusdem exercitus, ante exitum præsentis anni fiet, ita ut Ductor ille omnium eorum qui ad exercitum pertinebunt, nomina inscripta, sub manu & sigillo suo exhibeat, quò sic isti libertatibus suis fruantur, reliqui verò omnes arcibus Regiis, qui verò in bonis Nobilium habitant, Heris suis subjecti maneant.*

*Conditiones pro Cosacis*

3. *Czeherinum cum sua Jurisdictione ad Ductorem exercitus Zaporoviani semper pertine-*

*tinebit, Ductorem autem jam Regia majestas constituit Generosum Bohdanum Chmelnicium, fideli servitio suo & Respubl. eundem obligans.*

4. *Quicquid factum per has bellorum turbas, id omne plenissima amnestiâ obliteratur.*

5. *Nobiles tàm Græcæ quàm Romanæ Religionis, qui per hæc belli tempora in exercitu Cosaico fuerunt, ad gratiam Regis rursus admittuntur, & si cujusquam bona aut existimatio pœnæ succubuerint, ea in integrum restituuntur, & Comitiali Constitutione infamia delebitur.*

6. *Exercitus Regni in locis, ubi Copiæ ad Album Cosacorum pertinentes, secundum præscriptos limites, morabuntur, stativa non habebit.*

7. *Judæi nec Tenutarii nec Conductores nec cives erunt in oppidis Ukrainensibus, in quibus sedes fuerit Cosacis.*

8. *Ratione unionis, tàm in Regno, quàm M. Duc. Lithvaniæ tollendæ, item ratione libertatum & jurium Ecclesiæ ritus Græci, bonorumque ad eam antiquitus pertinentium, prout cum Metropolitâ Kioviensi & Spiritualibus Græcis in proximè futuris Comitiis transigetur, ut transactio illa valeat, & qualibet pars suo jure & libertatibus fruatur, Rex concedit, eidemque Metropolitæ locum in senatu permittit.*

9. *Di-*

9. *Dignitates & officia qualibet in Palatinatibus Kioviensi, Braclaviensi, & Czernichoviensi Nobilibus graci ritus, secundum vetera jura Rex promittit.*

10. *Kovia quia Schola Ruthenica sunt, Jesuita inde & ex aliis Urbibus, oppidisque Ukraine exclusi atque alio transferendi sunt, schola verò antiqua intacta ibi manebunt.*

11. *Crematum* (ita Spiritus ex filigine elicitus vocatur) *Cosacis non minutatim, & cauponando, sed quantum ejus in suos quisque usus paraverit, generatim vendere integrum erat. Mulsi, cerevisia, & similium rerum venundationes, ex recepto more fiant.*

*Ista omnia confirmari debent, constitutione Comitiali. Interea verò omnium injuriarum oblivio & plena inter Incolas Ukraina & exertium Zaporovianum concordia esto.*

Stabilitâ ita pace jussus est Chmelnicius sacramento coram Senatoribus Reipubl. obligare se, & porrò mittere ad Regẽ nuntios, qui exercitus totius nomine veniam orarent. Quod cum factum esset, conditionibus etiam, quas ancillante fortunâ perbenignas impetrarant Cosaci, Rex subscripsit. Denique Chmelnicius ipse in tentorium Regis perductus, provoluto in terram, & ad ipsosmet pedes Regios corpore lachrymans patratorum veniam oravit, multis

*Chmelnicius supplicat Regi*

multis verbis conteſtatus, *maluiſſe ſe egregia Regi Regnoque præſtita opera conſcium, quam tanto ſanguine effuſo erubeſcentem venire in conſpectum Regiæ Majeſtatis. Sed quia aliter fatis viſum, jam clementiam, quam meritis ſuis minimè deberi fateatur, ſe ſupplicem & facinorum ſuorum pœnitentem precari.* Reſponſum ei à Lithvvaniæ Procancellario. *Regem pænitentiam ſubditorum ſuorum, quam pœnam malle. Quæ hactenus peccaſſet Chmelnicius, clementiâ Regia remitti, ſed eâ lege, at conſtante in poſterum fide, & promptâ devotâque in Patriæ uſibus virtute culpam admiſſam compenſet.*

*Obſides dantur Chano*

Juſſus deinde Coſacorum exercitum reducere, paruit ſine morâ. Nam & huic qui ad Zborovum pugnaverat, abire confeſtim, & ut alter quoque exercitus à Zbaraſio obſeſſo diſcederet, mandavit. Chanus, quia quæ ſtipulatus ei Rex eſſet, exſolvi ſtatim non poſſent, obſides poſtulavit ex Polonâ nobilitate, & primariæ quidem notæ viros. Grave id Regi erat, & nemo Nobilium ut barbaræ fidei ſe committeret vel cogi poterat, vel perſuaderi facilè poſſe videbatur. Repertus tamen eſt, qui perſuaſiones non admitteret tantum, ſed & præverteret Sigismundus Comes à Dönhoff Præfectus Sokalienſis magni Cancellarii gener, celebrari ſanè eo nomine meritus, quod Patriæ cauſa inhoſpitale

ille Tauricæ solum, formidabilesque infidelis Reguli manus, servitutem denique, quantumvis honestam, tàm liberaliter tamen educato onerosam, adire non dubitavit, sui quodammodo, suorumque oblitus. Scripsit tùm iterum ad Regem Chmelnicius epistolam, *in qua facinori suo, non tam ultròquam necessitate commisso veniam supplex orat: conditiones tum Tartaris tum exercitui Zaporoviano datas, ceu pretia armorum, & necessaria pacis firmamenta excusat. Czaplinscium verò, tanquam qui & fortunæ, & vitæ ipsius inhiaret, puniri petit.* Cæterum Chanus, uti jam ante, datis acceptisque vicissim à Rege amicitiæ pignoribus, turmas ab excursibus revocaverat, ita nunc exercitum universum reducere cœpit. Postridie tandem Rex quoque castra movit, sed nonnisi Glinianum usque tum progressus est. Unde nuntio demum de liberatis obsidione Zbarasianis accepto, Leopolim vergente Augusto perrexit ad solvenda DEO Opt. Max gratiarum solennia, cujus singularem scilicet gratiam in servato duplice exercitu, Regnique adeò assertâ salute, fuit expertus. Etenim quo in discrimine fuerint castra Regia, satis jam ex memoratis patet. Sed profectò Zbarasiani etiam, antequam liberarentur, ad extrema redacti, interim non spe propè ullâ salutis, sed solo potius desperationis ardore se sustentaverant hucusq;

*Sbarasiani exercitus aerumna*

Plurimi

Plurimi fame, morbisque famem comitantibus erant extincti. Multos quoque eruptiones in hostem à Visniovecio, Coniecpolscio, aliisque factæ absumserant. Nam cum imminente pulveris pyrii inopia explosiones tormentorum sclopetorumque minus frequentari possent, nihil aliud relictum erat obsessis, quam ut excursibus ejusmodi, hostem arcerent. Tardius verò illi intellexerant, majorem melioremque partem exercitus hostilis cum ipsis summis Ducibus adversus Regem ivisse. Cæterum ubi id percrebuit, nova pro Rege solicitudo incessit animis, simul & cupido, si qua daretur eum juvandi. Et tali animo Visnovecii duo cum Ostrorogio, eam quæ obsidioni continuandæ relicta erat, multitudinem fortissimâ eruptione adorti sunt, quodque in securos & obsopitos inciderant, ingente strage editâ, cæteros propè ad solvendæ obsidionis consilium pepulère. Instari debuerat turbatis & trepidis. Sed nescio quid factum, ut cœpti negotii continuatio in alterum diem rejiceretur. Interim redit Obsessoribus animus, & hinc à nescio quo proditur illud Polonorum consilium. Unde sequentis diei eruptio minus prospera fuit. Oppidanos tædium, mora & fames eò adduxerat, ut oppidum incendere, aut hosti prodere cogitarent. Cum id per vigilantiam Polonorum non possent saltem ut ex urbe dimitterentur

*Eruptiones*

anxiè

anxiè orarant: Et hoc maribus negatum, fœminis verò cum liberis egrediundi potestas facta est sed ita, ut haud quicquam rerum suarum secum efferent. Et nihil equidem ab egressuris tàm scitè occuli potuit, ut manus militum quaternis stationibus singulas excutientium effugeret. Atque ubi oppido excesserant, pertingere ad Cosacos, apud quos, ut sanguinem suum, meliore se loco fore speraverant, non potuêre: nam à procurrentibus Tartaris omne id agmen, cui & lixæ aliquot profugi se adjunxerant abreptum est. Paulò post hæc (21. August.) Cosaci Zbarovianæ compositionis conscii, acclamare cœperunt obsessis, pacem initam esse. Quidam iis fidem non habebant, alii creditâ pace plurimum angebantur. Etenim quia se insciis pacta esset, sui non habitam rationem metuebant, & Tubicen quidam militibus, proprio ausu concitis, indicaverat, pacem à Rege initam, sed ejus fructum non pertinere ad Zbarasianos, hos suopte Marte sibi consulere jussos, quam ob causam Tubicen ille in vincula raptus, non effugisset capitis supplicium nisi alter Ducum intercessisset. Paulò post etiam Chmelnicii ad obsessos literæ efferebantur, sed hâc tamen conditione, ut Chano Tartarico certam pecuniæ summam penderent obsessi, quam scilicet ei ante, cum sine spe auxilii essent, promisissent. Duces vehementer ad postulatum

tale exarsêre. *Oblatum ei à nonnullis suorum esse argentum, sed eâ lege, ut Cosacorum societati renunciaret, id quia quod non factum sit, nullâ ratione teneri se promissi.*

Postea obstinatum videntes hostem, ne pax à Rege turbaretur, Rempubl. quicquid ritè promissum Chano esset, exoluturam, responderunt. Intereà accepto qualicunque præsentis pecuniæ bolo, acquievit Barbarus; ut tamen in reliquæ summæ autoramentum obses detetur, popościt, obtulitque se in eam rem Carolus Potocius, memorabili amore in Rempubl. Posthæc Minor, vetus belli Tribunus, in castra venit, Epistolam libertatis nuntiam à Rege & Magno Cancellario ad Firlejum ferens, & hunc ipsum Palatini Sendomiriensis titulo, salutans. Istum enim Senatorium locum non ambienti sed meritissimo bellatori huic Rex interim tribuerat, vacuum scilicet post Dominicum Zaslaviæ Ducem, qui in locum defuncti Stanislai Lubomierscii Palatini Cracoviensis, ingentis in Reipubl. viri, successerat. Etiam cæterorum nonnullis aucti sunt ex publicis bonis proventus. Visniovecio Duci Præfectura Przemisliensis, Niessieviensis, Ostrorogio Lankoronscio præter Stobnicensem præfecturam, Palatini quoque Braclaviensis dignitas paulò post collata est. Sed judicio omnium nihil tàm amplum dari potuit, quia virtus fortissimorum virorum majora

*Liberationis nuntius Tribunus advenit ad obsessos Zbarasianos*

*Præmia & honores distribuuntur*

majora meruerit. Digna equidem venerati-one etiam posteritati videbitur constantia, quâ parvus hic exercitus incubantem omnem Taurici Principis Russiæque potentiam, duobus propè mensibus, inter extremos perpetuarum oppugnationum conatus, inter admota varii generis machinamenta & fabricas, in tantis loci angustiis, tantâ commeatus pecuniâ, tot accumulatorum cadaverum fœtore, adeò denique lubrica, & penè jam emoriente spe liberationis, non sustinuit tantùm, sed multum attenuavit. Hincque adeò non mirabitur Lector, si paulò diutiùs obsidioni isti Historia immorata est. Neque enim ea minorem scriptoris industriam mereri visa est, quam Bredæ aut Grollæ alicujus obsidia, quibus magni Autores singulos libros dicârunt. Inposterum tamen nauseam prolixitatis diligentius cavebimus. Cæterùm liberati ab obsidione Proceres Leopoli Regem salutavere, qui vicissim effuso gaudio, tàm illustria, & tanto pro Republ. periculo defuncta capita excepit. Ibidem aliis pariter pro benè navatâ operâ gratiæ actæ sunt. Inprimis etiam Haliciensis terræ Nobilitati, quod ea Ductore Joanne Theodorico Potocio, finium ejus terræ arbitro, (vulgò Succamerario) fortiter se & Provinciam suam, contra Scytharum incursus defendisse.

*Lithvvanicæ res in Cosacos gestæ*

Hæc quæ in Russia à Polonis gesta memoravi, aliquo quanquam exigui temporis intervallo illustris in Lithvvania reportata victoria antecessit. Insuderat se ab initio statim in eam provinciam Russicæ rebellionis pestis, tanto proniore illapsu, quod Incolæ hujus terræ earundem cum Russis consuetudinem, ejusdemque plerique in sacris ritus sunt. Aliquamdiu etiam impuni licentiâ persultaverant oras affines Podlassiæ, quæ Volhiniensis & Kiovienfis Palatinatus pars longissimo sylvarum tractu vicinæ Lithvvaniæ prætenditur. Parte aliâ denique urbibus Starodubo, Homeliâ, aliisque proditione petiti erant, plebe passim non favente tantum conatibus eorum, sed & operam manumque addente Cui strenui Viri Joannes Pacius, & Ladislaus Volovicius, Notarius campestris in eo Ducatu, Sapiehæ item Procancellarii præsidia Bichoviæ, Orsana denique Nobilitas Duce Horscio, Orlæ Gubernatore raptim collecto milite, feliciter tum sese opposuêre. Sed potissima totius provinciæ defendendæ cura Janusio Rupzivvillio incubuit, eo quod illo tempore Campestris Lithvvaniæ Dux esset, & belli regimen invalido altero supremo Duce Kisskâ, avunculo ipsius, solus teneret. Verùm hic lentius sibi quærebatur ex publico suppeditari, quæ ad delectus faciendos requi-

requirerentur. Unde gliſcentibus circa Pripetum & Perezynam tumultibus, maturâ & validâ ſatis manu non eſt obviatum. Et parvis viribus inſtructos Ductorum aliquos circumvenit fuditque hoſtis. Nam & ad Rzeczicam fugatus eſt Volovicius, & in trajectu Berezinæ priore ſucceſſu elatus hoſtis Mirſeium, qui Campiductoris, & agnatorum ejus Ducum privatas copias ducebat, aggredi auſus fuit, duasque ejus turmas profligavit. Poſteâque cum Ducem electio novi Regis & Matthiæ Lubierſcii Archiepiſcopi Gneſnenſis ſolicita invitatio Varſaviam vocaſſet, tantò magis abſentia ejus aliquot in locis abuſa eſt rebellio. Laudabili virtute ſe illi oppoſuit Volovicius, cui Albæ Ruſſiæ defenſionem abiens Dux commiſerat. Stuckum quoque Principis Boguslai Radrivvillii M. D. Lithvvaniæ Stabulo Præfecti, hæreditariam Civitatem, datus à Principe Gubernator Joannes Sosnovvski, Dapifer Vilnenſis, eique in auxilium miſſus Juskevvicius egregiâ virtute & prudentiâ defendêre. Acceſſerat locum iſtum hoſtis, ſed antequam vim intentaret, aſtu experiri, animosque adeò civium ad proditionem ſtimulare ſtatuerat. Et ſpe compoſitionis illum Gubernator eò usque tenuit, donec copiis ſubſidiariis, quas accelerare ſciebat, potius, agere cum eo vi poſſet, quem hactenus blanditiis duceret. Receptis clam in Urbem

*Coſacorum in Lithvvania ſucceſſus*

*Stuckum benè defenditur*

quatuor militum signis, hostem omnia amica jam præstolantem, subitò invadit, fugientemque ad trajectum quendam assecutus Smolscius magnâ strage affecit. Czerekoviæ pariter ab Horscio aliisque, qui ad eum concurrerant è vicino, mille quingentorum hominum cladem accepêre alia hostis agmina. Inimicam quoque vim Bichovia Sapichæ Pro-Cancellarii Lithvvaniæ Urbs acriter oppugnata, feliciter propulsavit. Pinscium frequentem & copiosam civitatem, proditione tùm civium abreptam, Gregorius Mirscius excubiis castrorum Lithvvanicorum Præfectus alacri virtute Alexandri Polubinscii Palatinidæ Pernaviensis, Samuelis Komorovii, Alexandri Corvini Gasievvii, Pauli Nievarovii, Lucæ Jelscii, Svarzovii, & plurium aliorum adjutus recuperavit. Fusis enim, qui in campum prodierant hostibus, ipse, instans propè tergo ipsorum, in urbem invectus est, cum alia parte irruens cum suis Parnaviensis Palatinides eorum, qui in oppido erant animos atque arma in se avertisset. Capta ita Urbs, & ne quid ex ædificiorum latebris noceri ingressis posset, ignis tectis injectus est. Mox in incolas pariter & Cosacos ferrum sæviit, nullo prope patente exitu, cum undique mœnia circumvenissent Radzivilliani, & qui furtim erepsissent, passim nihilominus equitum hastatorum spiculis configerentur: ita ut hinc

*Bichovia defenditur animosè & feliciter*

*Pinsciū recuperatur*

de

de decem millibus armatorum, quos invexerat Maximus Hladkius Tribunus Cosacorum, rarissimus quisque, nec ipse Ductor evaserit.

Redeuntem Varsaviâ Radzivillium Principem, morbus Bræstiæ paululum attinuit, attamen is contemto hyberno, quod ægris aut convalescentibus grave esse solet, frigore, versus Borysthenem, anno 1649. ineunte duxit. Ubi dedentibus se sponte, & ad solam venientis famam, oppidis Turoviâ, Grodeco, primum impetum in Mozyrum vertit. Istic rebelles præmissus à Principe Pavlovicius ad pœnitentiam anteactorum, deditionemque invitaverat. Sed primum placidè auditus, postea vim irruentis multitudinis ægrè evasit, periturus fortassè, nisi desultorii equites, ducente Vechmanno, & mox Cliodokovius, aliique prætoriani commilites opem laboranti tulissent. Accessit mox cum robore exercitus Princeps, & clementiâ usque etiam servatos cupiens Oppidanos, mittit per tubicinem literas, mitia omnia suadentes offerentesque. Rejecta non sine contumelia benignitas, tantò acrioribus stimulis Principem ad vim obstinatis inferendam suscitavit: admoventur tormenta. Ducibus & militi quà cuique tendendum esset, jussa dividuntur. Cœpta oppugnatione, sinistrum Oppugnantium cornu ita acriter repellebatur, ut à Prin-

*Mosiriü vi recuperatur*

cipe missis subsidiis erigendum fuerit. Feliciùs mox rem egit Ganskovius legionis Georgii Tisenhausii Tribuni Ductor, qui suos equites, sed jam equis descendere jussos, in vallum hostile fortiter nec minus prosperè invexit, eum cùm cæteri hastati,equis dimissis pedites,nec segniter insecuti essent,vallum Urbis eâ parte occupatum retinuêre. Princeps ut curam oppidanorum magis distraheret circumvehi mox expedita agmina jubet quæ undique Urbem invaderent. Factum id feliciter, sicque occupatum oppidum est. Qui in eo erant, stolidè adhuc feroces è domubus pugnabant in victores. Hi inde magis irritati ignem tectis injecerunt, quo major pars Oppidi conflagravit. Homines plerosque ensis hausit, ægrè ipso Duce in illa calentis ferri rapie obtinente, ut locis sacris, & imbelli ætati sexuique parceretur. Michnenko rebellium Ductor manu carnificis obtruncatus, caputque ejus in terrorem cæteris, ex arcis turri suspensum est Inde versus Bobroiscum Albæ Russiæ oppidum ad Berezinam situm, promota arma. Ibi jam ante Ladislaus Vollovicius Notarius campestris deprehensas aliquot hostis copias circumsederat: cui in auxilium mox missus Vicentius Corvinus Gasievius tùm Dapifer M.D.Lithvvaniæ, postea Thesaurarius & Campiductor, & Matthias Fronkievicius, hastatorum Princi-
pis

pis Boguslai Radzivillii Vice-Tribunus, arctius concluserunt obsessos. Tandem & ipse militiæ Dux Radzivvillius cum cætero exercitu supervenit. Oppidani territi missis deprecatoribus, clementiam Principis invocant. Et is vim Martiam, famâ lenitatis temperare cupiens, ignovit quidem supplicibus, sed eâ lege, ut habitatores singuli mœnibus suis egressi arma, & omnes eos, qui hic Duces rebellionis fuissent, & deditioni usque reclamarent (nam erant tales usque plurimi) dederent. Ac horum aliqui conscensâ ligneâ turri, mortem quam à victore metuebant, mutuis cædibus, & subjectis insuper turri flammis, occuparunt. Ductor tamen eorum Poddubiplus, cum flammam perferre non posset, præcipiti in subjectas aquas saltu vitam conservare quæsivit. Verùm & sic in formidatas victoris manus delatus, supplicium unà cum aliis subiit. Istis tam fortitudinis quam clementiæ Radzivillianæ speciminibus, mota alia illius oræ oppida, & præ cæteris Reczyca, propter Borysthenem sita Urbs ad Fidem & obsequium rediit. Successit inde hyems, quæ Regno tota paciscendis, & ægrè demum patratis Pereaslaviæ cum Chmelnicio induciis, Radzivillio Duci, morbo & quærendis pro exercitu stipendiis militi autem hibernis pauperioribus intra Borysthenem ac Pripetum fluvios, miseriusculè, nec sine fremitu, prope

&

& seditione, extracta est. Eâ elapsâ, uti Polonis, sic pariter Lithvvanis, & si nec multum, & ob annonæ & stipendiorum difficultates non satis ad belli munia alacrem militem habentibus, intentata ab hoste denuò arma sunt, missusque â Chmelnicio in Lithvvaniam Elias Holota, acer militiæ Tribunus, nunc decem millium Ductor, sed quibus ex plebe agrestium, magna agmina mox accessura credebantur. Is primum eam Lithvvani exercitus partem, quæ Zahali ad Pripetum, sub regimine Volovicii hyemabat, aggredi statuit, & quod inobservatus venerat, propè suffuratus fuerat victoriam, nisi Falencio Tribuno, qui Volovicii ægri, & absentis vices administrabat, Vincentii porròCorvini Gasievii, ac Smolscii equites, Joannis denique Donavii peditatus, properam opem tulissent. Unde conversâ fortunâ Holota ille in fugam & Uligines compulsus, moxque à persequentibus Radzivvillianis exercitu, & simul vitâ exutus est. Et postea Stephanus Podobaylo Czernihoviensis legionis Præfectus à Chmelnicio fuit subrogatus, cujus jussu is Boristhenis & Sosiæ confluentium ripas invadit, structisbue operibus munivit. Lojovium autem oppidum aut Borysthenem situm, ne Lithvvano Campiductori suffugium, aut adjumentum præberet, unà cum arce flammis subjecit. Adversus hunc Vincentius Gasievius Dapifer tum Lithvvaniæ peditatum Boristene

risthene secundo devehere jussus, primus omnium, nec sine acri certamine stationem occupavit, hosti plurimum mox offecturam, Principe ipso cum exercitu & impedimentis in ripâ adversâ Sosiæ, quà is Boristhenem subit, castra interim metante, & qui Sosiâ trajecto, hostem ostio fluminis incubantem, propiùs aggrederetur, circumspiciente. Sub hæc affertur nuntius, alium à Chmelnicio Ductorem & cum eo triginta plus minus millia hominum Lithvvaniam intrasse Ductor is erat Criczevius gente Lithvvanus, nec ignobili stirpe ortus, qui olim inter primarios Ordinarii Polonorum exercitus Ductores, & ob rei bellicæ peritiam summis Ducibus adamatus Chmelnicium inter legionis suæ Czeherinensis dictæ antesignanos habuerat eundemq; ob cogitatæ perduellionis crimen captum, ut superius memoravimus, fide pro ipso interpositâ, è vinculis liberaverat. Postea ipse ad Corsunum unà cum aliis Ducibus comilitibus à Cosacis captus animum in hoste reperit beneficii memorem. Cum enim in manibus Tartarorum Crieczevius esset, pretio à Chmelnicio numerato, libertati redditus est sed ita ut, (tum humanitate, tum fortunâ Chmelniciana) inductus aliis rurum vinculis se ultrò homini mox injungeret. Nam & sacra Russica, nomine Stanislai in Michaelis mutato, gratiæ & fidei majoris conciliandæ causâ amplexus & militiæ mox innexus vastique exercitus

*Criczevius novus Cosacorum Ductor*

tus Ductor esse jussus est. Cum quo Lithvvaniam ingressus, trajecto Pripeto, Reczycam, opportuni situs oppidum, primo aggressurus impetu videbatur. Sed is non oppidum, quod ex proditoribus satis validum præsidio cognoverat, verum castra Radzivillii propè Lojovum posita adoriri statuerat, quæ dimissis tùm à Principe in diversa aliquot legionibus, infirmiora credebat, ne quicquam id ejus consilium improbantibus peritioribus Tribunis, qui Tartaricum auxilium, quod in procinctu esse putarent, expectandum contendebant, ut postea ex captivis intellectum est. Et initio quidem tàm belle rem rustici gnaviter, & vario modo adjuvantibus administravit, ut 30. Julii non longè à castris Lithvvanicis cum equitatu constiterit, evitatis mirâ felicitate iis, quos hinc speculatum Radzivillius, subductu Samuelis Comorovii, hastorum equitum Præfecti, præmiserat. Secutus hunc erat Adamus Palovicius, Reczycæ, cui hostis imminere dicebatur, opem laturus, si istic moræ pretium non invenisset, ad Comoroviam Brachiniam ire jussus. Ducebat Comorovius mille ducentos, Paulovicius octingentos milites, sed in neutrum istorum Criczevius incidit. Eo magis improvisâ celeritate appropinquavit castris: in quibus quanquam de imminente hoste non constiterat, omnia tamen ex primâ advenientis Criczevii

rii fama, ad pugnam ſtabant parata. Primus ſuccedenti hoſtilis equitatus agmini objectus eſt. Prætorianus Principis pedita-tus, ex Ungaris ferè conſtans, qui Poleckio & Juskievicio Ductoribus in vadoſo trajectu multos hoſtium ante curſores pilarum jactibus proſtravit, alios verò ſubeuntes eò uſque mo-ratus eſt, donec Lucas Chodorkovius Cen-turio ſubveniret, qui Prætoriam velitum tur-mam ita feliciter in hoſtem invexit, ut hic procul à trajectu, cui imminebat, & à ſpe ſua rejiceretur. Sed & ipſe fortiter ciens pu-gnam, gravi accepto vulnere ſummum vitæ periculum adiit. Interim equitatus reliquus ad pugnam ſe rectius compoſuerat, ex qua Mirſcius, & Paulus Nievvarovius cum haſta-torum turmis eâ vi procurrêre in hoſtilem a-ciem, ut ſiniſtra ejus ala profligata ſilvam mox reſpiceret. In quam recepta, pugnare tamen non deſtitit, ſed ab equeſtri prælio ad ſclopos converſa multos equis inſequentes ſtravit, plu-res verò etiam ex Ductoribus ſauciavit. Dum ad hunc modum iſti cum hoſte luctantur, opportunè Commorovius ille, quem an-te exploratum, & carpendis antecurſoribus miſerat Radzivilius, advolat, ipſo armorum ſtrepitu admonitus de hoſte, in quo vincendo ſuas quoque partes habere vehementer opta-bat. A tergis igitur hoſtem invadit, & tum illatâ ſubitâ, tum qui vim ſuperabat, terro-re

*Commo-rovius opportu-nè ſuc-currit*

repercellit. Unde qui dextrum cornu ductu Criczevii tuebatur Cosacus, suspicatus insidias, veritusque ne indidem plures ingruerent, maturè se in proximas Sylvas recepit nec solitis earum suffugiis contentus, vallo etiam raptim actose circumduxit. Lævum cornu cæterorum fugâ desolatum & Radzivillianorum tantò graviore impetu impulsum, direptumque non jam pugnæ, sed cædis materia fuit victoribus. Ita campo quidem tum submotus hostis, nisi quà cæsi vel saucii eum repleverant. Paulò post tamen eadem quæ refugerat multitudo, sylvarum & paludum opportunis, sibi latebris usa plurimum damni scloporum ictibus intulit Kurpscii, Melesconis, Grotii, ipsique prætorianæ cohortibus: propè etiam Vincentium Gasievium M. D. Lithvaniæ Dapiferum, præclarum genere & virtute virum abstulerat, nam & equus sub ipso procubuit saucius, & in pectus viri globus inciderat, solo loricæ tegumento repulsus. Sed tum equestribus turmis extra jactum scloporum nonnihil subductis, Noldii Curlandi Equitis, tum turmalis excubiarum præfecti peditatus, Subsessores istos, æquo armorum genere aggredi, & in aperta camporum propellere jussus est, quod cum egregiè ille fecisset, equitum mox denuò facto concursu, quicquid istic hostium erat, circumventum deletumque est. Inter hæc Podabay-
lo

lo alius Cosacorum Ductor duodecim millium peditatum navigiis impositum, ad citerioris Boristhenis ripam trajiciebat, Criczevio opitulaturus. Etsi maturo adventu integras hujus reperisset vires, longè difficilius profecto negotium Radzivillio Duci reddidisset. Sed quia divisim isti in campum venere, factum est DEI favore, ut dum singuli pugnarent, universi vincerentur. Nam & huncPodobaylonem, cum is jam majori parti suorum, in citeriore ripâ expositæ munitionem opere subito circumjecisset, aggressus erat, præmissus à Principe Ganskovius Vice-Tribunus, cui Pavvsa, Mongomerius Przypkovius, & plures alii Ordinum Ductores cum cohortibus suis adjuncti iverant. Sed & ipse denique cum turmis equestribus accurrit Dux, atque ita invasit nutantem, ut hinc quidem Boldius, Vibergius, aliique Ductorum sauciarentur. Hostis verò oppugnantium virtute superatus, in flumen proturbaretur, ita ut nantium Capita omnem penè aquæ conspectum eriperent. Cumque stantes in ripâ sclopetarii, quasi per lusum destinatis ictibus nantes figerent, ex quatuor millibus & quingentis, vix trecenti evasêre. Nondum finis erat laborum, sed restabat adhuc, quod superari oportuit ut plena esset victoria. Etenim carrago hostilis cum peditatu & impedimentis supererat, ibatque

*Podobaylo Cosacorum Tribunus cum copiis advenit*

*Profligatur*

*Carrago hostilis dissipatur*

ad Criczevium. His obviam mittitur Mirſcius excubiarum Præfectus, & juxta Reinholdus à Tieſenhauſen, qui curruum illam compagem auxiliantibus Noldii, Vechmanni, & Koppii Dragonariis facilè disjecêre, & machinis quatuor curribusque plurimis, cum ſat ubere annonæ copia potiti ſunt. Et fruſtra in ſubſidium è ſylvis eruperat Crziczevius, namque lætus extra latebras, & in æquo hunc videre Radzivillius, rectâ mox acie in illum ivit. Primò omnium Ungaricus Principis peditatus, & è dextro latere deſultorii equites. Donavio Ductore porrumpunt. Medio intervallo turmæ haſtatorum, & inter eas Prætoria, emiſſæ. Quæ cum rem fortiter agerent, & mox ſequerentur alii, brevi tempore motus loco hoſtis & in ſylvam rejectus eſt. In cujus ille intimas latebras profugiens, concædibus cadaveribus, aliisque ejusmodi quæ ſors dederat objectamentis, feſtinantiſſimo labore, ſe circumſepit. Iſtic non à peditatu tantum, quem unà cùm machinis aliquot minoribus commodè tum Joannes ab Ottenhauſen Vice-Tribunus Ducis, ex alterâ parte amnis huc transportaverat, ſed ab equitibus etiam pedeſtres labores, ſingulari quodam ardore capeſſentibus, oppugnatus, multos Radzivillianorum ſauciavit, ſtravitque. Procubuit iſtic Chriſtophorus Cotovius vir præclarus militiæ, & qui hic quoque nonnullis ex auli-

câ

cà Principis alâ voluntatis in oppugnando hoste fortiter præiverat. Inter vulneratos non pauci nobiles viri, aliqui etiam Ductores ordinum, ut Ropius, Vechmannus, Przypkovius fuêre. Sed nocte ingruente cum relictis ad excubias agendas copiis, reliquum exercitum, ex illis nemorum vepriumque angustiis Dux cautissimus reduxisset, hostis suamet sponte, & inprimis à speculatoribus, oppugnationem denuò parari nunciantibus, territus, summâ trepidatione in fugam abiit, omnibus quæ morari posse viderentur, relictis vel abjectis. Ductor ipse Krziczevius vulneribus invalidus, ac aliquamdiu suorum manibus gestatus, cum dein periculum vel metus augesceret, desertus, in manus Radzivillianorum devenit, & ab his in castra cursu devectus, ibi quatriduò post, infelicem animam exhalavit. Præclara hæc Lithvanici exercitus victoria fuit, qua triginta penè millium hominum copiæ profligatæ sunt. Sed ad cumulum victoriæ etiam hoc accessit, ut ex Ductoribus Ordinum hostilium plus quam centum quinquaginta captivi ducerentur, & ipse Dux exercitus Krziczevius in castris victoris vivere desineret. Nihilominus surrecturæ denuò Cosaicæ lernæ suspiciones ac minæ erant. Nam ad Ciecerscum ac Krziczovum ingens agrestium multitudo coiverat, nihil aliud jã, quã prosperos de Krziczevii suc-

*Krziczenii clades & mors*



cessibus

cessibus nuntios opperiens: & Pripeti amnis ripæ alius novus saxaginta penè millium Cosacorum exercitus incubabat, cui Elias Bohazenko Veteranus Tribunus præerat. Ea de re cum Princeps à Fronkievvicio Novogrodiensi Vexillifero, quem versus Pripetum præmiserat, admonitus esset, etsi copias, nec pares numero & præliis itineribusque, fessos haberet, animum tamen obfirmatum eò mox intendit, ut occupatis maturè locis opportunis, trajectu Pripeti hostem prohiberet. Ad Ciecierscum autem Gasievium Dapiferum misit, qui disjectis agrestium globis, omnem illum tractum à coortæ seditionis lue repurgavit. Circa Pripetum non parum superfuerat, nisi repentinâ pace interpellatus fuisset belli cursus. Zboravianâ enim compositione, & hostiles Cosacorum copiæ revocatæ, & Radzivillio Victori, militique universo ad respirandum quies data est.

Ad hunc modum victis alibi, alibi fortissimè propulsatis hostibus, universum hoc Regnum, non modo ex summo periculo, evidentissimo DEI auxiliantis favore, ac curâ ereptum, sed & pace præter opinionem omnium exhilaratum est. Certè plurimi nuper Reipubl. huic hostium multitudine expensâ, omnia adversa ominati erant, alii in spem quidem bonam proniores,

res haud quaquam tamen adeò citum belli finem expectaverant.

His proin omnibus rem ſomnio ſimilem narrare viſi ſunt, qui primi pacis initæ nuntium attulêre: aliqui etiam ex remotioribus falſum eſſe nuntium, depoſitis magnis pignoribus, affirmare auſi ſunt. Ægrê demum famæ conſtanti & in ſequentibus mox pacis effectis, credidêre fieri poſſe, quod factum erat.



## HISTORIÆ POLONÆ

# LIBER IX.

*De Pace Zboroviana judicia varia*

ETsi in pace istâ non deerat, quod desiderari posse videretur, eâ nihilominus benè mutatum credebatur bellum. Plerique enim ingens Reipubl. discrimen alio quidem & propè majori periculo propulsatum expendebant, mala tamen quæ incubuerant tanta fuisse rebantur, ut remedium eorum non displiceret, quantocunque etiam difficultatum pretio comparatum. Alios repentini boni quasi fulgor ita perstrinxerat, ut id quod ei deesset aut non adverterent, aut non morarentur, obruente scilicet illud quicquid acerbi inerat, inexpectatæ quietis dulcedine. Interjecto verò aliquo tempore acrioribus sententiis tàm de bello, quam isto ejus fine judicatum est, plurimis usque obliqua multa jacientibus in præcipuos Regni Consiliarios. Qui quia jam dudum ante variarum suspicionum ansam, de libertate suâ solicitæ Nobili-

Nobilitati præbuerant, fidem innocentiæ non repericbant, etiam cùm innocentes essent. Et longius quam oportuit Judicia processêre, solito suspicionis ingenio, ut facilè serpat luxurietque, ubi qualemcunque radicem nacta est. In Consiliariis istis, parum scilicet vulgo gratis, laborabat subinde etiam Majestas Regia, præfacili jam dudum aure linguaque multorum ad accipienda spargendaque de Principe adversa. Modestiores tamen ejus inprimis auspiciis & virtuti salutem Regni ex tanto periculo erepti deberi fatebantur, alii qùod verè ita sentirent, alii addictiore Majestati reverentiâ. Revertentem quidem è Russiâ quæsitissimis honoribus plausibusque, & Urbes, & occurrentes ubique proceres excepêre. Ipse verò necessitatibus porrò Reipubl. consulturus Comitia habere instituit, quæ & in Novembrem hujus CIↃ IↃC XLIX anni indicta sunt. *Comitia anni M DC XLIX* Ubi cum Ordines tempore constituto confluxissent, more solito de Præside Ordinis Equestris primò auditæ sententiæ sunt. Sed hæ mox omnes in Boguslaum Comitem de Lesno, Generalem Majoris Poloniæ Præfectum, consensêre. Qui isti Tribunitiæ potestatis muneri supremùm nunc præfuit. Nam deinde post Joannem Nicolaum Danielowicium fato functum, summo Regni ærario præfectus, sicque adeò Ordini Sena-

torio innexus, equeſtria amplius munia obire non potuit. Cæterùm cum in Comitiis initium negotiorum à ſalutatione Regis capi ſoleat, hic quoque in conſeſſu Ordinum Præſes quem nominavimus Nobilitatis Regem, ſplendido admodum ſermone excepit, quem prout ſonuit, ex vernaculo verſum, certis de cauſis, pace opinor lectoris, ſubjiciam.

*Boguslaus Leſcinius præfacundè Regi gratulatur*

*Univerſi Nos, quos in redivivum hoc Reipubl. theatrum ex R. Majeſt. Tæ. ditionibus, illis climate quidem diſſitis, gente diverſis, lingua diſſonis, cæterum fide & obſequio erga Reges ſuos ſummè concordibus, confluxiſſe vides, fideles omnes R. M. Tuæ Subditi, uno ore & quæ his iniquis Chriſtianorum temporibus apud cæteros Monarchas rara admodum felicitas eſt, pleniſſimâ animorum conſenſione ſalutamus. TE SERENISSIME REX, Pater & Triumphator clementiſſime. Ita enim TE appellare ſubigor, nullâ ſpecie adulationis ſervilis, remoti longè à liberâ gente vitii, ſed linguæ quantumvis opulentæ inopia, per quam uno vocabulo & Majeſtatem Tuam, & affectum noſtrum, & iſtud recens à Te ad ſtuporem orbis patratum opus exprimere non licet. Regem duntaxat ſi appellem, ſatisfiet equidem, terrenum vicaris Numinis poteſtate thronum poſſidenti Majeſtati, & quà ſubditi ſatis ita Unctum DEI vene-*

*eneramur. Te quà beneficio Tuo, nobis & Patriæ renati Cives sumus, Patrem Patriæ oportet agnoscere. Patrem verò si nominem tantum, filialis equidem nostræ propensionis, & cordium intimos affectus effudisse videbimur. Sed Regiæ Majestatis dignitas, & triumphalia merita istis paterni nominis claudi nequeunt angustiis. Triumphatoris verò vulgare nimis nomen est. Novum genus Triumphi novum vocabulum requirit. Non enim Tu ...to cæteris more per cædes & sanguinem, ... amissa civium capita, parasti victori..., sed magno & in omnem posteritatem memorabili felicitatis prodigio, quod ... ipsum nomen Tuum resonat, jussisti pacem.* Casimiri enim vocabulum ex Mir quod pacem significat & Kazac, quod est jubere, seu edi... re in Sclavoniam linguâ, videtur compositum. *Resonent jam Templa, quorum sacras aras in...ns TUUM pacis publicæ EDICTUM, ... paganâ profanatione eripuit hymnis sacerdo...m lætum illud TE DEUM LAUDAMUS, sacro ore concinnentium: strepat in... domos nostras, quarum focos tutelares ab ...eritu, Tuæ Majestatis manus conserva..., blandiens, sed citra assentationem, Te ...rem confitentium vox & plausus. Sa...m & plane non hominem illum esse oportet, ... vocem ejusmodi, si minus candor ingeni..., aut infucata virtus, sensus saltem publi-*

 *ci*

*ci boni, & incolumitas cuiquam sua non expresserit. Quassare cœperat, magnam hanc Reipubl. nostræ molem iratum, & vitiis nostris imminens fatum. Septingentorum annorum opus, tot magnorum Regum labor, sub dura fortunæ manu fatiscebat. Quicquid industria Lechorum fundaverat, quicquid sancta Miecislai fides sacraverat DEO, bellicosa Boleslaorum virtus extenderat, sapientia Casimirorum perpolierat, proximum erat extremo discrimini. Cum in apice consummatæ quasi prosperitatis staremus, cum nec Religionis sanctitate ullo Regno cederemus, cum non fluviis, non montibus, sed gladiis fines describeremus Imperii nostri, cum exutâ antiquâ sclavorum simplicitate quicquid apud exteros melioris culturæ erat, recepissemus, cum delicatum Patriæ bonum, Libertas, eò usque provecta esset, ut nihil jam nobis, non modo ad vivendi, pro arbitrio potestatem, sed pereundi etiam licentiam, adesset, tum ea hæc ad summum culmen perducta felicitas tempore eodem universa ruere, ac disparere quodammodo cœperant, Lege procul dubio fati, cujus ineluctabili Decreto*

*In se magna ruunt: Lætis hunc Numina rebus*

*posuêre modum. Ac quemadmodum magna rerum*

*rerum mortalium conversiones insignia plerumque cælestium Orbium prognostica solent procedere, ita nos quoque malorum hæc tempestas non ante invasit, quam ubi luctuosum intercesserat interlunium, benefico illo sidere Vladislao IV. Magno sacræ Majestatis Tuæ Fratre, magno Regni hujus moderatore, nobis prærepto. Benignum Providentiæ Divinæ in Reges nostros Decretum est, regnantibus uti illis infelices esse nequeamus. Sed quemadmodum regnare desinente Vladislao cæpit nostra calamitas, ita initium Regiminis Tui calamitatum finis fuit. Harum verò quis autor? quæ origo? an Orientis aliquis Monarcha? an Septentrionis Dominator? Fuit sanè, cum ille aciem universam & magnam Europæ partem castris Polonorum impingeret, facta tandem ingente exercitus ac simul famæ Ottomannicæ jacturâ, pacem oraret. Fuit quoque cum alter gentium externarum robur, suosque simul ab extremis finibus populos in perniciem nostram accerseret, sed denique etiam exarmatus, enses suos ad pedes victoris projiceret. Parum abfuit, quin sub jugum missus sub hastâ veniret. Sed nunc nemo nobis par Majestate solicitavit fortunam nostram. Nullum Regno adversum vel exercitum, vel Imperatorem noveramus. Emersit repente ex ultimis Borysthenis fluentis hydra, cui olim auspiciis defuncti Regis, & incomparabilis*

 *fortissi-*

*fortissimique Ducis Koniecpolii solertia dignum tali ore frenum injecerat. At ubi Domitorem monstrorum amovit fatum protinus illa diu pressum virus exseruit, & projectâ omni orbe Reipubl. reverentiâ, in eas nos turbas induxit, è quibus sola Majestatis Tuæ virtus nos eximere potuit. Nec stetit hæc pestis propè cubile suum, à lividis aquis ad Vistulam, ab Inguleti solitudinibus ad Sani usque amœna exporrexit labem, sparsitque faces seditiosas per servitia nostra, quæ vulgi, aut humiliter servientis, aut superbè dominantis more, sacrilegas manus in sacra DEI altaria, in penates, in honorem & sanguinem nostrum injecerunt. Immunitatem in licentiâ sibi fingebant, quasi illico scilicet, qui sine Domino est, in libertate sit. Et ut jus fasque omne à se proscriberent, non dubitarunt nefarii in animas Christianas, in patrios lares, in cervices suas, in pignora charissima (si iis tamen talia sunt quibus ita consulunt) innumeras scytharum cohortes accersere. Quicquid Crimæ inaccessa, quicquid majus minusque Nahaium, quicquid Budzacensium deserta, quicquid Transfretani Cirkasii virium habent, quicquid Silistria Bisurmannorum alit, id universum in rusticâ furentis plebis colluvie in nos conjuraverat. Non industria annalium instructæ hic stabant acies non in historia multum audentis, & ex hostium multi-*

*multitudine gloriam venantis Graciæ exercitûs, quibus illa flumina exhaurit, & montes transfert, & Neptuno vincula injicit. Fidem istis habeat, qui nostros hos non vidit. Nos his oculis usurpavimus copias, quibus, fidenter dicam, nullus mundi Monarcharum numero vel robore pares comparaverit. Non illi mihi validi sunt exercitus, qui vel equestri gloriâ, vel vicissim peditatu tantum præstant. Isti utroque eminent, non minus ignivomis armis, quam gladio formidabiles. Et ita duræ militiæ insuevêre, ut non opus sit dicere illis, Curate corpora milites. Laboris inediæ, perinde atque belli patientissimi, id quod difficillimum omnium est, assecuti videntur, ut ne voto quidem opus habeant. Sine ambagibus dicere liceat, Milites sunt, & tales quidem qualibus Monarchiarum validissimas tollere, transferre, & deprimere cœlum solet. Non ita universæ Persiæ potentiam Gracia extimuit, quam famulorum suorum paratam in omnia audaciam, neque ante desiit metuere illos, quam ubi & viribus & vita exutos vidisset. Jam illa ipsa*

*Terrarum Dea, gentiumque Roma,*
*Cui par est nihil, & nihil secundum*

*Post debellatas nationes, post populos translatos,*

*tos post tot Reges in Triumphum ductos, & in instrumenta servitutis versos, unum latronem VIRIATUM, & alterum pugilem SPARTACUM, magis exhorruit, quam cum Annibal ad portas esset. Caroli V. Imperatoris, Atavi Tuæ Majestatis avo, non tantum sanguinis bella, quibus ille Monarchas Christianos, paganosque superavit, cepitve, exhausere, quàm Rusticorum tumultuantium furores. Tantum bella possunt servilia. Jam de Tartarorum potentia Paganus Bajazethes, olim Orientis Universi hæres ex caveâ loquatur, testetur de iisdem universa septentrionalis Russia, quam ex jugo Scytharum istorum, seculo demum superiore, bellicosus Joannes Basilides eripuit. Divisus ita hostis potentissimis Regnis gravis fuit; at in nos junctâ mole, & inito arctissimo fœdere universus incubuit, haud eo tamen cum fructu, qualem blanda spes intra animum præceperat. In turbatis illi omnes apud nos aquis piscati sunt. Truncæ quodammodo & quasi capite diminutæ Reipubl. cum id facilè & impunè esset, insultarunt. Ceperunt Duces nostros, sed exercitu destitutos, dissiparunt exercitus, sed Ducibus carentes. Simul ut Principem & Electorem elegimus illicò militis virtus revixit hostis fumi instar disparuit, ut clare appareat Orbi, non Polonos, sed orbitatem Polonorum ab illo ante*

*oppressam*

*oppressam. Et talem T. Majest. de nostris manibus Patriam accepit, quæ cliens misera. tali Patrono, orba, tali tutore, oppressa, tali vindice eguit. Jactabat nonnemo Cæsarum, Romam se lateritiam accepisse, relicturum marmoream: haud reliquit ille tamen, & si reliquisset; quæ illa gloria fuit cum tuis, Rex, operibus comparata? Tu enim dicere potes: Quassatam Rempubl. inveni, reddidi integram: Proclivius longe est lapides & Saxa cædere, ubi nascuntur, & arduum minus marmoribus Vrbem condecorare, quam toti alicui Reipubl. incolumitatem, salutem, vitam restituere.* Sed *malè calculum ponerem, si beneficia Majestatis Tuæ ab eo tempore numerare occiperem, quo Polonia voce illa circumsonuit: VIVAT REX CASIMIRUS. Nempe ex eo momento vicem quasi reddis nobis, & acceptum à liberâ gente Regimen, mutuis remuneraris beneficiis.* Sed *nondum illud tot Regibus gestatum DIADEMA caput Tuum circumdederat, nondum Magni Boleslai GLADIO accinctus eras, nondum sceptrifera POMVM gestabat manus, verum spe, votis, veneratione demum Principem agnoscebamus, cum reipsâ Patrem jam experiremur.*

„ Propensissimus Majestatis Tuæ ani-
„ mus effecit, ut Pater nobis esses, antequam
„ fieres. Tetigit Te miseratio, ubi patrios a-

vitosq;

„ vitosque Subditos, cum orbitate ſuâ, &
„ atrociſſimæ fortunæ iniquitate confliƈtan-
„ tes adſpiceres. Admoviſti autoritatis Tuæ
„ frænum indomitæ, & jam ipſum cor Regni
„ iſtius petenti hoſtis licentiæ. Et fuit tam ef-
„ ficax Tuæ Majeſtatis etiam nutus, ut ad ejus
„ adſpeƈtum attoniti exercitus hoſtiles, partim
„ trans Boryſthenem, partim in camporum
„ deſertorum ſolitudines ultrò remearent.
„ Ea Majeſtatis Tuæ in Regnum hoc merita
„ fuêre, cum nondum tuum eſſet, quanto
„ major poſtea cura fuit, ubi crediti à DEO
„ muneris ratio eam exacuit. Penſi habuiſti,
„ cum omnia in bellis civilibus miſera tum
„ nihil miſerius eſſe ipsâ viƈtoriâ. Et ideò
„ durioribus uti remediis noluiſti. Sed quem-
„ admodum magnus ille reƈtricium Pote-
„ ſtatum Archetypus DEUS ſerenat
„ priùs quam tonat, ita Tu gratiæ pri-
„ mò oſtium per viros vulgi mulcendi artibus
„ & autoritate pollentes, etſi pejora meritis,
„ aperire voluiſti. At ubi malos faƈtorum
„ ſuorum nondum pœniteret, & per horum
„ pertinaciam nec boni, ſi qui iſtic eſſent, au-
„ direntur, quæ mox iterum Majeſtatis Tuæ
„ enituit vigilantia? quæ capitis Tui circa
„ membra ex cladibus ſuis adhuc languentia ſo-
„ licitudo! quam pulchrè nos, ſi qua circa
„ rerum turbatarum remedia hæreremus,
„ Tu illo prudentium conſiliorum quaſi in-
fluxu

„ fluxu erexisti! Tu sine negotio nobilem il-
„ lum dubitantium, an Majestatem suam Reges
„ periculis objicere debeant, dissolvisti nodum:
„ cum præclaro erga cives Tuos studio illuc
„ caput Tuum ferre decrevisti, unde civium
„ expedire jugula cupiebas. Fas erat ituro in
„ hostem ducere Tecum cives universos, &
„ prompti hi erant pro dignitate Regiâ, pro
„ salute Patriæ, Tuæ fortitudinis exemplum
„ sequi, & vel cadaveribus suis sistere impe-
„ tus hostiles. Sed Tu nec sanguinem civi-
„ um prodigere, nec incertæ Martis aleæ com-
„ mittere Rempubl. sustinuisti. Neque inti-
„ mas Regni vires excire consultum putasti,
„ ne servi nos nostri numerare inciperent.
„ Ivisti versus hostem, idem & Regis,
„ & Ducis & militis personam gerens, dubi-
„ umque mox fecisti, quam rectius sustinue-
„ ris, adeò ut Majestas Regia, & Magni Du-
„ cis Imperatoria virtus, & imperterriti mi-
„ litis alacritas in Te certabant. Perrexisti
„ non Tuas non hostiles copias numerans,
„ nec rogasti quot sint, sed ubi sint. Et quo-
„ niam novo impetu coorta perduellium rabi-
„ es exiguam nostrorum manum circumse-
„ derat, rectissimis itineribus eò properasti,
„ quo paternus Tuus erga obsessos & in extre-
„ mis jam propemodum laborantes animus
„ ducebat. Quis enumeret noctes insomnes,
„ quis dies continuo labore traductos? Quis
intempe-

„ intempeſtas aëris vices, quis incommoda
„ alia Tibi ſine faſtidio exantlata ediſſerat?
„ Edulcabat omnes ejus modi difficultates, il-
„ la antiquorum omnia exempla ſupergrediens
„ ens obſeſſi exercitus Conſtantia. Fabulo-
„ ſam equidem Trojanorum, aut recentem
„ Oſtendæ vel Briſaci gloriam ſeu æquans ſeu
„ exuperans, & tanta utique, ut quæ narrare
„ eam volent poſterorum linguæ, fidem ægrè
„ inventuræ ſint. Cum Tuis Liberator, ho-
„ ſti ultor appropinquaſſes, non expectavit
„ iſte iram Majeſtatis Tuæ in loco delicti, ve-
„ nit Tartarus & venit perduellis Coſacus, ſed
„ jam ſupplices magis quàm hoſtes, alter pa-
„ cem, alter gratiam clementiamque anhela-
„ bat. Quid ageres, Generoſi pectoris Prin-
„ ceps? occurrebat quantâ pervicaciâ in ho-
„ ſtem, tantâ clementiâ in ſupplices utendum
„ eſſe. Utrumque ergo utrique dediſti.
„ Alterum perennem Tibi ſtipendiarium, al-
„ terum perpetuum ſervum, utrumque adver-
„ ſus quemcunque hoſtem præſidiarium Rei-
„ publ. feciſti. Jactans ſe aliquando Magnus
„ Imperator dixit Veni. Vidi. Vici, ſed ea vox
„ multo ſanguine, & multis capitibus Roma-
„ nis conſtiterat, adeò ut eidem Imperatori
„ ingeminanda aliquando vox eſſet: Parce
„ miles ferro. Tua Majeſtas venit, vidit, juſſit,
„ JUSISTI PACEM MAGNE CASIMIRE,
„ Qualem juſſiſti, talis ſcripta eſt, & juſſiſti

bonam

„bonam ut longa eſſet. Ita enim olim
„ victi â triumphatoribus pacem ora-
„bant, ſi bonam inquiebant pacem dederi-
„tis, habebitis fidam & perpetuam, ſi malam
„haud diuturnam. Quam Tu dediſti ita bona
„Hoſti eſt, ut Reipubl. tamen ſit melior. Com-
„parent alii Orbis Monarchæ ſuas cum ſubdi-
„tis ſuis, ſi quos pariter fortuna in Dominos
„armavit, ut ſane armavit, transactiones. Ne-
„ceſſe fuit nonnullis ſubditos & Vaſal'os pro
„liberis agnoſcere, ne Patronatus quidem in
„illos jure ſibi reſervato. Aliquos & Eccle-
„ſiæ patrimonio pacem redimere, alios in pre-
„tium tranquillitatis ditiones certas provin-
„ciasque dare oportuit. Tu non manumiſiſti
„mancipium tuum, ſed miſericordiæ & cle-
„mentiæ quaſi compede ſervitiis tuis arctius
„innexuiſti. Dignum erat orbe toto ſpecta-
„culum cum indignus memorari perduellium
„Dux ad pedes Sæ. Majeſt. Tæ. ſupplex pro-
„cubuit. Neſcio quæ magnetica in te boni-
„tas, ferreum ſcelerati hominis pectus ita ſibi
„affixerat, ut mancipium illud ſervilem cervi-
„cem vix poſſet avellere. Nihil ſic patrimo-
„nio Petri detractum eſt, imò acceſſit, atque
„acceſſurum uſque eſt non parum. Nam ut
„ominari fas eſt, ita iſta agi Numen permiſit,
„ut ſic aliquando Orientem cum Occidente, ſi
„non imperio ſaltem religione conjungat.

Ll Terræ

„Terræ equidem nec vestigium nobis periit,
„imò brevi illo, quo pax coaluit paucarum ho-
„rarum intervallo eæ ditiones nobis redditæ
„sunt, quæ tali spatio nonnisi solis celeritate
„circuiri possent. Tantarum autem rerum
„patrator quem Triumphum egisti, Rex Se-
„renissime? Non videmus hic currui junctas
„Orbis peregrini bestias, non togam trium-
„phalem, multò minus serta & coronas.
„Omnia ista in Principe Russiæ Tuæ Urbe
„projecisti ad pedes Divinæ Majestatis, quam
„unam Tu Dominam agnoscis, jure nobis ita
„affandus, ut olim Consul Romanus Cæsa-
„rem Reipubl. nomine excepit: Non inanes,
„inquit, currus, nec vana gloriæ simulacra in-
„fers in Capitolium nostrum, sed pacem &
„tranquillitatem, & confessa hostium obsequia,
„hoc est trophæum, hoc spolium Regiæ Ma-
„jestatis Tuæ

„Pax optima rerum Pax una triumphis
„Innumeris potior

„Nec temperare tamen nobis possu-
„mus, quin te Triumphatorem nostrum quan-
„quam inanium aspernantem, munere aliquo,
„subditi excipiamus. Quale autem dabimus?
„An coronam & servatos cives? Dignum
„esset Principis fastigio, sed Tu tamen Tantus
„Rex dignus es majore, Damus igitur re-
„spondentem Majestati Tuæ coronam servati
„Orbis Christiani. Neque adulatione
aliquam

„ aliquam ſapere videatur, quod damus. Nam „ ſi Sanctiſs. Patris Urbani VII. non erravit „ calamus, cum Chotimenſem victoriam lau„datiſſimo Patri Tuo gratulans, Regnum no„ſtrum Antemurale dixit Chriſtianitatis, non „ pecco utique ego, ſi tanta 'egens veſtigia, in„columitatem univerſæ Chriſtianitatis, Te „ ſervaſſe fateor, cum Antemurale iſtud ab „ Acinace pagano ſervaſti. Sed ne longior „ bellis Tuis oratio noſtra ſit, deſinam loqui, „ ubi tamen, quod in omnibus Triumphis da„ri ſolet, populo Polono impetravero Miſſile „ munus. Non quidem auro & argento gra„via numiſmata, qualia grandium victorum „ jacere conſuevit manus, ſed ipſam ſcilicet „ Sæ. Regiæ Majeſtatis Tuæ manum, pacis „ & largitricem & ſimul pignus. Hanc ſi oſcu„landam nobis præbueris, echo inde ſonare „ audies, non multum diſſimilem illi, quam „ magno Soſpitatori poſt Actiacam victoriam, „ & pacem Orbi redditam Roma olim red„didit:

„ Longas ô utinam, Rex bone, ferias
„ Præſtes Sarmatiæ

„ Hoc ſolum nobis ad felicitatis ſum„mam, hoc unicè â Deo, quod & ſupplices „ ſubinde facimus, exorandum ſupereſt.

Ubi laudes Regias ita facundè prædicaverat Leſcinius, inde ſenatores ad propoſita â Rege per Cancellarium capita deliberationum,

quæ cuique ê re viderentur disserpere: Ordo quoque Equestris seorsim de negotiis publicis ex more disceptavit solita libertate, & quæ ab hâc abesse vix potest, mixtura contentionum. Tandem tamen sesquimense inter hos æstus transacto, in certa capita discessum est, quæ breviter hic delibabo, alibi exquisitius descripta.

„ Stipendia militi tam ordinario quam „extraordinario, ex quibusvis Regni reditibus, aliò nusquam convertendis, exsolvuntor. Excipiuntur tamen legationes ad Turcas, Tartaros, Moschos, quarum necessariis „impendiis stipendia nihil debent officere.

„A Tributis lege horum & Anni 1647. „Comitiorum sancitis, nulla civitas vel mercator ullis privilegiis vel exceptionibus eximendum se facere tentato. Quoniam in „Regiis bonis certi homines ex modo agri „militare, aut militem sistere teneantur, ea „verò ordinatio, cum vel in usu exoleverit, vel „abusu corrupta sit, quilibet ejusmodi agri „possessor in thesaurum Ravensem sexaginta „florenos quotannis inferto. Præfectis Regiorum bonorum invigilaturis ne ullâ talium „agrorum dissimulatione, vel pecuniæ dictæ „negata aut tardiore solutione fraus fiat thesauro publico. Qui secus faxit ab Advocato Regni pœnarum in id constitutarum reus „agatur. Ne exercitus crebro per Regni provin-

„provincias ita redituve onerosus sit Regni „incolis, ei commeatus ex ditionibus Regiis, „quæ stativis alioquin militaribus destinata „sunt, procurator, modo & ratione latius in „constitutionibus descripta.

„Quia exercitui & de stipendiis & de vi-„ctu abunde legibus Comitiorum istorum „prospectum sit, ita ut æstate ex stipendiis suis, „hyeme ex demenso satis se tolerare possit, is „intra stativa sua ita cohibetor, ne quisquam „militum evagetur, aut cuiquam pecunias, aut „quidquam aliud invito eripiat, qui secus faxit, „ex Iudicio Ducis vel Tribunalis Regni, „cognitâ legitimè causâ capite plectator.

„Commissarii certo numero â Rege & „Republ. constituti V. Martii Lublini cum „Regni Thesaurario conveniunto, atque istic „quid Corsunensi, Sbarasiensi, & Zboroviano „exercitui, præsidio item Codacensi, aliisque „Reipubl. stipendiariis debeatur: Qui item „Ductorum non maturè aut non debito cum „numero militum adfuerint, qui denique mi-„lites injurias Regni incolis intulerint, cum „curâ inquirunto, & in culpæ convictos Or-„dinarii Judicii Tribunalitii animadvertunto.

„Ut Regi & Veterum Legum instituto „exercitus conscribere non est integrum ita „nulli privatorum sumptu publico id liceat, „sub pena peculatus. Nihil tamen sic Magna-„tum Nobiliumque, cohortes aliquas de suo

 in

„ in publicam utilitatem cogentium, pio erga
„ Patriam ſtudio abrogatum eſto.

„ Conſilium de modo tuendi in poſte-
„ rum Regni initum, quod in Archivo depo-
„ ſitum erat, autoritate hujus Conventus ad
„ proxima uſque Comitia firmum ácratum
„ eſto.

„ Quia fieri poſſit, ut ſubita Regni ne-
„ gotia novum Conventum requirant, ea in
„ duas hebdomadas indicere habereque Regi
„ jus fasque eſto.

„ Securitas nuntiorum terreſtrium ad
„ normam legis anno 1510. ſub Sigismundo I.
„ latæ, intemerata maneto, neque quiſquam
„ eorum ſub tempus Comitiorum ex reatu,
„ niſi coram Præſide & Conventu Ordinis eque-
„ ſtris cauſam dicere tenetor.

„ Conditiones exercitui Coſacorum
„ gratiâ Regiâ ad Zborovum conceſſæ, autho-
„ ritate horum Comitiorum ratæ firmæque
„ ſunto.

„ Quia bona ad menſam Reginæ deſti-
„ nata, magnam partem ab aliis poſſeſſoribus
„ jure advitalitatis teneantur, in compenſatio-
„ nem imminuti eâ ratione proventus, ſexagin-
„ ta millia florenorum ex primis vacantibus
„ bonis Regiis adduntor, donec ante dicta bo-
„ na dotalia oneribus ſuis exſolvantur.

„ Fratri Regis ob præclara in Rempubl.
„ merita de conſenſu Ordinum Abbatia Mo-
„ gilenſis in præſens, & in poſterum quæcun-
que

„que alia primò omnium vacaverit dator.

„Fundatio Ecclesiæ Collegiatæ Climon-„toviensis liberalitate Georgii de Tenczin „Ossolinscii Magni Cancellarii institutæ, firma „ac rata esto.

„Duo pagi in territorio Costinensi ab „Andrea Szoldrsejo Episcopo Posnaniensi in „Nobiles aliquot adolescentes in studiis libe-„raliter educandos erudiendosque dati donati-„que à stationibus & oneribus militaribus pari „cum bonis Nobilium libertate exemti sunto.

„Bona ad amnem Horol prout Decre-„to Comitiali ab Anno 1646. in censum Re-„giorum ac Reipubl. bonorum venerint, cum „omnibus eò pertinentibus, Jeremiæ Duci „Visnovecio Palatino Russiæ, & ejus hæredi-„bus, in vicem hæreditariorum ipsius quorun-„dam bonorum, commissione publicà Mo-„schis addictorum, consensu pulico dantur „donanturque in perpetuam hæreditatem.

„Decreta & alia nonnulla, uti Com-„missio cum Regno Sueciæ super pacis æter-„nandæ negotio item cum vicino Regno Un-„gariæ & Silesiæ Principatu, cum Marchiona-„tu dein Brandeburgico, Ducatu Curl. ndiæ, „item inter terram Haliciensem & Provin-„ciam Moldaviæ, præsidii Camenecensis stri-„ctior & severior ordinatio, constitutio rei „monetariæ. Trium Cosacorum Semoni „Zabuscii, Jaskonis Jasnoburscii, Joani Ga-

„ruzæ de Republ. benè meritorum Nobili-
„tatio. Aliquot Virorum nobilium capite
„censorum in pristinum honorem restitutio.
„Lustratio bonorum & proventuum Regio-
„rum. Civitatis Leopoliensis calamitatibus
„bellicis multum labefactatæ à tributis & one-
„ribus in decem annos liberatio. Tributo-
„rum complurium per universas Regni &
„M.D. Lithvvaniæ promulgatio. Tum in
„mercatores & Judæos certæ exactiones.

*Inter cætera quoque Janussio Radzivillio Principi, Præfecto Generali Semgitiæ, Lithvvaniæ Campiductori, ob egregia in Rempubl. merita Nevelii Sebier feudi lege, à magnæ memoriæ parente ejus & ipso deinceps possessa, jure perpetuo & hæreditario possidenda dantur donanturque.*

*Etiam Samueli Comorovio Sub-Dapifero Vilcomiriensi, item Ganskofio Vexillifero Derpatensi, Vice Tribuno militari, nec non Georgio Tyzenhausio, Joanni denique Czudovio Secretario Regio & Judici militari ob magna in Rempubl. merita, in certis fundis præmia assignentur.* In *Czudovio præter ipsius labores bellicos etiam fraternorum meritorum habita ratio est: Quinque etiam ei fratres Reipubl. merentes bella partim priora partim postrema hæc abstulerant.*

*Ad rem Cosacicam rectius componendam in decretum est, ut certi Commissarii constituerentur,*

*[?]erentur, controversias, si qua inter exercitum Cosacorum, & alterum, quem Quartanum vocant, intervenirent, definituri.*

In iis primæ partes datæ Adamo Kisielo, qui recens tum ex Braclaviensi, Palatinus Kioviæ creatus â Rege erat. Atque illo inprimis [a]ccurante, Cosacorum exercitus in numerum & leges certas â Chmelnicio describi cœpit, magnum Reipubl. & præsidium & ornamentum, quam diu pro eâ, quam contra eam stare maluit. Sed ægrè in obsequio manet multitudo armata, ubi successu & viribus sibi placuit, ægerrimè verò tum cum congregari, ubi libitum est, potest, nec in propinquo summum sentit Rectorem, cujus autoritatem reformidet. Cosacorum hic exercitus, quadraginta millium capitum erat, & ita distributis per Ukrainam stabulabatur agris, aut contuberniis, ut coire semper facillimo negotio posset. Frænum itaque Reipubl. eo usque non recusaturus videbatur, quamdiu id ferre ê re suâ putaret. Nihil quidem fidum aut diuturnum sperari ab eâ poterat multitudine, quæ licentiæ avidissima, ejus porrò usurpandæ arbitrium & vires in manu se habere existimaret. Porrò autem de *Polonis*, quorum mancipia plerique [an]tea *fuissent*, ita omnes persuasi erant, nullam [n]os occasionem omissuros redigendi ipsos ad [p]rioris servitutis jugum. Attamen recente [h]ujus pacis initæ memoriâ, & quod vires mi-

*Pax cum Cosacis infida*

 nus

*Chmelnicius munimenta nova potentiæ circumspicit*

nus usque compositas sentirent suas, per aliquod quidem temporis spatium in officio perstitere, sed ita ut bellum perpetuò timere, nec minus quoque minari viderentur. Præcipuè Chmelnicius Polonis parum fidens, adeoque infirma ratus quæ iniquo Reipubl. tempore obtinuisset, nova potentiæ munimenta quærebat, quibus obtenta tueri, atque etiam si fortuna vellet, majora adipisci posset. Itaque in pace ipsa inquies, cum externis quibusdam Principibus clam sociabat consilia, inprimis verò cum Aulâ Ottomannicâ, cujus præsidio non tutum se duntaxat, sed & omnibus aliis formidabilem fore sperabat. Unde eos, qui Bizantinum illud imperium vel consilio regerent, vel colerent obsequio in arctiorem conjunctionem sollicitabat. Basilium autem Moldaviæ (quam vulgari & recepto jam errore Valachiam vocant) Palatinum oderat is, & apud Aulæ Turcicæ præcipua capita calumniabatur, quasi Turcam ut Dominum venerari videretur, sed per occulta & magis fida in Polonos inclinaret, quibus si quid Chmelnicius moliretur, eo indice illicò innotescat, per quem etiam Tartarorum consilia & machinationes hucusque occultæ esse non potuerint. Ac tantum apud Turcas valuit Cosacus ut inde nuntium denique eliceret, qui maxima ab Aulâ Ottomannicâ promissa, & inprimis dandam in feudum Russiam Chmelnicio offerret si Tur-

cicum

ticum patrocinium amplecteretur. Chmelnicius in casum ista parans, & inter duos adhuc Dominos velut ambiguus, non omittebat tamen apud Regem etiam fidele obsequium testari. Inter alias ex scriniis Regiis depromptam habeo epistolam ejusad Regem 24. Novemb. Anno 1649. Valsilcoviæ, hoc tempore scriptam sensu permodesto. *Subditum se & servum fidelem Sæ. Majestatis gratiæ ejusdem bonâ fide inniti, etsi totum exercitum Zaporovianum contrarii ex Poloniâ nuntii dubium atque ancipitem reddant. Nihilominus se omnibus suis severè edixisse, ut cujuscunque ordinis hominibus, nobilibus plebeiisve, ad sua redeundi postliminium & liberam possessionem concedant Nuntium Regium Georgium Jermolevicium hactenus ob varia itinerum pericula & valetudinem apud Metropolitam Kioviensem moratum jam â se liberum remitti, Ordinationem exercitus Zaporoviani sibi nunc in manibus esse, & militare Album Majest. Sæ. simul ut plenè confectum fuerit, missum iri. Denique & se & totum Exercitum Zaporovianum supplicem rogare, ut Regia Majestatis gratia & patrocinio ipsas protegere velit, promptos perpetuo futuros, Dignitati Regiæ vitam impendere.*

In Polonia non multò ante Comitia fato functus est Andreas Firleius Palatinus Sendomiriensis militiæ patriæ primarius Præfectus, Vir *Andreæ Firleii mors*

Vir, quantum claritate Domus, quæ inter præcipuas Poloniæ eſt, tantum animi dotibus inſignis. Primam juventutem ad elegantiam uſque literis linguiſque variis imbutam ad Martia deindecora converterat, & per bella ævo illo, â Polonis geſta omnibus pene militiæ muneribus ſtrenuè perfunctus cum vergente poſtea ætate infructuoſam Martis arenam quieti præhabere videretur, ultró â Republ afflictâ quæſitus, & ad belli regimen admotus eſt. In quo ſpem equidem publicè conceptam minimè deſtituit, majora tamen præſtiturus niſi arctiorem ei campum tum reſtrictè nimis data regendi poteſtas, tum inprimis infelicia Regni tempora præbuiſſent. Poſt ſoluta i li juſta difficile Respubl. negotium cum exercitu ſuo habuit. Milites enim ex periculoſiſſimo bello recentes, ſumtam per merita ferociam penè in perniciem patriæ vertêre, præmia laborum, quia tardius parciusve voto ſuo darentur, vi capere interminantes. Animis equidem admodum acerbis præcipui eorum Ductores, numero ſatis multi, Lublinum venere, quorum nutum & velut ſignum licentiæ, reliqui per ſtationes propinquas diſperſi, pronâ in nefas cupiditate expectabant, prorſuſque haud levis Reipubl. tempeſtas, ab iis ipſis, qui eam nuper propugnaſſent, imminere videbatur. Sed hoc quicquid furoris erat, au oritas ſummorum Regni Virorum huc â Republ. in Comitiis

*Exercitus ſeditionem minans pacatur*

Comitiis Superioribus destinatorum tandem, & si non sine multâ difficultate compescuit: Inter quos Stanislaus VVittovvski Castellanus Sendomiriensis, caput hujus negotiationis: Jeremias Visnovecius Palatinus Russiæ, Stanislaus Lanskoronscius Braclaviensis Palatinus. Sbigneus Goracscius Castellanus tum Chelmensis, Boguslaus Comes de Lesno, tum recens Regni ærario Præfectus eminuêre.

*Chanus compescit Circassios*

Sub hoc ipsum tempus â Chano nuntii cum literis ad Chmelnicium venêre, qui ei pro auxilio contra seditiosos Circassios, cum consensu Regis, lato, gratias egêre, simulque easdem mox copias adversus Moscoviam postularunt, sed in hanc equidem terram jam pridem ferrum acuebat. Tartarus, injuriarum istic illatarum sibi conscius, vindictamque adeò prævertere cupiens, & prædis denique, quas superioribus annis inde abstulerat illectus, in spem majorum. Sed nunc tamen Moscoviticam expeditionem, obtentui tantum sumtam eventus docuit. Fulmen quippe hoc parabatur in Moldaviam (vulgo Valachum) qui ut incautior opprimi posset, technis ejusmodi circumveniendus videbatur. Et sane non multò post nubes, hæc rupta Palatinum illum summis periculis circumfudit, multa enim millia Tartarorum, quater mille Cosacis comitata rapidissimis itineribus ipsam Muldaviæ metropolim subitò invasêre. Palatinus nullis hactenus

*Moscoviæ minatur*

*Tartari & Cosaci Moldavum invadunt*

hactenus nuntiis de impendente â Tartaris tuti tempestate monentibus fidem habuerat. Quâ suâ securitate eò magis impar irruentibus fuit. Eo ipse serò mox sensit, quando in proximum nemus, densum, & hosti haud facilè pervium, cum familiâ & pretiosissimis quibusquè rebus vix evasit. Istic sepimento ex provolutis arboribus structo defensionem sui moliens, & per nuntios interim de injuriâ & suâ, & Imperatoris Turcici, cujus hæc terra sit, multa questus minatusque est. Sed tandem cum verbis apud pecuniæ avidos obsessores nihil proficeret, misso in ulterioris transactionis fidem, obside, fratris sui filio, pecuniâ denique oblata (viginti millia aureorum fuisse feruntur) discrimini se exemit. Cum postea ad pactorum conditiones ventum est, multa gravia non tam Tartari, quam Chmelnicius ab eo exigebat, remittenda tamen pleraque si filiam suam, quam nonnisi unicam jam domi habebat Palatinus (nam alteram Janussio Radzivillio Principi M. D. Lithvvaniæ Campiductori jamdudum elocaverat) Filio Chmelnicii Timotheo daret in uxorem. Audax & arduum id videbatur Chmelnicii postulatum, tamen necessitas expressit, ut promitteret Palatinus, spe intra animum fretus, antequam in manum juvenculus ille, nullâ re præterquam ferociâ insignis, cum sponsâ conveniret, impedimenta aliqua interjectum iri, quæ pactum rescinderent. Cæterum

*Moldavus pacat hostem*

rum eodem tempore quo Turcicum Tartaricumque Chmelnicio Legatum adfuisse dixi, miserant ad eundem Proceres quidam Poloni mu os, de agrestium Heros suos recipere, velliis parere dedignantium, insolentiâ questuros, quibus ille comiter quidem exceptis, postea multa de potentia suâ, de Turcico patrocinio, & hinc secuturis Muldavi Waachique subsidiis disseruit, bellum etiam Poloniæ, & his, qui fundos suos postliminio occupassent, Nobilibus, internecionem comminans, si castra aliqua â Polonis in vicino locari audiret. Ac eodem die, cum inter pocula, nescio quis illi nuntiasset castra jam posita, & tendere ad illa undique militem Polonum, ita exarsit, ut Tribuno suo mandaret, nocte provectiore, Polonos istos omnes curaret submergi. Interim illum quidem somnus ebrium corripuerat, at ministri ad necem Polonis istis fati sui ignaris securisque inferendam, parati stabant. Bonâ tamen fortuna factum, ut facinus non ante aggrederentur, quam ipsi Chmelnicio ê somno evigilanti, uxor nuntiasset, quid jussu ejus struatur in hospites istos. Tactus tum pænitentiâ mittit mox aliquem, qui cædem, nisi patrata esset, vetet patrari. Fuit etiam, cum ipse Kisielus Palatinus, Arbiter â Rege rebus Cosacorum datus, de vitâ apud ipsos periclitaretur. Cum enim Kioviæ Chmenicius iram, nescio quâ de causâ, erga Palatinum osten-

*Procerum Polon: nuntii ad Chmelnicium*

*Nuntii periclitantur*

*Kiselus periclitatur.*

oſtendiſſet, plebs cætera, rem Duci ſuo gratam facere cupiens, Monacho quodam Ruſſico ſtimulante, cruenta omnia machinari, & tandem in necem ejus ſe promptam offerre cœperat. Sed Chmelnicius, homo in ejusmodi facinora, dum ſobrius erat, haud quaquam præceps, offenſam in Palatinum apud tumultuantes extenuavit, & quicquid ejus fuerit, deflagraſſe jam teſtatus, ſæva Palatino machinatium impetum repreſſit.

*Potocius exercitũ finibus admovet*

Quod autem de caſtris Polonicis nuntiatum illi dixi, verum equidem erat. Potocius enim Caſtellanus Cracovienſis, & Summus Exercituum Dux, ex captivitate Tauricâ in qam clade Corſunenſi conjectus erat, relicto iſtic in lytri reſidui pignus filio Nicolao, liberatus, exercitum Reipubl. ordinarium paucis aliquot millibus tum auctum, ad Camenecium deduxerat, nullam tamen vim cuiquam inferre cogitans, ſed pro incolumitate Reipubl. excubiturus, præſertim cum fines illos novi Tartarorum, Coſacorumque motus circumſtreperent. Et id antea quâvis æſtate factum, nemini vicinorum ſuſpicionem belli fecit, at fecit nunc Chmelnicio, omnia ſcilicet tuta timenti, clamantique pacta Zboroviana violari, utcunque etiam Kiſielus Palatinus juſſu Regio, diffidentiam conaretur eximere. Mittit Coſacus ad Potocium, quem ſimul atque is ê vinculis ſcythicis redierat maximè ſuſpectabat

*Quod Chmelnicio ſuſpectum*

*Mittit ad Potocium*

Kravvcen-

Krayvcencum, qui nuntiaret, *mirari Chmelnicium admotas finibus Polonorum copias, nec cur admota sint conjicere satis posse, quando firmam omni ex parte Polonis pacem nullo ab hoste sollicitari sciat*: Respondit Potocius, *non esse cur miretur Chmelnicius, quem non lateat, ex antiquo more Polonos paratam semper militum manum, altissima etiam pacis tempore in Limitibus Regni habere.* Cosacus regerêre: *nunc istâ diligentia minus egere Rempubl. Cosacorum quippe præsidio & custodia, cui fidere possit, succinctam.* *Qualis hæc*, inquit Potocius, *custodia aut pacis tutela est? quando Nobilibus vicinioribus vis infertur, cæteris fugiendi necessitas imponitur, quando meus etjam in Nizinensi præfectura, Subpræfectus ægrè violentas agrestium manus effugit.* Tum Cosacus, *nullo Chmelnicii jussu fugisse istos, & si qui Nobilium vim passi sint, non à Cosacis, sed à subditis suis passos.* Noluit cum homine hâc super re amplius disceptare Dux, sed quæsivit porrò, *quid istud belli sit, quod suo Marte susceperit Chmelnicius, saltem antequam id susceperit, secum, cui ut summo Exercituum Duci securitatis publicæ cura commissa sit, inire consilium debuisse.* Ille nescio quid causatus, properum ad quæsita sua responsum petebat. Cosacum excipiebat Tartarus â Præcopensi Præfecto juxta cum Cosaco, & eodem fine missus. Interrogatus hic â Potocio, *ubi jam agat* nuntios Chmelnicius

*agat Præfectus? Cum Chmelnicio*, inquit, *missus scilicet ad illum â Chano cum 30. mill. Tartarorum.* Perstrinxit hæc confitentis libertas Ducem, tamen is joco rem involvere malens, *late patent*, inquit, *ditiones Regiæ Majestatis, & pro necessitudine, quam Chanus cum Rege habet, integrum ei est, pascuis uti nostris.* Subjicit Cosacus, *Terra Cosacorum jam Tartarorum terra est, nec in ea quicquam illis negamus.* Post alios ultròque habitos sermones digressus tum Potocius, paulò post utrique Internuntio respondit, *se jussu Serenissimi Regis huc me'atum castra, sine jussu ejusdem inde non moturum.* Statim tum responso isto minus contentum fore Chmelnicium ostendit Cosacus, jecitque porrò voces, unde Cosacorum consilia in bellum prona conjici possent. Et Polonos pariter offendebat; quicquid Chmelnicius ageret, quippe quos prioris belli fortuna, & extortæ pacis conditiones mirè adhuc urebant. Nihilominus æstate istâ non erupêre hæc in apertum, satis enim habebat Chmelnicius Moldavum hoc anno ita emunctum ad arctiorem necessitudinem compulisse, futuram sibi, ut rebatur, munimento ad alia, *Pax ægrè servatur* quæ parabat. Sed & patientiæ non satis adhuc compositæ conscius sibi, excubitorem hunc Regis exercitum, alacrem equidem, & congredi paratum, Ducem quoque publicas & in iis suas injurias ulcisci cupidum reverebatur. Cæterum

terum Nobilitas non tutius illis in oris agere sibi videbatur, quam si bellum publicè gereretur, adeò injuriis primum variis, mox & cædibus in nunnullos istic desæviebatur, ut tandem plerique fugiendo inde consulere sibi necesse habuerint. Neque Proceres, quorum aliquibus magna latifundia, aliis ut Visnovecio Duci Principatus istic erant, quicquam inde, aut certe perparum percipiebant emolumenti. Unde fremere isti, & pacem ejusmodi nihil propè bello meliorem dicere. Rex ipse scripsit ad Chmelnicium, *bellum in Moldavum injussu suo motum, injurias porrò Nobilitati illatas & quæsitam belli materiam, homini exprobrans*, simulque mandans *ut exercitus in hyberna dimittat seditiosos Herisque suis exacto obsequio, arma inferentes puniat, coerceatque.* Reverenter accipere epistolam visus est, sed in exequendis quæ Rex mandasset, frigidior, agrestium quidem insolentiam seu noluit, seu non potuit cohibere. Interim vicinorum Principum, inprimis Turcarum magis magisque sibi firmabat amicitiam: Moschorum quoque fœdus jam dudum eò ardentius ambiens, quò firmius sibi ab eorundem sacrorum populo præsidium pollicebatur. Et Moschi quidem hac Cosacorum fortunâ eò usque uti instituerant, ut à Polonis, jam ut putabant debellatis, conditiones tolerabiliores quam quas olim à Vladislao IV. gloriosæ memoriæ impetraverant,

*Nobilibus malè convenit cum Cosacis*

*Rex Chmelnicium admonet*

*Chmelnicius firmat se fœderibus*

*Moschos solicitat*

*Moscica Legatio ad Regem Poloniæ*

rant, obtinerent. Eo fine Legatos non ita pridem miserant, *qui nescio quam ignominiam Principi suo, per non datos ei â Polonis quibusdam Proceribus titulos legitimos causabantur illatam, tum & scripta quadam edita querebantur, famæ gentis suæ minus honora, in compensationem injuriæ, Smolenscum & ingentem argenti summam postulabant â Republ. simul si qua vellent non impetrassent, bellum minantes.* Sed istos tam diu Varsaviæ detinere Regi placuit, dum ipse Magnus Dux de superbis postulatis per Nobilem Virum Bartlinscium Regis & Reipubl. nomine interrogatus, significaret, *num ipso conscio & autore adeò immodica spirarent Legati.* Ille ejusmodi responso dimisit Internuntium, quod non difficilem mox cum Legatis transactionem reddidit. Scilicet enim is, quemadmodum Græcæ Religionis, quam & ipse sequitur, in Russia Polonicâ incrementis lætabatur, ita Chmelnicii fortunæ non admodum tum favebat, eo quod bonis successibus, hic usa rebellio, facilè quoque animos plebis Moschoriticæ ad similes conatus inflectura videbatur. Et jam passim istic semina ejusmodi seditionũ gliscebant, alicubi etiam in apertum proruperant. Nondum verò Rex Legatos Moschicos dimiserat, cum â Chano veniunt, qui Regem in societatem belli adversus Moschos invitent, in præmium societatis Regi offerentes, quicquid illius

*Chanus Regem adversus Moschos concitare nititur*

terræ

terræ junctis armis occupatum ibi fuerit. Chanum solis ditionibus Tartaricis quæ jam sub Moscho sint, olim â Joanne Basilide ablatæ, contentum fore. Sed Rex cum Moscho antiquum, novo illi cum Chano fæderi prætulit. Ipse interim misso Alberto Biecinscio interprete, Chanum â societate Cosacorum avellere conabatur. Et res pulchrè cedere cœperat, postea tamen â supervenientibus Cosacorum nuntiis disturbata est. Cum amico Poloniæ Palatino Muldaviæ literarum commercium jam frequentius habebat Chmelnicius, stabilem scilicet ab eo amicitiam sibi pollicens, ut cui arctissimus per matrimonium accessurus mox esset nodus. Sed is verbis benevolentiam præferens consilia ex rerum fluentium cursu temperabat, factam vel potius extortam conjugii spem si sine detrimento terrarum suarum posset, libenter frustraturus. Regi porrò subinde adhuc scriptis literis Chmelnicii machinationes, & Turcis jam auctoratum animum significabant ê viciniâ amici, *suam similin Polonos propensionem contestantes, sed quam tempori tandem & fortunæ submittere cogerentur, nisi â Rege & Republ. conatus Chmelnicii interverterentur.* Simul & hujus Epistolas transmittebant, pactionum cum Turcâ indices, minacés contra & ignominiosas admodum Regi Regnoque, unde de remediis cogitare res monebat.

*sed frustra*

*Muldavus adhuc tentatur â Chmelnicio*

*Chmelnicius cum Turcis miscet consilia*

*Rex super molitionibus Cosacorum deliberat cum ordinibus*

Convocat igitur Regni Ordines Rex, *conculcatam Majestatem suam & simul Reipubl. exutos ditionibus & herili dominio tot nobiles, principesque Reipubl: viros, superbum viribus suis perduellem, & subinde se novis accingentem, imo post Tartarum, Turcas ipsos in Polonos armantem, paulò post in Regem suum Regnumque nihil non ausurum esse, demonstrat.* Aderant ex omni parte Proceres, & ex Palatinatibus nuntii, qui Nobilitatis mentem deferre ad Comitia solent, pari omnes libertate, & proin ut fieri necesse est, non pari mox consensu, quæ é Republ: viderentur differentes, Erant quos belli adversa adeò perculerant, ut pacem qualemcunque præhabendam armis censerent. *Et hi attritas Regni vires, contra Cosacorum ingens robur, pronasque in ipsorum auxilium vires Ottomannicas, denique pactorum Zboroviensium fidem, quæ sine nominis Poloni dedecore violari non possit,* causabantur. Sed alii & plures, *extortam nuper pacem ægrè ferentes, eò jam deventum judicabant, ut aut Cosacis aut Reipubl: pereundum sit. Nonnisi precarium in eos videri Regis imperium, & adolescere istic Principatum, qui nisi maturè prematur triste aliquid minetur Polonorum Regno & libertati. Pacta istos interpretari & violare pro lubitu. Ea igitur ex hâc parte servata velle, nihil aliud fore, quam imbecillitatem suam confiteri. Esse verò Reipubl.*

*Quidam dissuadent bellum*

*Plures suadent*

*publ: adhuc vires dum rectè excutiantur, & qualescunque sint, melius suffecturas crescenti, quam suum olim apicem adeptæ potentiæ. Recaluisse etiam nunc antiquam in animis virtutem & quæ diuturna pacis felicitate paulum elanguerat, adversis admonitam, arma compositius jam tractare. Quod caput sit adesse Regem, qui animi plenus, & corpore vegetus parvis exercitibus magna egerit, & summæ virtutis clarissimis aliquoties editis speciminibus, majora porrò polliceatur. Benè illi cecidisse res, etiam cum desperatissimæ viderentur. Daretur huic justæ molis exercitus, haud dubiè frenata insolentiâ rebellium, Reipubl. antiquum & vigorem & dignitatem redditurum.* Hos ita differentes novissima porrò postulata Cosacorum accendebant, quibus inter alia petebatur, ne *Nobilibus intra terminos Cosacorum stativis destinatos, habitare fas sit. Et porrò firmandæ Zboroviensium pactorum securitati, a Rege & Republ: obsides, viros primariæ dignitatis, atque insuper peculiare jusjurandum exigebant: Quippe causas sibi esse memorabant, cur Polonis credere non possent.* Indignissimè omnes ferebant eò audaciæ prolabi istos, ut tam immodica audeant postulare. *Non sufficere iis pacta verbo Regio, fide publicâ, Comitiorum etiam autoritate stabilita, ea insuper requirere, quæ nullus unquam Regum aut Monarcharum Regi alii vel imponere vel præsta-*

*Cosacorum postulata*

*Poloni indignati bellum decernunt*

*re sustineat. Ludibrio istos habere regnum, quod ad intima servitutis autoramenta quærant adigere: Fidi equidem non posse tam diffidentibus, & immodestis ejusmodi postulatis nihil profecto illos aliud indicare, quam felicitatis suæ pertæsos, bellum velle.* Legebantur simul Palatini Muldaviæ ad Regem & Proceres literæ, quibus ille quid Chmelnicius & Cosaci molirentur significabat, bono, opinor, affectu in Rempubl. Polonam, sed simul quoque privata stimulatione. Nam nec nuperæ incursionis oblivisci poterat, & potentiam Chmelnicii omninò imminutam cupiebat. Simul verò idem Muldavus Cosacorum literas ad ipsum & alios scriptas mittebat, in Regem & Regnum, ut dixi, perquam contumeliosas, quibus in senatu lectis omnes exarsêre, & nemo jam propè adeò in quietem propensus mansit, quin omnes nervos Reipubl. intendendos suaderet, ut servorum, Dominis suis adeò superbè insultantium jugum excuteretur.

*Commissarii præmittuntur.* Nihilominus ut moderationis, cujus isti obliti sint Respubl. tamen memor esse videatur, Commissarios, primum ablegari ad istos placuit, qui referant, *si quà per obstacula evidentissima pactis Zborovienfibus minus adhuc satisfactum videretur, in Rege & Republ. moram non esse, quin satisfiat, simul moneant, quæ pactorum antesatis stabilitorum, nova & inusitata firmamenta Cosaci requirant, immodica*

*dica ipsis, Regno inhonora esse. Denique sua ipsis facinora ob oculos ponant, qui tot Nobiles ad propria sua prædia aut non admiserint, aut admissos immaniter trucidarint. Quorum Ductor Chmelnicius inscio & inconsulto Rege, Legatos mittat ad Exteros Principes, vicissimque recipiat, fœdera, & haud dubiè armorum societatem, paciscatur, denique quod indignissimum sit, vicinos amicosque Regni Principes hostiliter invadat, nihil pensi habens, Rempubl. inscium & invitam ingentis belli necessitate implicari sic posse. In istis omnibus justam & properam emendationem postulandam, quo frænum adeò in immensum prorumpenti licentiæ amica compositione injiciatur, vi alioquin imponendum.* Ista cum Cosacis agenda committebantur Stanislao Zarebæ Episcopo Kioviensi, Adamo Kisielo Palatino Kioviensi, Stanislao Lanskoronscio, Palatino Braclaviensi, Georgio Niemericio Succamerario Kioviensi, Czetvertinio Duci, Succamerario Luceoriensi, Christophoro Tyskievicio Palatinide Brestianensi, Nicol. Cossakovio Subjudici Braclaviensi.

Cæterum ludibrio fore videbatur hic Delegatorum conatus, nisi ab armorum pone sequentium terrore momentum & pondus acciperet. Quare constitutum tum mox est, Rege inprimis annilente ut sine morâ delectibus passim in Regno institutis, stipendiariæ quinquaginta *Colligitur miles in Polonia*

quaginta millium copiæ conficerentur. Rarò ante tantæ magnitudinis exercitum ære publico conſcriptum viderat Polonia, haud difficulter tamen Regis & intimorum ejus conſilio judicioque annuêre omnes. Aut ſi qui contrarium ſentirent, non audebant tanto conſenſui refragari, vel auſi non audiebantur, inprimis ſi ob religionis diverſitatem ſuſpecti eſſent: Nam plerique ejus generis homines pacem cum Coſacis intactam velle credebantur, eo quod inde ſibi & ſectæ ſuæ aliquod firmamentum ſponderent. Porrò ne nervus deeſſet, tributa illicò indicta ſunt magna ſanè & multa, tamen jam non ingrata, quia abolendo majori Regni oneri videbantur deſtinari. Etiam in generalem Nobilitatis univerſæ evocationem, ubi res exigere videretur, Regi conſ nſêre Ordines: Quanquam uti antea, ita nunc quoque non deerant, qui manibus pedibusque contenderent, delectibus potius habitis conflandum quantumvis exercitum, nullo autem modo ciendas has intimas Regni vires.

MDCLI Hyeme jam adulta (Anno MDC LI ineunte) hæc concludebantur & hyeme eadem in effectum deduci iſta votum erat omnium: *Quo Coſacus ſi hoſtes, quam ſubditi Reipubl. eſſe mallent, minus temporis ad parandas contra vi es daretur, & proni or ad illas Polonis acceſſus futurus erat, dum flumina & paludes, quibus illi multum fidere ſolebant, gelu conſtri-* *cta*

*sta tenerentur. A Turcis frigorum intoleran-tissimâ gente, nihil nunc subsidii illi expectandum nec â Tartaris adeò vel facilè vel diu juvari posse, ubi pabulum equestri illi militiæ brevi defuturum sit.* Nec mora undique illico tympana passim circum strepunt, incumbitur colligendo militi, quà domestico, qua externo, & hujus tum facilius copia haberi poterat, quia in vicino Germaniæ imperio pax non ita pridem stabilita, multis militiæ vacationem magis, quam tædium fecerat. Cæterùm collectioni militis utcunque suffecêre hiberni hi mensfe sed tam citò tamen ille debitè armari instruique nequibat, ut tum illicô duci in Russiam posset. Itaque cum ordinario Reipubl: exercitu illuc Martinus Calinovius, campestris militiæ Dux, â Rege missus est, præpediturus, ut si bellum paci antehaberet Chmelnicius, non nudum saltem id Reipubl. latus reperiret. Et ille quidem simul ut armis circumsonare Poloniam audivisset (id enim diu latere hominum non potuit) illicò contra accingebatur, nihil & ipse Spirituum remittens, & nimirum ita pacis servandæ se cupidum ostendens, ut minimè arma recusaturus esset, si inferrentur. Quare & pacis prætentamenta, quæ Commissarii tali rerum statu adire non ausi, eminus ostentaverant, nisi miles colligi desineret, inania esse ferebat, nullumque adeò fidum judicium attemperandæ ad Regia imperia voluntatis præbebat: Sborovianæ

*Calinovius Campiductor præmittitur*

*Chmelnicius suos pariter armat*

rovianæ pacis conditiones unicè oſtendens. Sed tandem cum utrinque belli magis, quam pacis conſilia valerent, prævenit Chmelnicius, & ejus juſſu Nieczajus, præcipui nominis Tribunus Coſacicus, trium millium copias ducens, cancellos pactis Zborovianis definitos tranſiliit, igne ferroque paſſim omnia miſcens. Qui ubi â Stanislao Lanckoronſcio Palatino tum Braclavienſi, fruſtra per literas monitus eſſet, Campiductorem tandem, & hunc ipſum Palatinum, rigente etiamnum hyeme, in ſe concivit. Et ita iſtis feliciter ceſſit res, ut campo hominem brevi exigerent. Poſtea cum in Craſnam oppidum ſe recepiſſet, eò expugnato occiſum iſtic â Baibuza nobili viro repererunt: Reliquas quas ille homo hic illic diſperſerat copias, per oppida; (Srarogrodum, Ciernicovvcum, Jampolim) affectari oportuit, quorum aliqua etiam eâ occaſione vel exuſta, vel miſerè ſaltem direpta ſunt. Nieczaio deleto, alius nec minor Dux nec melior, Bohunus Calinovio ſe objecit, Vinniciamque occupavit. Regia illa Urbs eſt, & in ejus Arce Coſaci, non incommodum receptaculum ſibi habituri videbantur. Sed hanc Regii, Ductore Lanckoronſcio, paulò poſt recuperarunt, ſuperato non ſine exitio nonnullorum Hypani, vulgò Boho, flumine. Etenim id tum frigore hyberno concretum, hiatibus paſſim ab hoſte inſidioſo factis, plurimos Polonorum, atque inter alios

*Præveniens Nieczajum mittit*

*Hic caditur*

*Bohunus Coſaco-Ductor Vinniciam occupat*

*In Boho al. qui pereunt*

alios Melesconem & Kisielum Circassiensem Præfectum hausit. Et antequam occuparetur Arx, major pars rebellium in Urbem refugerat, ubi ê monasterio quodam, magna obstinatione elusêre Regiorum conatus. Cum præterea in auxilium iis veniret alius copiarum Cosaciarum Ductor Gluchius, Vinniciam tum Regii reliquere, sed ita ut mox resumpto impetu eandem expulsis cæsisque insessoribus Cosacis reciperent. At non procul inde restitit iterum Bohunus & cum plurimæ legiones Czeherinensis, Przylucensis, Lubevensis, Braclaviensis, bis mille minimum milites singulæ complectentes, sublevatum ibant. Quos contra progredi in campum Regiis visum est, relictâ tamen, qui Urbem & deposita in eâ impedimenta defenderent, peditum & calonum manu, intermixtis etiam nonnullis voluntariorum. Inter hos orto temerè terrore ac confusione, currus â calonibus expilati, & relicta Urbs est, exercitus verò uti effusi, qua sors ferebat, famulitii fugam sistere non poterat, ita ipse in acie stabat immotus paratusque prælio: Tandem tamen metu, ne â multitudine circumventus, careret commeatu, cujus quicquid paratum erat, cum curribus in Urbe amiserat, Barum Campiductor retrocessit, non negligens inde crebrò Regem admonere de Cosacorum vi universâ, magis magisque indies ad exercitus Polonicos appropinquante.

*Orto in exercitu terrore Urbs deseritur*

*Barum retrocedit Campidux*

Rex

*Rex omni conatu bellum parat*

Rex verò ex itinere Zuroviciam (locus in Lithvvania religione celebris eſt) pietatis causâ ſuſcepto, recens reverſus, nunc verò brevi aleam belli impendentis ingreſſurus, ſolicitâ ad eam curâ accingebatur: Militem auctoratum in caſtra properare jubebat, quæ Potocius, magnus Exercituum Dux primò ad Vlodomiriam, mox ad Socalum locaverat, illuc undique ſigna colligens, ibi etiam Regem præſtolaturus. Hic verò acceptis X. April. ſolenni Eccleſiæ Romanæ ritu, ab Innocentii X. Pont. Max. Nuntio fauſtis comprecationibus, ſimul donis gladio pileoque ab Urbe miſſis, triduò poſt Varſavia Lublinum verſus egreſſus eſt, multis Senatoribus comitantibus. Et eâ in Urbe ordinationi rerum, tum inprimis ſacris meditamentis, aliquantum temporis inſumptum. Spatium quoque datum eſt, ut ad ſummum caput ſuum proceres alii confluere poſſent, comites futuri clariſſimæ expeditionis, & quâ velut extremo Reipubl: conatu Coſacos debellari denique poſſe quisque credebat. Eo curatius quoque eam mihi memorandam duco, ut quomodo tantus hic Regni labor ceſſerit poſteritas exactè poſſit cognoſcere.

*Lublinum proreditur*

Afferebantur quotidiè literæ de hoſtis in Podoliam ingreſſu, validiſque ei identidem accedentibus auxiliis, conjunctionis etiam inter Imperatorem Turcicum & Chmelnicium ſacramentum, commeantibus ultrò citroque nuntiis,

nuntiis, magis magisque firmari, non famâ tantum sed ab ipsius etiam Imperatoris Germanici Oratore Constantinopoli agente, nunciabatur. Eò minus morandum Rex putavit, quin universam Poloniæ nobilitatem edictione postremâ (nam jam binæ præcesserant,) evocaret.

Calinovius interim Dux Campestris, & Lanckoronius Palatinus Braclaviensis modico illo novem millium exercitu, cujus numerum Podolica Nobilitas aliquantum auxit, ita adhuc rem agebant, ut nec militem periculo temere objicerent, nec Chmelnicium tamen sinerent securum grassari. Hic verò obicem talem ægerrimè ferens, & florem hic ipsum militiæ Polonæ esse non nescius, vestigabat enixè, quà deprehensum intercipere posset: Etiam hic magnum rebus suis momentum se additurum sperans, si impediret saltem, ne is cum cætero Polonorum exercitu, conjungere se posset. Facilius cum singulis sibi fore negotium, & oppresso vel circumvento tanto exercitu, vires Reipubl: longe minores, se terribiliorem fore si prima hæc ex voto suo cessissent. Interim autem Regiæ hæ copiæ Baro Cameneciam, multitudini hostili impares concesserant. Quam civitatem ubi præsidio, quale præcipuo Poloniæ & Christianitatis omnis propugnaculo necessarium videbatur, firmasset Calinovius, necessitati Regiæ, ut retrò ad reliquum exer-

*Campi Dux ad Regem tendit cum exercitu*

exercitum festinaret monenti paruit, & militem per infesta undique itinera, ac subinde pugnando reduxit. Insecuta hunc sunt octodecim Cosacorum millia, duo Tartarorum. Quæ remansit multitudo ingens sanè (septuaginta millium, ut nonnulli perhibent) aggredi Cameneciam statuit, desolatam opinor, abitu suorum, aut certè perculsam rata, forte & à loco adeò celebri belli initiis famam, in cætera multum valituram quærens. Primum verò circumcirca latè omnia populati manipuli, & Panovecensem inprimis arcem proditione adepti multam prædam asportaverant. Inde tantò alacriores, ad Urbem multis assultibus aditum sibi moliebantur. Sed loci arduum, & istiusmodi oppugnatoribus prorsus inaccèssum situm, nec minus arcem defendentis præsidii virtutem experti, nihil usquam efficere potuere. In altero etiam assultu ita tum â Germano peditatu & tormentis, tum â Præfecto Camenecensi, Potocio, Summi Ducis filio, qui trecentis suis comitatus ex Urbe proruperat, excepti sunt, ut cæsis non paucis, reliqui retrogressi, Sexaginta currus prædâ Panovecensi plenos, plurimosque insuper Cosacorum Tartarorumque obsessis reliquerint. Et reliqui insultus haud parvâ ipsis clade steterunt, adeò ut postea Ductori suo vim propè inferrent, qui nullo Chmelnicii jussu ad Urbem oppugnatu adeò difficilem tantum militis prodigeret.

*Cameneciam tentat hostis*

*Sed repellitur*

Tar-

Tartaros quoque & ipſum Præfectum Perecopenſem, qui ſimul aderat, neſcio quis ingratus nuntius vehementer iſtic (ut poſtea ex captivis intellectum eſt) perculerat, unde transmiſſo in omnes terrore lubentiſſimè auditum eſt Chmelnicii edictum, quo abire Cameneciô jubebatur Coſacorum iſte exercitus. Neque felicius res cedebat illis (quorum ante mentio facta eſt) perſecutoribus Regii exercitus Coſacis & Tartaris. Auſcultare equidem illi ſæpiſſimè, & propè aſſiduo frontem latera, tergum carpere cœperant, majore tamen plerumque ſuo, quam Regiorum damno. Non procul certè Zboroviâ XIV. Maij cum exercitum, & præcipuè legionem illuſtris ſago togaque juvenis Marci Sobieſcii Præfecti Crasnoſtavienſis (filius hic erat Jacobi Sobieſcii Caſtellani Cracovienſis, celeberrimi in Republ. viri) adorti eſſent, inſigni ſtrage affecti ſunt, captuſque hic inter cæteros Canovienſis Coſacorum Tribunus, & ex Tartaris Murſa quidam eximio inter ſuos loco habitus, qui & ad Regem poſtea ductus, Varſaviæ primum, deinde Mariæburgi liberali cuſtodiâ habitus, hîc tandem peſte, quam â fœminâ contraxerat, deceſſit. At majora ſubinde detrimenta paſſus eſſet hoſtis, niſi fame aliquantum elanguiſſet Calinovii exercitus: Porrò etiam equi magnam partem deceſſerant, atque ideò, ut & ob trajectuum difficultatem, multi currus, quibus annona,

*Campi Dux recedens infeſtatur*

nona, & alia neceſſaria ferebantur, abjecti. Equis qui eos vexerant, lixæ impoſiti fuerunt, quo & expeditior ad iter eſſet, & hoſti numeroſior videretur exercitus. Tandem hic per varios & conflictus & calamitates eniſus, Majo jam adulto ad caſtra majora, inſpectante Rege, & magna utrinque ſe excipientium lætitiâ pervenit. Ubi illi aliquot dierum quies ad reſpirandum conceſſa, ſubſidia item ad reparandum belli inſtrumentum, curâ inprimis Supremi, Regni Theſaurarii data ſunt. Rex veró eadem illa caſtra apud Soſcalum poſita XIV. May ingreſſus erat, magno Procerum copiarumque comitatu. Inſequebantur in horas turmæ cohorteſque, tum ſtipendiis Reipubl. autoratæ tum aliæ â Senatoribus cæteriſque Principibus Reipubl. viris coactæ. Tantum enim iſti erga Regem & Rempubl. ſtudium hîc oſtendere, ut quidam ſuo ære mille quingentos ſtipendiarios adduxerint, computatæque hæ Honorariorum manus ad decem denique millia militum exſurrexêre. Sed porrò tum etiam Nobiles, ſub Palatinatus quique ſui ſignis ſenſim confluebant. Inter alios Lublinenſem Nobilitatem adduxerat Joannes de Michovv Michovvjus, vir genere doctrinâ, aliiſque dotibus conſpicuus. Sed paucis poſt adventum diebus, febri ardente correptus, diem ſuum obiit. Venerat quoque inter alios ad hanc expeditionem Caſpar in Janovvize Segnitz, ex

*Rex apud Soſkalum caſtra majora ingreditur*

*Voluntaria copia*

Nobi-

Nobilitate Germanicâ oriundus, qui ultroneo erga Rempubl. studio hastatæ militiæ sub Duce Jeremiâ Visnovvecio nomen dederat, sed gravi morbo domum redire coactus, alium hastatum sub eâdem cohorte Visnoveccianâ reliquit. Allabentibus verò indies undique legionibus excrescebant copiæ Regis adeò, ut denique â centum millium numero haud longè abessent, citra tamen castrense famulitium, quod etsi numerosum admodum, & ad arma satis habile, belloque superiori non spernenda pugnacitatis dederat specimina, extra censum tamen militum habetur. Sed & Nobilitas Palatinatuũ ac territoriorum aliquot remotiorum adhuc aberat, quæ postea demum cum Cosaci jam victi terga darent, advenit. Pars quoque non ultra Sokalum progressa, longè citra aleam, non sine invidiâ & convitio cæterorum constitit, frustra eam excusante Chrysostomo Jasculscio Castellano Santocensi, & genere ejus Joanne Gninscio Præfecto Gnesnensi qui ut Zboroviana ante, ita & hâc expeditione comitatum Regium non levi manu auxit. Cæterum Rex â DEO sibi capienda rerum exordia ratus, hoc ipso in oppido festam admodum supplicationem instituit. In quâ Regiæ hastatorum turmæ præcedebant, sacra mysteria, quæ Andreas Lescinius Culmensis & Pomesaniæ Antistes, idemque Magnus Regni Cancellarius, gestabat. Obviam item lata

*Numerus exercitus Polonici*

alia ſigna, ubi ad Antiſtitem perventum erat, ejus ad pedes demittebantur, teſtandæ ſubmiſſioni, quâ honori divino & gloriæ crucis arma ſua dicaſſet exercitus. His ad Romanæ Eccleſiæ morem perpetratis, exercitus mox omnis luſtratus eſt. Inde jam moræ omnes abrumpendæ videbantur, ne quæ in iſtâ vaſtitate copiarum jure metuebatur, commeatus inopia ingrueret. Cui proin arcendæ Rex multum intendit curæ, de diſciplina etiam inprimis ſollicitus, cujus defectu facile mole ſuâ laboraturum exercitum videbat, quanquam voto ſatisfacere vix hic poterat, re nullâ in hoc Regno tam ardua, quam ordinis & diſciplinæ cuſtodia. Unde & optima nonnunquam conſilia, atque expeditiones maximæ felice ſucceſſu fruſtrantur; aut laborioſius ſaltem procedunt. Dabat præterea Rex operam, ut continuâ præcurſorum operâ compertum haberet, quid ageret hoſtis. Deliberatio dein incidit, *nunquid concitis omnibus viribus in hoſtem eundum eſſet, an præmiſſo ſeorſim ſtipendiario milite ipſe Rex hic cum Nobilitate neceſſitatem majorem opperiretur.* Et in multam noctem conſultatio extracta eſt, diu in diverſum euntibus ſuffragiis. Tandem tamen eorum ſententia evaluit, â quibus mora ad Sokalum, & diviſio exercitus impugnabatur. Inprimis enim demonſtratum, *anguſtiorem iniquioremque hunc eſſe locum, quam ut explicare in eo*

*Cura diſciplinæ militaris*

*Deliberatio de dividendo exercitu*

*aciem suam Poloni possent, & si copias distraherent, per partes circumveniri & atteri posse, qui juncti non tueri se tantum, sed & vincere hostem valerent.* Etiam quod per Gliniacense territorium nonnulli exercitum ducendum putarent, displicebat cæteris, *quia sic multum à consilio Regis discederetur, qui quam brevissimum ad hostem iter quæreret, non rectiorem autem superesse viam, quam quæ Berestecıam duceret: Et illud ad oppidum latissimos expandendæ aciei campos, ac pascua victumque faciliorem fore.* Ita istuc ire decretum est, sed non antequam reversi exploratores novissimi, de hoste aliquid attulissent. Verum paulò post allabebantur nuncii, cladem duarum turmarum ferentes, quarum una Leonis Casim. Sapieha Procancellarii Lithvvaniæ, altera Firleii Palatinidæ Sendomiriensis erat. Eæ simul exploratum missæ in septingentorum quà Tartarorum quà Cosacorum manum inciderant: nimiâ securitate suâ, ut prima fama tulerat, sed verius, ut diligentior inquisitio postea aperuit, multitudine hostium circumventæ oppressæque. Nam diu & strenuè satis se defenderant, adeò ut & non pauci nec inulti occumberent, alii graviter sauciarentur, pars denique vincti cœperant abduci. Sed ut mirè sæpe fortuna vices bellorum intra breve momentum alternat, ita hic quos vicesse crederes, eadem mox hora victos vidit. Rever-

*Berestecıam duci exercitum integrum placet*

*Turmæ duæ ab hoste opprimuntur*

*Hostem fundit superveniens Iasco-burscius*

tebantur Tartari his ſpoliis ac lætitia geſtientes, cætera ſecuri, cum recens ob fidem erga Regem & Rempubl. nobilitatus Coſacus, Jaskoborſcius, ipſo iſtius conflictus ſtrepitu, de hoſte admonitus cum globo militum accurrit, & repentè in ſolutos nocte irruit, eâ virtute ſucceſſuque, ut univerſam hanc manum disjiceret, vinctos Polonos milites liberaret, complures Coſacos, nec non Tartarum Circaſſicienſem ſucium, & jam linguæ impotem, equorum porrò, boum, atque argenti etiam (apparet enim à templis aut domibus Nobilium direptis fuiſſe recentes) non modicam vim ſecum auferret. Sed & alibi tum improſperè res ceſſêre Coſacis. Olykam enim Alberti Stanislai Radzivillii Principis Lithvvaniæ Cancellarii benè cultum, & inprimis templo ſplendidiſſimo eminens oppidum, anteceſſor Coſacorum exercitus, Ductore Bohuno multis millibus oppugnare cœperat, ſed cum Oppidani fortiter, & multâ cum ſtrage hoſtis ſe tuerentur, in loca circumjecta iſ iram vertit, & violento impetu omnia pervagatus, multa cum prædâ revertebatur ad Chmelnicium. Dum verò in itinere eſſet, incidit in manus Alexandri Coniecpolſcii Vexilliferi Regni, qui cum mille ſelectis excurrere juſſus, his quà viſum diſtributis dimiſſisque non uno loco, vagas illas Coſacorum cohortes fudit, & luculentam prædam in caſtra reportavit.

*Olyka defenſa contra Coſacos*

Rex

Rex XV. Junii movit castra, & Berestcciam versus [ præmisso illuc eodem Koniecpolscio Vexillifero ] exercitum traducere cœpit, non sine multâ sollicitudine suâ, cum & difficili per loca uliginosa atque aspera itinere dislocari nimis copias, & ingentem illam currum multitudinem, intempestivo se mutuò anticipare conantium ambitu, implicatius procedere videret. Nam tali confusione facilè in cladem aliquam præcipitare exercitum aut impedimentis saltem suis spoliari posse satis animadvertebat. Itaque ubi unius diei labore periculoque in planiora eluctatus esset exercitus dividere eum in decem grandes quasi legiones visum est. Prima Regia erat, quam stipendiariæ, & his junctæ cohortes, quas liberalitas Procerum adduxerat, ad duodecim millia militum extenderant. Alteri Nicolaus Potocius Castellanus Cracoviensis summus exercituum Regni Dux præerat. Tertiam Martinus Calinovius Palatinus Czernichoviensis Campiductor. Quartam Joannes Simon Szcavinscius Palatinus Brestensis. Quintam Jeremias Michael Dux Visnoveccius Russiæ Palatinus. Sextam Stanislaus Potocius Palatinus Podoliæ. Septimam Georgius Lubomierscius Regni Mareschalcus supremus. Octavam, Stanislaus Lanckoronscius, Palatinus Braclaviensis. Nonam Leo Casimirus Sapicha Procancellarius Lithvvaniæ. Decimam Alexander

*Rex movet castra versus Beresteciam.*

*Exercitus in legiones dispertitur.*

der Coniecpolſcius Vexillifer Regni ducebat. Huic exercitus ordinationi Rex ipſemet ſex minimum horas inter flagrantiſſimi ſolis æſtus impendit. Poſtero die Vygnankum perventum eſt, locum aquis paſcuiſque uberem. Iſtic ex transfuga cognitum Chmelnicium ex caſtris ſuis, quæ inrer Zbaraſium,& Viſnoveciam oppida habebat, cum aliquot millibus ſuorum obviam iviſſe Chano, quem uti pridem accuratiſſimis precibus; & ampliſſimis pollicitationibus ad belli ſocietatem invitaverat, ita jam dudum enixè, & deſiderio maximo erat præſtolatus: Quippe ſuis non ſatis fidebat viribus, cum Coſacorum quidem agreſtium ingentem multitudinem, at Tartarici equitatus vix ſex millia ſecum hactenus hab.ret. Rex cum exercitu Bereſteciam pergit, quod Prunſciorum olim Ducum, nunc Leſciniorum oppidum eſt. Id cum ſtyrus amnis undique circumluat, aliquot diebus in trajectu fluminis laboratum eſt. Ubi transmiſerat exercitus, caſtra non procul oppido, & ripâ fluminis locata ſunt, mox & viri inſignes Stapkovius ac Stephanus Czarnecius, Signifer Sendomirienſis, ſimulque caſtrenſis Judex, cum tribus amplius millibus expeditorum militum miſſi ſunt ſpeculatum, quid hoſtis ageret. Stapkovius in Tartaros vagabudnos incidit, eorumque unum captum remiſit, ad Regem, nuncians ſimul, *veniſſe cum exercitu Scythico Chanum, & junctus*

*Chmelnicius obviam abit Tartarico Chano*

*Bereſteciæ deſcriptio*

*Speculatores mittuntur*

*ctis cum Chmelnicio copiis, præmittere jam sub-inde aliquos, explorandis Regiorum rebus.* Rex habito cum Proceribus consilio, Beresteciâ Dubnam (oppidum erat Dominici Ducis Ostrogiæ & Zaslaviæ Palatini tum Cracoviensis) pergere statuit, & jam currus cœperant præmitti, exercitu omni pariter ad iter, hostem contra, & si quid amplius fors dedisset, jam accincto: Cum Visnovecius Dux, qui in excubiis tunc stabat, significat Regi, Chmelnicium ire vi totâ suâ adversum Polonos. Dubitatum aliquantum an præstolari adhuc expediat alios de hoste nuntios, quod Regi non sine Numinis instinctu placitum est. Idemque Potocius Summus Dux exercituum acerrimè suadebat, publicè unius sibi dici moram dari postulans. Nempe is trajectus, qui progressuris superandus erat, difficultatem verebatur, ab agresti quodam monitus, eo potissimum in loco hostem sibi prosperum aliquid promittere. Stetit comperendinandi itineris consilium, & nequicquam reclamantibus nonnullis edictum, currus uti reverterentur, qui præcesserant. Vix isti redierant, cum nuntius nuntium urget, memorantium, Chanum & Cosacorum universam potentiam Pereatinum tendere, locum vix duobus stadiis Beresteciâ distantem. Illicò in procinctu equites milites que haberi jubentur, ne ad pabulationes quidem permisso è castris exitu. Sed petulans famulorum licentia in

*Rex progredi versus Dubnam parat*

*Sed mutat consilium*

*Hostis appropinquat*

in tantâ multitudine nullis quandoque sancitis cohiberi potest. Cæterum qui castrorum limites egredi ausi fuerant, pœnas quas legibus debebant, hosti pependerunt, quando unà cum equis & curribus â præcursoribus Tartaris præter opinionem suggressis, properè abrepti sunt. Interim autem Rex & exercituum Ductores in acie occupabantur instruendâ, eductusque è castris exercitus ita disponebatur, ut exporrectis ad milliare prope unum Ordinibus, una parte Styrum amnem pro munimento haberet. Qua Sylva adjacebat, pedites locabantur, insidiis arcendis. Inter hæc dies in vesperam vergere cœperat, cum selecti Tartarorum, decies mille numero, antecursores in conspectum Regiorum prosiliunt, adeò propè succedentes, ut omninò provocare hos viderentur. Tum Alex: Coniecpolscius Regni Vexillifer orat Potocium exercituum Ducem, sibi ut cum legione suâ ire in hos audaculos liceret. Potocius laudato egregio impetu facit ei copiam pugnandi, simulque in subsidium Georgium Lubomierscium Mareschalcum Regni, post & Campi-Ducem, cum legione sua adjungit. Ibant bina primarii & propinqui inter se sanguinis capita, magnorum olim patriæ bellatorum non degeneres filii, suam quisque manum ducentes; Tartari in arenam progredientes Polonos conspicati, magno impetu, & truci, ut solent fremitu effunduntur in subeuntes.

*Multi hostis celeri adventu corripiuntur*

*Acies Polonica*

*Prima velitatio*

Occur-

Occurrit ruentibus Coniecpolſcius ſua ipſe ſigna modico ſpatio præcurrens, & Dux item atque miles inter confertiſſima hoſtium agmina, ſuis prævium paſſu alacri ſequentibus, ſtrenuè præliatur. Subvenit Lubomierſcius cum ſuis, pugnatur ferro cominus, parte utraque in hoc Martis & fortunæ quaſi prætentamento, ſpecimen virtutis, & felix futurorum præludium dare conante. Sed prævaluit Polonus, & ſolvi in fugam Tartarus cœpit. Interim verò ſex inſuper vexilla legionis Viſnovecianæ ſuis jam vincentibus in auxilium accurrunt. Eo major in hoſte trepidatio & intenſior fuga. Inſtitêre mox junctim omnes præcipitantibus, & ad ſeſquimilliare uſque cædendo palantes inſecuti, non pauci tum capiebantur Tartari, etiam ex primariis, Bina quoque ſigna, qualia non centenis, ut apud nos, ſed multis millibus pugnantium dari ſingula ſolent, erepta hoſti, Regique poſtea reddita ſunt. Ex captivis cognitum Chanum Leſznoviæ, oppido Coniecpolſciano paucis paſſuum millibus à Bereſteciâ diſtante agere. Eum porrò ad pacem cum Rege renovandam inclinatum, ſolius Chmelnicii diſſuaſu & precibus ad hoſtilia impelli: Eodemque autore Regis exercitum, quem viginti ſummum millium, & in iter modo intentum eſſe crediḋiſſet, aſſultando, circa proximum inprimis trajectum, inceſſere auſum.

*Vincunt Poloni*

*Chanus Leszno- viæ ſtabulatur*

His

*Secundum prælium minus felix*

His primordiis successit die sequenti (qui erat Petro & Paulo Apostolis sacer) major & atrocior labor. Etenim tùm Chanus ipse, cum omni exercitu suo jam præsens, in proximis collibus alas explicabat, iisque comites ibant selectissimæ quoque Cosacorum cohortes. Rex suam pariter aciem accuratè instruit, Andreâ simul Lescinio Culmensi Pomesaniæque Episcopo, & eodem Magno Cancellario obequitante, & Bonis omnibus precibusque animos addente suis. Stabatque jam in omnia paratus miles, sed dubiis adhuc consiliis viribusque hostis, non est visum progredi totâ acie in certamen. Eques præcipuè eductus in campum est. Et præter alas nonnullas, quæ paulò post nominabuntur, longius â castris suis hostem contra processêre turmæ cohortesque Joannis Szcavinscii Palatini Brestensis, Stanislai Lanskoronscii Palatini Pomeraniæ, Ducis Boguslai Radzivillii, Pauli Sapiehæ Palatini Vitepscensis, terræ item Premiislienfis & Volhimiensis Palatinatus Equites, quos Michael Dux Czartoricensis ducebat. Hostis seu prioris diei dedecus eluere quærens, seu equitatum, quem pauci pedites fulcirent, minus formidans, densis cuneis in Regios procurrit, Chano ipso eminus, & longè extra teli jactum, tubo optico exercitus Poloni improvisam ipsi magnitudinem, & pugnæ auspicia speculante. Primum irruentium impetum Stanislaus Lans-

Koron-

koronſcius excipit. Sed illi multitudine circumfuſo, impigrè tamen, & ſi non ſine domno ſuorum, inter quos & frater ipſius Sigismundus occubuit, luctanti ſubvenit promptè, & nihil quicquam tardante ſenectâ Stanislaus Potocius Podoliæ tum Palatinus. Etiam Palatinus Sendomirienſis ſat ſtrenuam hic operam navabat, ſed cum nec dum perrumpendæ hoſtili aciei ſufficerent, medio ab exercitu legiones Potocii magni Ducis, Calinovii item Campiductoris, Viſnovvecii Palatini Ruſſiæ, Lubomierſcii Mareſchalci Magni, juſſæ ſunt ire in hoſtem. Tum verò recaleſcere prælium & miſceri ita inter ſeſe turmæ, ut Poloni ab alteris dignoſci non poſſent, ſignis utrinque ſe mutuò prætereuntibus. Alicubi longius provecta legio Potocii Ducis circumveniri ac laborare cœperat, itaque fatiſcentibus in auxilium opportunè Lubomierſciana, & juxta Sapichæ Lithvvaniæ Procancellarii legio ſubvenit. Sic iterum utraque ex parte & certatur fortiter, & magna ſtrages editur. Cadunt primariorum etiam Virorum plurimi. Ex Regiis quidem Adamus Cazanovius Caſtellanus Halicienſes, Georgius Oſſolinſcius Præfectus Lublinenſis, defuncti nuper clariſſimi Cancellarii fratre genitus, Stadnicius ſuccamerarius Sanocenſis, Ligenza Premiiſlienſis Enſifer, Monczinius Succamerarius Vielunenſis Jordanus Centurio Equeſtris, Rzeczycius, Matthias

*Multi cadunt*

thias Bal, Georgius Cosika, Brodovius signifer, plurimi ê nobilitate Lencicienſi, & alii in universum plus minus trecenti, vulnerati autem multi, inter alios Franciſcus Dubravius, Succamerarius *Premysliensis*, & unà ex legione Lubomierſcii Mareſchalci triginta turmales milites, ipſeque qui turmæ præerat Joannes Michael Stanislavius signifer Haliciensis. Attamen campo, non ſine copioſo ſuorum fuſo ſanguine pulſus hoſtis eſt. Mille enim hic oppetiere & inter eos Tohaibeius, dudum Poloniæ cognitus, aliique non vulgaris notæ. Capti item aliquot inſignes, atque ê primatibus ipſis Tartari, nec non intimus Chani ſcriba. Sed minimè tamen ſatis penſata eſt egregiorum, qui ê Nobilitate occubuerunt ſtrages, quamvis penes Regios ea die victoria manſiſſe videretur, neutra tamen pars de felice ſucceſſu, utraque de virtute gloriari poterat. Præcipite jam die cum habito conſilio, omnis ulterior mora hoſti magis, quam Regiis utilis eſſe videretur, prælium in lucem ſequentem Rex decernit, univerſo exercitu educto, fortunam belli, bono cum Deo experturus. Itaque Duces imperant Tribunis & Ordinum Ductoribus in mediam noctem paratos uti habeant ſuos. Rex ipſe vix quicquam quieti gratificatus temporis, ad ſacra convertitur, ut ad ſumma rei auſpicia Numen ſibi propitiaret. Sine quo ſcilicet nihil ritè procedit mortalibus. Interea undique legio-

legionesalæque confluunt, Regia imperia præstolantes. Is autem ipse circumiens egregiâ dexteritate, comitantibus præcipuis administris, ordinat aciem. Quæ res ut clam hoste fieri posset, juvit nebula, quæ ad nonam penè horam usque infuscans diem, noctem quasi continuabat. Aciei, autem hæc erat series, Dextrum cornu post Potocium Castellanum Cracoviensem, eundemque Ducem exercituum, cui omnem porrò, quantum per corporis imbecillitatem liceret, aciem obire, & quà opus erat imperia dividere imcumbebat, tuebantur Stanislaus Lanckoronscius Palatinus tum Braclaviensis, Christophorus Opalinscius Palat: Posnaniæ, Georgius Lubomierscius Comes de Visnic, supremus Regni Mareschalcus, Lucas Opalinscius Mareschalcus curiæ Regni, Leo Casimirus Sapicha Procancellarius Lithvvaniæ, Alexander Coniecpolscius, Regni tum Vexillifer, Vladislaus Comes de Lesno Succamerarius Posnaniensis, cui alas velitum honorariorum Rex commiserat, bini denique summæ spei juvenes Marcus & Joannes Sobiescii, defuncti Castellani Cracoviensis filii, aliique nonnulli Proceres: Qui plerique, omnes non paucis suo ære autoratis manipulis aciem Regiam auxêre; Sinistrum cornu regendum committebatur Martino Calinovio Palatino Czernihoviensi, campestri exercituum Duci, cui additi sunt Dominicus Dux Ostrogiæ & Zaslavia

*Acies ordinatur*

*Ordines aciei omnes enumerantur*

viæ Palatinus Cracovienſis, Joannes Sczavinſcius Palatinus Breſtenſis, Jeremias Michael Dux Viſnovecius Palatinus Ruſſiæ, cum binis aliis ejusdem ſanguinis Ducibus, Stanislaus Potocius Palatinus Podoliæ, Joannes ZamoſciusPræfectus Caluſſienſis, Henricus Donhoſius, Nicolaus Korff Palatinides Vendenſis, Præfectus Kokenhuſenſis, equitum Tribuni, aliique. Ex his pariter aliqui privatas ſuas cohortes, nec modicas addiderant publicis. Utramque alam præibant tormenta, & omni ex parte velitum equitumque deſultoriorum circumlocatæ turmæ erant, gravioris armaturæ equitatu medium tenente. Nobilitas deinde magno numero & variè armata ſequebatur, in Palatinatus ſuos ac territoria turmatim diſtributa. Medium aciei totius (quod corpus vulgò appellant) Rex ipſe curandum ſuſcepit. Ejus ut diverſi ordines, ita principiis frontique protegendæ, tormenta præpoſita erant, regimen iſtorum tenente inſigni bellatore Sigismundo Przyemſcio, univerſæ tormentariæ rei per Poloniæ Regnum Præfecto & ſimul Notario campeſtri. In fronte ipſâ cônſtitutus erat ſecundum tormenta incedens peditatus, tegentibus extrema ejus latera turmis equeſtribus. Siniſtrum latus tuebantur equites Jacobi Veiheri Palatini Mariæburgenſis, quos Schafgotzius ex Sileſiæ Magnatibus regebat. Proxima his legio Peditum Chriſtophori Hubaldi,

*Media acies ubi peditatus*

baldi, cui Protribunus ejus Sigismundus Scöhneichius ductor erat. Ipse verò Regi continnus atque inter præcipuos aciei regundæ Subminister erat. Juxta Hubaldianos pedites stabat agmine tripartito custodum Regii corporis phalanx, mille Sexcentorum capitum, ducente eam Fromoldo Voltio Tribuno, ejusque Protribuno VVilhelmo Buttlero. Eodem numero post modicum intervallum visebantur duæ prævalidæ legiones, Boguslai Radzivillii Principis, M.D. Lithvvaniæ Stabulo, & simul tũ cohortibus Prætoriis universis præfecti. His post Principem præerat Joannes Berg Protribunus. Horum demum, totiusque adeò primi ordinis latus dextrum claudebant equites Joannis Dönhofii Tribuni, ducente Theodoro Leskevvano Protribuno. Alter mediæ aciei ordo, in subsidium primi designatus ex equitatu constabat totus. Sinistrum istius ordinis latus â Veiherianis similiter, & Joannis Diterici Meidelii Tribuni, dextrum â Radzivillianis, & ejusdem qui paulò ante nominatus, Dönhofii turmis equestribus potegebatur. Medium autem hunc ordinem ipse tegebat Rex, cui proximè adstabat turma Aulica, quingentorum Polonorum Equitum, illustrium ferè genere & fortuna, quorum si famulitium revocare in censum liceret, quinque millia propè capita putari possent. Turmæ isti post Regem præerat Casimirus Tyskevvicius M. Duc. *Turma Aulica illustriũ*

Lithvv. Pocillator. Erat autem ea manus in duas divisa cohortes, quarum alteram Sigismundus Ubyssius Vexillifer Dobrinensis, alteram Joannes Vessels, Præfectus Ostroviensis, titulo optionum, seu Vice Tribunorum ducebant. Primæ cohortis Signum ferebat Jacobus Michalovius Tribunus (vulgò Voyski) Lublinensis. Alterius Alexander Jendrzejovvius. Juxta Regiam hanc turmam parte ex utraque positi erant Germani equites, quos Serenissimus Elector Brandeburgicus, ex lege feudi Prussici Ductore Valrodo miserat, quibus Regio jussu aliquæ ex Polonicis honorariæ manus adjunctæ erant. Alberti inprimis Radzivillii Cancellarii Lithvvaniæ, Radziciovii tum Vice Cancellarii Poloniæ, Sapiehæ Vice Cancellarii Lithvvaniæ, Boguslai Lescinii Regni Thesaurarii. Tertii ordinis oram sinistram Meideliani dextram Dônhofii, Præfecti Sokalensis equites defendebant. In medio ejus ordine Andreæ Grudzinscii Castellani tum Haclensis, postea Calissiensis, & denique Posnaniensis Palatini, nec non Hyacinthi Rozdrazcevii constiterant cohortes, quas hinc Stanislai Coniecpolscii & Duplessii illinc Sexcenti circiter pedites, Principis Caroli fratris Regii Ductore Creützio Tribuno cingebant. Aciei universæ extrema tenebant magno numero, & ingentibus spatiis Nobilitatis Polonicæ circumfusa vexilla. Hinc modico intervallo dista-

distabant castra, vallis operibusque subitariis dudum circumsepta, ab alia parte, amne & oppido, & nunc insuper præsidiario pedite, quantum tanto antestante exercitu necessarium videbatur undique munita. In iis verò Sarissæ (vulgo Kopye) quas progressuri in aciem equites hastati Rege sic volente hic defixerant, longè eminebant: Mirifico spectaculo eminus intuentium, cum ad cuspides singularum ex rutilante serico bipatentia sed parva vexilla, aurâ motante luderent. Ignaris haud dubiè ita illudebatur, ut milites ibi stare, ubi hastæ hæ corruscabant, adeoque major & extensior quam esset Regius videretur exercitus. Postquam ita admota acies, & obeuntis undequaque Lescinii Episcopi ac Cancellarii Magni faustâ prece animatus miles, nebula interim quoque decumbere cœperat, & mox velut levato sipario, Sol adsplendescens exercitum latissimis spatiis ac pulcherrimo ordine dispositum oculis contemplantium, non sine stupore hostium inferebat. Horum verò copiæ longè vastissimæ, quippe trecentorum amplius millium erant, adeò ut solo selectiore milite milliaris Ruthenici, quod Germanico majus est, spatium implerent. Et Tartarorum quidem alæ eò conspectiores Regiis erant, quod magnâ sui parte montem leni jugo latè se exporrigentem collesque vicinos lunato quodammodo flexu occupaverant. Inde ad Cosaco-

*Castra ad Berestecziam quomodo munita*

*Exercitus hostilis*

ſacorum uſque phalanges extendebantur, quæ dextrum Tartarorum latus claudentes rectis penè frontibus ſiniſtræ Regiorum alæ, ordinante Chmelnicio, oppoſitæ erant. Intermixtæ & his Tartarorum ibant turmæ agendis, quæ equitatus impetu & celeritate agi conſueverunt. Hâc parte etiam carrago conſtiterat, connexum ex curruum multiplici ordine objectamentum adverſus ſubitam vim, & validiſſimis etiam incurſibus ſuſtentaturum. Cæterùm hoſtis, ubi Regiorum longè lateque fulgentes ordines turmasque conſpexiſſet, reſtitans, ad ipſum uſque meridiem cunctabatur, Polonorum in campum interjacentem procurſiones expectans. Cognitum etiam poſtea eſt, nondum eo die prælii fortunam, ſed nocturnâ invaſione caſtra Polonorum, quâ parte ea maximè infirma judicaſſet, tentare voluiſſe. Attamen ſubinde aliquæ Tartarorum turmæ advolabant, velitationibus diem hunc deterere cupientes. Sed Rex pœnâ capitis ſanxerat, ne quisquam ſuorum acie injuſſus proſiliret. Pontes oppidi, qui retrò in Poloniam ſpectabant, ſolvi idem juſſit, ne qui hoſtium, flumine alicubi trajecto, â tergo turbarent. Simul verò etiam ſic, qui ex Regiis interclúſam retrò viam noſcent, neceſſitate ipſa ad dimicandi virtutem magis accendebantur. Interim machinæ bellicæ dexterrimè rem moderante Sigismundo Przyemſcio creberrimis ictibus in hoſtem detona-

*Acies hoſtium*

ronabant. Eædemque ut propiorem ille vim fenti..t, paulatim adverſum juga, quæ ſpiſſis agminibus Tartari latè obtinuerant, equis trahentibus promovebantur, Regiâ acie continuò, ſed pedetentim inſequente. Dextra noſtrorum ala in ſylvam potiſſimum oculos & arma intenderat, quod in ea non ex igne hoſtium catervæ recondidiſſe ſe cernebantur, terga Regiorum quærentes invadere: Unde adeò illa aciam mediam, uno ſic latere hoſtilium incurſuum periculo diutiuſculè patentem, tardius ſubſequebatur, cæteris moram iſtam iniquè admodum ferentibus. Cumque qui hic curabant, metum inſidiarum ab hoſtibus in ſylva abſtruſis cauſarentur, alii aliam cauſam tali prætextu ſentiebant velari, eaque res idendem â nonnullis poſtea admodum acerbè perſtricta eſt. Sed jam ultra medium ſui proceſſerat dies, & quod ejus reliquum erat juſto prælio haud videbatur ſuffecturum. Inde adeò erant, qui in lucem ſequentem rejiciendum putabant conflictum, ventum ſimul cauſantes, qui hoſti ſecundus Regiis noxam daturus videbatur. Sed contrâ alii, & numero potiores verebantur, ne noctis interpoſitæ ſpatio uſus hoſtis, carragine, quam validiſſimam inſtruxerat, in Regios invecta, campum explicandis ordinibus, & conflictui neceſſarium eriperet. Acerrimè omnium Jeremias Viſnovvecius Dux per Sigismundum Dônhofium Præ-

*Machina paulatim moventur in hostem*

*Dextrũ cornu lentius procedit quod alii male ferunt*

*De pugnâ differendâ deliberatio.*

*Visnovecius moram dissuadet*

*Prelium cient Poloni praeunte Visnovecio*

Præfectum Sokalensem moram omnem dissuadebat, ac faciendi insuper primi incursus copiam sibi â Rege postulabat. Rex itaque ardore suorum utendum ratus, secunda circiter post meridiem horâ sinistro ex cornu cieri prælium jubet. Tum primus omnium idem Visnovecius brevi sed animosâ oratione suos allocutus, duodecim veterani militis cohortes ipse prævius in hostem invehit, quem Stanislaus Potocius Palatinus Podoliæ, & mox Cracoviensis, Sendomiriensis, Premisliensis, Siradiensis, Lanciciensis Palatinatuum terræ, item Velunensis & Orloviensis territorii Nobilitas sequuntur. Animosè vicissim hostis occurrebat irruentibus, & ut multitudine superior erat, ita virtute præliandi diu minimè cedebat. Densa agminum hostilium nubes, tum fumi & pulveris sublati volumina ad horam penè integram conspectui suorum eripuerant Regios, solo propè clamore pugnantium, tum tormentorum bombardarumque minorum sonitu fulgoreque caliginem illam findente. Et jam erant, qui de reditu istorum ad suos cœperant desperare: uti sanè non æqua illis initiò fortuna fuit. Urgebant comminus pugnando, urgebanturvè vicissim. Et tandem â prægravante multitudine fatigatæ turmæ quædam cœperant labascere. Sed hortatu exemploque cæterorum, qui prout in istâ ambigentis quasi fortunæ cunctatione res exigeret, cedentes re-

*Laborare Poloni incipiunt*

deuntesque in victoriam nitebantur, tum submisso â Rege auxilio firmatæ, resumsêre spiritus viresque. Ita novo impetu restauratum prælium, magnoque omnium connisu impulsa denique hostilis acies, & Cosacus in castra sua carragine munita, Tartarus, qui in hoc cornu Cosacis junctus pugnaverat, in cacumen montis redactus est. Victoribus Scytham fugientem longè persequi non licuit, ne Cosaco interim ê carragine ad nova rursus tentamina aperiretur campus; uti equidem is per ruptam, hiantemque curruum seriem, emissis subinde aliis atque aliis propugnatoribus infestabat adhuc Regios, ita ut pugnandi istic necdum finis esset. In sinistro autem hostilis aciei cornu confecta jam res erat. Id, ut dixi Tauricanis copiis tuendum contigerat, quibus nescio quæ favens Poloniæ fortuna mediam Regis aciem opposuit, ita ut in pedites Sclopetarios & tormenta inciderent; quorum, fulmina ea gens minimè omnium ferre potest. Et commodum quoque media hæc Regis acies ita invecta fuit, ut dextrum hostium cornu â sinistro propè divelleret, occupato medio inter illa campo. Ac primum quidem hostis ille robur hoc peditatus non uno incursu tentare cœpit, at male semper exceptus, non sustinuit dehinc amplius aggredi, sed ibat jam ultrò in illum acies Regia, machinas sequens, quæ in fronte positæ, Directore Przyemścio continuò promo-

*Sederiguntur*

*Hostis cedit*

*Tartaros acies media premit*

promovebantur, & plurimam ſubinde ſtragem, latioremque ſtrage formidinem in hoſte dabant. Ille ſubeuntes & impetu, & magis barbaro fremitu conatus eſt abſterrere, ſed nihil hunc moratus contendit in jugum miles, præeuntibus ſtrenuè, quæ in fronte conſtiterant legionibus, Regeque ipſo præſentiâ ſuâ ac voce acriter omnes animante. Qui hic, dum, quæ uſus poſceret, ſui Securus, ſatagit, magno vitæ periculo Singularem pro ſe excubantem Numinis curam expertus eſt. Cognoverat aliquà hoſtis, ubi Rex ſtaret. In hunc igitur belli & fortunæ ſuorum ſummum caput vertenda tela, & tentandum ſtatuit fatum. Cumque tormenta aliqua ad oram ſylvæ à Chmelnicio locata haberet, horum duo in turmam Regi propinquam ita collineavêre, ut quatuor pilæ tormentariæ partim prætervolantes circa ipſum caput Regium ſibilarent, partim non procul à Rege humum delapſæ, ungulas equorum atque etiam Regii propè ſtringerent. Ille diſcrimine ſuo, & precibus proximorum Procerum, ne hactenus quidem tum moveri ſe paſſus eſt, ut locum mutaret. Similem propè fortunam Chanus alio longe animo tulit. Nam cum Otvinovius Turcici Tartarique ſermonis apud Regem interpres, vexillum magnitudine & colore albo apud hoſtem eminens conſpicatus, Chanum iſtic ipſum ſtare affirmaret, exploſa Rege jubente Machina, inſignem Chano adſtantem

*Rex periclitatur*

*Chanus propè tactus e machinâ fugit*

ſtantem Tartarum equo dejecit, ipſum verò Chanum ita attonuit, ut mutato mox equo excedere moliretur campo. Tum verò multitudo omnis, jam ante ab urgentibus Regiis monte depulſa, tantò majore ortâ conſternatione laxare Ordines, & in fugam curſu properantiſſimo effundi cæpit, Chano ipſo cæteros præeunte Qui & ſecuriorem ſibi fugam reddere quærens, expeditiores aliquot alas Subſiſtere juſſit, ut tantisper morarentur inſecutores Polonos, dum ipſe ſe longius â periculo abſtuliſſet, ſed & iſtæ non magno negotio disjectæ ſunt ab iis, quibus dextro in cornu poſitis non tam pugnandi, quam pugnæ reliquum conſummandi copia dabatur. Unde etiam nonnullorum ex iſtis querelæ auditæ, indignantium jam, in gloriæ partem nec niſi ſerò ſe venire. Perſecuti tamen ſunt, quibus id datum negotium fuit, Tartaros fugientes ad ſesquimilliare, ita ut non pauci horum partim caderent, partim caperentur. Cæteros nox interveniens, & ſuâ celeritas, qua iſta gens facilè omnes anteit, eripuit. Fugientes projecere quicquid moram dabat, Unde paſſim, in viâ magna vis equorum obvenit Regiis, veſtes, ſaucii, cæſorum cadavera quæ alioquin auferre ſecum & cremare poſtea ſolet iſta gens, ephippia, acinaces, currus reperti paſſim plurimi, papiliones octodecim, ipſius denique Chani tentorium, inſigne tympannum, aliaque utenſilia

*Tartarorum fuga*

Regni vexillifero, qui inter primos hostem persecutus fuerat, cessêre. Liberati tum etjam non pauci captivi, quanquam plures cum auferre secum non posset truncarat hostis. Sortem eandem meruerant, qui hoc ipso prælio â Regiis capti sunt, sed illi vivi apud Duces exercitus, Proceres item quosdam, Regem denique ipsum servantur. Et ita quidem Tartarus, qui Chmelnicio omnis fortunæ autor, & rebellionis maximum huc usque columen, omni robore suo Poloniam aliquoties lacessiverat, istum porrò in campum non suas tantum vires, sed consentiente aulâ Ottomannicâ, Dobrucenses, Silistrienses, aliasque Turcarum cohortes sex millium minimum, secum duxerat, prælio victus, effusissimo cursu abiit, adeò ut eò die, quanquam in noctem jam labente, septem milliaria summa trepidatione emensum, captivi postea narraverint. Cosacorum aciem postquam in castra sua rejecerant, istuc per eadem vestigia insequebantur Poloni, Rege cum justam manum ad persequendos quà liceret Tartaros, misisset, reliquum exercitum integris Ordinibus admovente carragini hostili. Chmelnicium alii initiò statim prælii ad Chanum se contulisse ferunt, alii memorant, ubi laborare suam Tartarorumque aciem viderit, properato cursu insecutum, retrahere Chanum ad restaurandam communem fortunam studuisse, Eundem tamen haud quaquam au-

*Cosaci intra castra sua obsidentur Chmelnicio Chanum sequente*

auditum, sed acerbè potius, & non conviciis tantum, verùm & vinculis propè exceptum, ingeminante subinde Barbaro, *deceptum se ab illo, qui longe numero & viribus invalidiorem Polonorum exercitum esse, toties dejerasset. Minatum etiam homini, se ad Regem missurum ipsum in Murzarum redimendorum pretium, pateretur illic, quæ in Tartaros æque ac Polonos perfidus meruisset.* Quicquid sit, non ante dimissus â Chano Chmelnicius est, quàm is literis Czeherinum (quæ sedes ei pacificatione Superiori, Regio indultu contigerat) missis, non modicam pecuniæ summam, & spoliorum ante ê Polonia ablatorum magnam partem Tartaro dari jussisset.

Hinc properatis itineribus in extrema Russiæ tendebat Chanus. Ubi autem sat longo â Polonis intervallo tutum se sentiebat, scripsit Epistolam ad Regem, *ubi cladem suam loci iniquitati imputat, per quam scilicet explicare alas suas, & quod optarit circumdare Polonos non potuerit. Alibi in Ukraina æquiores sibi fore campos, & pugnandi meliorem copiam si eò sequi Tartaros collibitum fuerit Nobilitati*: Ita Barbarus cum procul ab ictu esset dedecus suum audaciâ verborum conabatur eluere. Cæterum ut ad Cosacos redeam, ab his Chmelnicium abesse diu nesciêre Poloni, hostes verò nihil minus animosè, quàm si Ductor adfuisset ad defendenda castra hæc *Chanus adhuc provocat*

sua

sua accingebantur. Noctem illam, quæ victoriam excepit insomnem totam, sub cælo pluvio duxit Rex cavens, ne quà insidiis victoriæ fructum interverteret hostis, tenebrarum beneficio admodum uti peritus. Aderant ibidem Proceres etiam sacri ordinis, quibus adeò præviis, Deo, eadem nocte, in campo illo pro victoriâ tam illustri & tam pauco sanguine partâ, grates actæ sunt. Non enim Poloni plures quingentis hoc in campo perierant.

Sed alterâ ex parte refugos Cosacos, quorum ducenta penè millia copiis Regiis sepiebantur, periculum suum pariter fecit exsomnes. Et ut gens hæc ex agrestibus fere constans, laboribus & operi faciundo assuevit, unâ hâc nocte carraginem firmius altiusque instruxêre & quà opus erat, incinxere se vallo. Nam ex aversâ castrorum parte uliginе, quæ latè istic diffusa, non pedem humanum, multo minus graviora equorum corpora ferre poterat, satis sibi videbantur muniti. Nec eos opinio fefellit. Hâc enim uti feliciter magis quam fortiter exclusêre obsessores, ita postea pari suâ felicitate, magnoque Poloniæ malo elapsi sunt. Quia autem Duce carebant (neque enim Chmelnicius ad exercitum hunc suum rediit) alium Dziadzialum nomine, tametsi multum reluctantem in ejus locum (2. Julij) substituêre. Mox omni modo sibi consulere quærentes, literas scripserunt, clementiæ

*Cosaci se carragine muniunt*

*Cosaci alium Ducem creant*

mentiæ Regiæ & pacis desiderium ſpirantes. Verum haud ſeriò rem agere, aut nondum mites ſatis ad accipiendas leges videbantur, qui precibus arma interponerent. Etenim tormentis, & omni vi hoſtili aſſiduò infeſtabant caſtra Regia, & tranſitu in alteram amnis partem prohibebant militem Polonum. Rex itaque ferocientes majore vi aggredi ſtatuit, ubi inprimis intellexerat, diſcordias inter illos gliſcere, *malum*, rebus arctioribus, ut ſolet, *latius valiturum*. Cæterum cum alii alia ſuaderent, nonnulli & intercluſo fluminis curſu inundanda caſtra hoſtilia arbitrabantur, id tamen tum præcipuè conſilium ſedit, ut machinis bellicis ſine morâ & aſſiduò oppugnarentur. Eamque in rem ex arce Brodana molis majoris tormenta adducta ſunt. Parari item trajiciendo amni pontes cœpere, & locis opportunis erectæ terreæ munitiones, ex quibus in caſtra hoſtilia ictus machinarum perferri hoſtiſque eruptiones repelli poſſent. Harum uni, cui Wallius præerat, ultra amnem furtim arrepſerant, Coſaci & non ſentientibus excubitoribus ſupervenientes, colla falcibus inciderant, tormentoque jam uni junxerant equos, avecturi iſtud in caſtra ſua, niſi rem animadvertiſſet Chriſtophorus Hubaldus, qui cum legione ſua accurrens, Coſacis oppreſſis munitionem recuperavit, & poſtea terræ aggeſtu firmiorem reddidit. Poſtea in campum quo-

*In illos consilia ineuntur*

*Cosaci subrepunt castris*

que

que Coſaci erupere, eo numero & impetu, ut juſtum penè prælium moliri viderentur. Verùm â Regiis acri nec incruentâ congreſſione repulſi ſunt in caſtra ſua. Periere iſtic quadringenti plus minus Coſaci, Sed & Poloni ſtipendiarios aliquot tum amiſere. Sokolus & Piaſoczynius, dum ſtrenuè pugnam cient, ſauciati ſunt. Exin tormentariis ictibus utrinque certatum, magno hoſtis, nec ullo Regiorum damno. Ex his quippe turmalis unus, gregarii aliquot ceciderunt, & parum ab interitu abfuit Hyacinthus Rozdrazevius illuſtris genere & virtute Tribunus, equus enim cui inſidebat, majoris machinæ ictu tactus, occubuit. Cum ita parum proficerent Coſaci, ad dolos iterum verſi, de nocte obſeſſores omni vi adoriri ſtatuerant, ſed primum luna clarius, quam ipſis commodum erat illucens, deinde imber, ipſæque inprimis excubiæ ac Ducum vigilantia intenſæ, conſilia hoſtis irrita reddidere. Rediit tum ad Regem Mehemet Czelibcius Tartarus gente, ſed jam pridem inter Polonos agens, & hic diu probatâ fide ac virtute, Centurionis honorem adeptus. Is agmine velitum promptiſſimorum fugientes Tartaros perſecutus, plurimos ceciderat, eorum etiam unum ex machinâ tormentariâ in extremâ pugnâ duplici vulnere ſauciatum attulerat, conſilio & autoritate præcipuum, & Chani hujus deceſſori ſanguinis propinquitate innexum, unde adeò rumor

*Coſaci erumpunt*

rumor vulgaverat, Chanum ipsum graviter vulneratum, imò mortuum esse. Hic verò Murtasa Aga (nam id nomen erat capto) cum in viâ à suis derelictus, Czelebeii manum & vincula subiret, oblato ingenti pretio persuadere huic contenderat ut ad Chanum potius, quam ad Polonos ipsum deportaret. Sed is fidem pretio, & castra Regia Tartaricis prætulit. Idem plusquam mille Tartaros, partim cæsos partim lethaliter sauciatos, in viâ se reperisse ajebat, quos fugientes cæteri ne per istas onerum moras sibi deessent projecerant, magno indicio trepidissimæ eorum fugæ, cum alioquin ea gens, ut ante dixi, cadavera suorum nefas credat hostibus relinquere. Cæterùm res Cosacorum inter caragines suas inclusorum indies arctiores reddebantur. Excursionibus nihil profecerant hactenus, & Regii propius indies imminebant obsessis. Unum ferè solatium liber ex carragine suâ aquarum paludumque adstagnantium trajectus patebat, quâ commoditate alii ad fugam, alii ad pabulationes utebantur. Sed & hos Balabanus vetus militiæ tribunus, traductis in alteram fluminis ripam mille circiter militibus infestare cœperat. Et consilium identidem agitabatur de pluribus illuc trajiciendis legionibus. Sed ea res lentius procedebat, quod metuebatur, ne obsessor exercitus, dispersâ nimium vi suâ, desperato hosti spem perrumpendi, sibi malo ali-

*Murtasa Tartarus adducitur*

*Castra hostium una parte non clausa ab obsidentibus magno Poloniæ malo*

alicubi ingens periculum pareret. Eventus postea docuit, non aliâ magis re peccatum hic esse, quam quod non plenâ indagine, positisque in orbem militibus, circumdatusque esset hostis, qui nunquam profectò pronius debellari potuisset, cum postea elapsus omnem Poloniæ fortunam converterit. Sed dum litigaretur an stipendiarius miles, an cohortes ex Nobilitate ad claudenda, quà exitum haberent castra hostium, mittendæ essent, rei benè agendæ occasio effugit. Die VI. Julii cum tormenta Regia vi majore in obsessos detonuissent, flexi illi ad pacem quærendam nuntios mittunt, qui misericordiam orarent, tres erant numero, Kresa Czcherinensis Tribunus, Hladki, & Pereaslavecius. Quos Potocius Exercituum Dux (nam ad hunc primum adducti erant,) severissimis verbis increpuit, *indignos esse*, inquiens, *qui pro Christianis habeantur, utpote Tartaris Turcisque adeò arcto amicitiæ fœdere innexos*. Rex tamen habito Senatu audire illos sustinuit, qui humi prostrati nihil aliud, etiam cum alia interrogarentur, quam misericordiam, omni culpâ factorum Chmelnicio imputatâ, ingeminabant, pariterque Senatorum qui aderant manus vestesque osculabantur. Rex cum Senatoribus disceptatâ re, tandem per Lescinium Cancellarium responderi illis jubet, *tametsi facinoribus suis veniæ propè spem excesserint, æmulam tamen Divinæ miseri-*

*Cosaci supplicant*

*misericordiæ Majestatem Regiam, illos suæ non omninò expertes esse velle, dum modo ipsa seriæ pænitentiæ, & submissionis ab illis sat fida habeat argumenta. Conditiones in crastinum expectare, interim verò unum ex tribus relinquere jubentur in castris.* Mansit Kresa nec invitus, homo non contemnendi vigoris, & non obscura animi in partes Regias propensi jaciens indicia. Postero die cum conditiones iis transmissæ, & citum postulatum esset responsum, nemo inde rediit, & postea apertè plerasque ac potissimas conditionum abnuere. Hincque adeò etiam recaluit armorum vis, & tantò crebrioribus in illos jactibus tormenta Regia fulminavere, quibus & illi vicem reddere non negligebant, sed fragore non magno (unde pulveris pyrii defectum Regii conjiciebant) & noxâ prope nullâ. Nonnulli verò ex iis eâ audaciâ fuêre, ut furtim castris Regiis succedentes, tesseram per tubicines militi enunciatam exciperent, suisque deferrent, ita ut aliam tum dari oportuerit. Et consilium oppugnationis, ad quam accingere se jussus fuerat miles, quia iisdem innotuisse credebatur, pariter tum omissum est. Porrò si qui ex Regiis comprehensi essent â Cosacis, ii magnis istic & exquisitis tormentis excipiebantur. Subcenturionem Radzivillianum ustulando, genua clavis transverberando, caput intorquendo miserrimè excarnificarunt, antequam

*Sed conditiones asperas respuunt.*

*Eorum astus & immanitas.*

Pp occi-

occiderent. Aliquos etiam illic excoriatos esse accepi ex iis, qui cadavera ejusmodi cute exuta in castris eorum postea se vidisse testantur. Quicquid sit, efferatiores equidem illi conditionibus propositis redditi videbantur, & cum tacita spe elabendi se maximè solarentur, in speciem tamen omnia extrema experturos, passurosque se minabantur, nihil morati creberrimos oppugnantium ictus, quibus pulsabatur identidem Farrigo eorum. Et audaciam horum obfirmabant acuebantque Poporum (ita Sacerdotes Rutheni appellantur) hortatus, reditum Chmelnicii, & properum ab aliis Cosacis Tartarisque auxilium subinde spondentium.

*Plebs Cosaica languescit.* Enimverò postquam nihil ejusmodi opis usquam appareret, flaccescere tandem plebs cœpit, & occultis vocibus primum, mox aperta fronte pacem ingeminare. Sed in contrarium jam nitebantur Ductores rati scilicet pacem nonnisi summo suo discrimine constituturam. Ac hi Dziadzialum, quem nuper Chmelnicio non comparente, Ducem sibi præfecerant, cum jam plebi pacem postulanti aures commodare videretur, depulerunt munere, & in locum istius nunc hunc, nunc illum, postremò tamen consensione quadam Bohunum suffecêre. Ille (decima Julii) novissima Cosacorum, & Polonis scilicet stationibus proxima munimenta, assumtis secum multis millibus selectorum militum, & tormentis duobus, firmatum ibat: quod

*Bohunus Dux Cosacorum nominatur abjecto Dziadzialo.*

quod cum primus intellexisset Palatinus Braclaviensis, trajecto tandem, quod primis statim obsidii diebus fieri oportuit, flumine versus stationes ipsorum tendere, claudendis, quæ hucusque obsessis patuissent, viis exeundi. Cum delectos illos duceret Bohunus, ex concepta dudum suspicione, repente in plebe reliqua oritur pavor, & clamante uno, vetereranos Ductoresque abire ac deserere cæteros, eadem vox totis mox castris latè bacchata, cunctos Panico quodam terrore ita percellit, ut nihil quicquam morati & mutuo se tradentes impedientesque, quà quisque posset, ruerent. Viæ quas quidem magno labore & mirâ solertiâ injectis in voragines jumentis vilioribus, coriis, plaustris, aliisque id genus impedimentis, sibi munierant, minimè sufficiebant festinantibus. Juxta has utrinque paludes & vestigii impatiens uligo erat. Tanto major in illo lubrico & pedem impressum vix remittente solo lapsantium labor pavorque. Inprimis postquam Regii, fugâ hostis, etsi tardius intellectâ, irruere in castra cæpere. Tum verò injicere in cæni profunda usitatas è pellibus vestes, centones penulas, & quicquid aliud transitum faciliorem reddere posse videbatur, tum circa tramites tumultuariò factos, luctari, alibi in cæno ipso, quà profundissimum erat, tegendæ salutis latibulum quærere. Veterani quos ad munitionem firmandam progressos dixi, cum præcipites adeò suos ruere viderent, reversi

*Pavor in castris Cosacicis*

*Et fuga.*

*Veterani Cosaci frustra resistunt.*

versi, sistere ruentes, ac retrahere initiò labora-bant, sed fugientium agmine abripiebantur Tandem & quos retinere non poterant, præir cœperunt, ac quia equis melioribus adversus que hostem ritè accincti exierant, expeditiore jam erant ad fugam. Cæterum cum sic omni ista multitudo effunderetur, ignarus rei Palatinus Braclaviensis, & in se impetum hunc destinatum ratus, ne à furentium immenso numero duo illa millia militum, quæ secum ducebat, opprimerentur, capto ex arena consilio locum occupat, ubi à tergo saltem tutus, circumvenir ab hoste non posset. Sed hostis in fugam totus conversus, nihil minus tum, quàm prælium cogitabat. Persequi fugientes non neglexer quidem Regii, sed eadem quæ illos trajectuum difficultas morabatur sequentes, nihilominu quantum poterant institêre palantibus, inte cæteras inprimis Plocensis Palatinatus, qui in dicto sub hoc ipsum tempus armilustrio, i campũ evocatus, jam tantò promptior erat a insequendum. Tota dies penè cædibus insum pta est, aliis gladio aut ictibus Sclopetariis, quo cunque liceret modo trucidantibus deprehen sos. Ita illâ luce Cosacorum agrestiumque in gens numerus, triginta penè, ut quidam nar rant, millium, in paludibus, dumetis, sylvis ceci dit. Sed non pauci extremis periculis in auda ciam accensi ex iisdem aviis noxam dare perse cutoribus quærebant. Cohors certè trecen torur

*Persequuntur fugientes Poloni sed lentius.*

orum Cosacorum reperta est, quæ in locum quis circumfluum delata omnem vim contra ndentium diutissimè propulsavit. Despera- *Trecenti Cosaci fortissimè se defendunt.* tos illos & mori impavidos conspicatus Poto us, veniam iis commissorum obtulit, conser- re scilicet cupiens, quorum virtutem alibi re- tius impendendam admirans miserabatur. Sed illi contemptum vitæ & rerum, quæ vitâ posteriores sunt, monstrare cupientes, ac quod egnius persecuturos sperabant hostes, ubi la- boris ac periculi pretium periisset, quicquid ha- bebant secum argenti in conspectu persequen- tum in aquas subjectas effundunt penis. Mox multis cohortibus diu oppugnati, tandemque per uligines dispersi, pugnare in sequentes non desinebant, donec penè singulatim, magno affectantium, & jam irâ in obstinatos, tum pu- dore cedendi acrius urgentium labore, eminus cominus, prout quemque assequi licuit, confi- cerentur. Ex iis unus (quem quidam Nobi- lem fuisse affirmant) præcipuè omnium ocu- los in se diu avertit; namque lembum nactus, eo tegumento per tres penè horas integras col- lineantium sclopetariorum evitabat ictus, cum falce vim prosequentium arcebat, vix demum à Nobili quodam Czechanoviensis terræ, & altero Germano gregario, aquam collotenus ingressis, falce & pilo trucidatus. In castris præter imbellem sexum & ætatem, in- gens præda reperta est. Tormenta octodecim, pul- *Præda in castris Cosacicis reperta.*

pulveris pyrii magna vis. Signa quam plurima, ſed inter alia Regium, quod Chmelnicio ab electiore mox in autoramentum obſequii & fidei miſſum erat, & alterum, quod olim Uladislaus IV. in Orientem arma parans. Coſacis miſerat, ſolitum ſcilicet pignus & calcar, quo arma & virtus eorum ad Regni neceſſitates evocabantur. Inventũ itidem vexillum quod XXIX. Junii die Regiis eripuerant Coſaci. Repertus gladius, quem Patriarcha Græcus Chmelnicio miſerat, belli pro religione, ſed verius Regione ſuſcepti, proſperos ſucceſſus precans gratulansque. Qui eum apportaverat captus eſt. Adfuerat eidem Chmelnicio alius Præſul Græcus (qui Archiepiſcopum Corinthium ſe dixerat) magnus plebis concitator, & his ipſis in caſtris ingens pactionis deditionisque mora. Nunc in tumultu cæſus majora ſupplicia effugerat. Sed mitra, ampulla, candelabra, & alia tanti Præſulis ornamenta Regi reddita. Traditum item graphiarium Chmelnicii, & in eo ſigillum exercitus Zaporoviani. Sed ultra hæc minuta literas etiam complures à porta Ottomannica, Chano Tartarico, Moſcho, Principe Tranſylvaniæ, aliis ſcriptas, Branicius in caſtris hoſtilibus reperit. Advexerat idem Chmelnicius non modicam pecuniæ vim, argenteorum nummorum uncialium, qui Taleri vulgò vocantur, triginta minimum millia, in ſtipendium Tartaris ſolvendum. Sed hæc pariter inter milites direpta ſunt: taceo

veſtes

[v]estes panno pellibusque pretiosas, & alia hu[ju]smodi. Bombardarum non unius generis tan[tum] vis, quanta modico exercitui armando suffi[c]eret; Commeatus varii ingens copia, & pas[si]m etiam ad ignem stantes ollæ, verubusque [a]ffixæ carnes. Unde colligere est, improvisam plerisque hanc fugam accidisse, & scilicet divi[n]itus potissimum immissam. Certè Regiis tota hæc res paucissimo sanguine constitit. Nam Poloni vix aliquot, Germani quinque gregarii periêre, inter quos Centurio fuit ex legione Boguslai Radzivillii Ducis, qui expugnandis tre[ce]ntis illis Cosacis, (quorum invictam constantiam modò retuli) vitam impendit. Cæterum quia ex tàm ingenti hostium numero (ultra [c]entum enim millia is extendebatur) majorem partem, quanquam ægrè & per multa avia, ser[v]arat fuga, visum est, præter illos, qui in ipso tumultus æstu persequi disjectos jussi sunt, septem insuper mittere legiones veterani militis, quæ Duce Calinovio, Palatino Czernichoviensi, eodemque Campiductore, longius progressæ circumquaque vestigarent dispersorum reliquias, & nusquam recolligendi se copiam permitterent Cosacis. Comites Calinovio dati Jeremias Visnovecius Dux, & Vexillifer Regni Co[n]ecpolscius. Isti dimissi passim reperiebant palantes, & recenti in obstinatos, nuperque paci non iniquæ refragatos, irâ, dabant plerosque neci. Pars fugientium Dubnam transiere, sed

*Cosaci insequũtur Copiæ Polonæ.*

& illic in longi aggeris trajectu, magnus eorum numerus à præsidiariis, aliisque eò missis cohortibus interfectus est. Simul verò istic deprehensa fuerant subsidia, quæ, cum ad obsessos Cosacos tenderent, nunc serò post rem perditam accessu, in partem stragis aut fugæ venerunt. Rex ipse versus Crzemeneciam, nobilitate penè omni ad Beresteciam remanente movit, itinere glorioso quidem, sed & miserabili. Passim enim inter sparsa hinc inde per campos cadavera eundum erat, passim etiam in sylvis occultentium se, & fame emorientium greges errare visebantur. Corticibus arborum nonnulli se per dies aliquot sustentaverant, jam ita languidi, ut fugere amplius non possent, tamen victoris gladii formidine in interiora sylvarum reptantes, dum servare se nituntur, tantò magis se ope humanâ privabant. Uti mittendi essent Regi, qui occursarent timidis, atque etiam manus injicerent, non trucidandi animo, sed ut hortarentur, ne mortem sibi ultrò accelerarent. Aliquibus etiam jam fame deficientibus & sceletorum speciem repræsentantibus cibi jussu Regio suppeditabantur. Publicata denique diplomata, quibus venia commissorum subditis ad Heros suos redeuntibus promittebatur: *Renunciarent modo Cosacis, obsequium respuentibus, portasque iis clauderent, Regiis verò militibus de commeatu prospicerent.* Ad eum modum Rex severitatem clementiâ moderans,

*Plebs à Cosacis abstrahitur edictis.*

victo-

victoriam quidem perſequi, ſed ſi fieri poſſet non nimium cruentam habere ſtudebat. Sui enim Regni membra eſſe ignobilia, tamen Nobilibus neceſſaria, non reſecanda penitus arbitrabantur, dum aptâ medicinâ ad ſanitatem revocari poſſe viderentur. Cæterum præſentiam ſuam cohibendis Caſacorum bellique ſimul reliquiis haud parum videbat profuturam. *Fortius quippe res abſolvendæ inſtituros milites, ſi eodem auſpice & Duce porrò uterentur, & facilius ceſſuros pertinaces, ubi ſummum ſeveritatis & veniæ arbitrum præſentem vidiſſent.* Itaque omninò progredi, aſſumtâ omni Nobilitate ſtatuerat, Kioviam ſaltem uſque, inde fræna belli, prout res exegiſſet modera- turus. Et profectò ſi ingenuè res judicetur, è Republ. erat omninò, urgere fortunam, & ad extrema jam redactos Coſacos totis Regni viribus perſequi. Sic enim gloriosè bellum hoc finiri, & à peſte hâc ſuâ liberari tandem Respubl. potuiſſet, ſed alii contra nitebantur, inprimis è Nobilitate plerique, *qui præter neceſſitatem curam ſuorum Penatum non exiſtimabant ſibi diutius deferendam. Neque verò opus eſſe totius Ordinis Equeſtris præſentiâ ad reliquias has Caſacorum perdomandas, impulſam eo uſque ſeditionis molem, ſuâ ſponte ruituram. Aut ſi ſuperſint, qui infelicia arma reſumere audeant, eorum coercitioni exercitum ſtipendiariorum facilè ſufficturum. Non eſſe è re*

*Regis clementia in ſeditioſam plebem.*

*Rex progredi & bellum abſolvere cupit.*

*Alii reclamant.*

*ingentem hanc civium multitudinem in oras ducere desertas à cultoribus, & à transfugientibus tum Tartaris tum Cosacis per vastatas, plus noxæ ibi passuram fame, quam armis hosti daturam. Jam & morbos gliscere, qui in tanta multitudine haud dubiè latius grassaturi essent.* Nonnulli & Regem progredi nolebant, *Spicilegia hæc belli & gloriæ Ducibus relinquenda* suadentes. *Ipse Varsaviam rediret, istic habitus Comitiis, stipendia & supplementa exercitibus procuraret, ita in toga Sagi negotiis, & Reipubl. universæ plenissimè consultum iri.* Sed plures alii alia causabantur, nonnulla etiam quæ hoc bello neglecta putarent, acerbâ libertate perstringentes. Inprimis *laborum castrensium onera, quæ mercenario militi competiissent sibi imposita querebantur.* Alii longius quiritando provecti, suspicionum etiam occulta, Tribunitiis orationibus promebant. Quibus à Rege nullis susceptis periculis, nullis præliis fides facta adhuc erat, ut seriò Cosacos peti crederent, nec persuaderi poterant, non studiò illos jam emissos esse. Sicque quod fato, partim & astui hostili tribuendum jure erat, altiori & veteri consilio isti tribuebant, seu pridem jam in aulæ actiones obliqui, seu curâ abrepti libertatis, quæ plerumque anxia sui custos est, & in hac inprimis Republ. metus suos, æquos, iniquos, magnâ acrique subinde ingenuitate ac facundia enunciat. Triduo penè toto cum his

*Multi sequiora suspicantur de Regis animo*

his ex illo aliquot leucarum intervallo commeantes, alii prudentes, ac summæ dignitatis viri disceptabant. Quippe isti Regi omninò ad res in Ukraina transigendas pergendum esse statuebant ipsi euntem comitaturi, & eodem Nobilitatem invitantes, sed frustrà: prævalebat multitudo reditum efflictim & perfractè postulantium. Et Rex quamvis indignaretur, destitui ita corrumpique victoriam, tamen dedit hoc tandem tanto illi Nobilitatis domuitionem poscentis consensui, ut non tantùm dimitteret abiturientes, postquam certas pecuniarum & militum suppetias promisissent, darentque aliquas protinùs, sed & ipse denique sequi polliceretur. Mox convocatis apud Orlam Firleianum oppidum Ducibus, Tribunis, aliisque Ductoribus præcipuis, quæ res poscebat, ordinat, atq; omnes inprimis Potocio summo exercituum Duci parere jubet. Hinc redire jam paratum nuntii undique, de protritis hic illic Casacorum globis excipiunt, & literæ à Muldaviæ, vulgo Valachiæ Palatino allatæ sunt, de victoria gratulantes. In iis simul memorabatur, quod & alii excursores Regii, & inprimis captivi, quos territus Barbarus & Regiæ gratiæ studens præter solitum dimiserat, ex parte retulerunt. *Chanum accepto de occupatis Cosacorum castris nuntio, tanto magis in terram suam festinasse, sed & quater mille Turcas, copiasq; Tartaricas, quæ Cosacis suppetias ibant, intellectâ suorum*

*Rex cedit Nobilitatis postulatis*

*A Muldavo nuntii.*

*rum*

*rum clade turpiter reditum, trajecto Boryſthene, præcipitare.* Narrabat denique Palatinus, *Scripſiſſe ſe ad Portam Ottomannicam literas, victoriæ Regiæ indices, monuiſſeque eos, qui iſtic clavum regant, ne Chmelnicianos nuntios, qui ibi opem quærerent, aliâ, quam qualem victrix Regis fortuna pateretur gratiâ exciperent. Et parva equidem benevolentiæ ſigna relaturos inde nuntios illos ſpondebat.* Pariter verò ex Lithwania de bonis adverſum Coſacos ſucceſſibus læta Regi revertenti apportabantur. Nam recens ibi Homeliam aliquamdiu obſeſſam hoſtis, partim præſidiariorum virtute, partim Fronkievicii Capitanei Mozyrenſis appropinquatione perculſus, deſeruerat. Et Radzivillius illius Ducatus tum Campiductor, ubi exercitum ob lentius procedentia ſtipendia querulum, & hic illic moras nectentem, tandem utcunque placatum eduxiſſet in campum, non uno conflictu iſtic fuderat hoſtem. Jam primum enim non procul Lojoviâ quindecim plus minus millia Coſacorum conſtiterant, quibus Niebaba quidam præerat, ſpectatus inter ſuos Ductor. Porrò parte ejusdem exercitus Podobailo Tribunus munitiones quasdam è conſpectu Lojoviæ, ad Soſiam fluvium, quà in Boryſthenem is evolvitur, eductas inſederat, trajectum illum Coſacorum uſui ſervaturus. Magnum obicem ſuis rebus conſiliisque poſitum ſentiebat Radzivillius, cum quæ ibi locata erant

*Lithvvanica victoria.*

præ-

præsidia duorum fluminum ripam trajectumque Radzivillianis redderent infestum. Eò intentior ad amovendam hanc tantam remoram cura Ducis fuit. Rem verò aggressurus id primò omnium dat operam, ut occultè habito invasionis consilio hostem incautum deprehenderet. Aderat autem tum Principi Podobailo ille, missorum, ut diximus, à Cosacis Legatorum unus, & penè Princeps. Hunc morari tantò diutius in castris, & inani aliarum molitionum specie ludificari visum est. Eò imparatiores ejus milites fore credebantur, quò tardius ille rediisset, eò & securiores, si aliò Principis consilia & arma dirigi cognossent. Obtentui autem sumta est Smolenscensis Provincia, quæ Cosacorum per fines Moscoviæ improvisâ irruptione perculsa opem Radzivilli imploraret. Atque eo, præsente adhuc Podobailone destinatus in speciem missusq; est Gregorius Mirscius, excubiis M. D. Lithvaniæ Præfectus, reverà autem ad Homeliam, Sosiam flumen trajicere, & flexo dextrorsum itinere ad propugnaculum illud Podobailonis rapere copias suas (bis mille quingentorum militum) jussus fuit. Dux ipse cum reliquo peditatu (equites enim terrâ ibant) & tormentis flumine secundo eundem ad locum tendit, & VI. Julii condicto scilicet tempore in obversa propugnaculo hostili ripa constitit. Ubi tempus esse visum, datur jussu Principis ter iterato machinarum sonitu signum,

ſignum, quò præſtò & ad faciendum aſſultum paratos ſuos eſſe Mirſcio ſignificabatur. Iſtum itinerum ambages ac difficultates, tardiùs eluctatum auditus machinarum ſonitus ſtimulat, ut tantò magis gradum accelerarer. Radzivillius abſentiam Mirſcii aliquantum miratus, nihil tentat, antequam adeſſe hos cognoſceret, qui tergum hoſtis invaſuri eſſent, fortiterque etiam interim perfert illuſiones hoſtis, qui quâ ſpe huc ventum eſſet, ſuperbè identidem percontabatur. Dum hæc ita aguntur, ſubitò encoortus clamor & hoſtem & Radzivillium in ſe avertit. Qui id quod erat Mirſcium adeſſe, & opus ſuum aggredi ratus, illicò militem ſuum paratis ad id navigiis in ripam hoſtilem transvehit. Podobailo, & quæ cum eo erant cohortes hinc incurſus violentiâ, illinc majoris metu, tum utrinque doli improviſi admiratione perculſæ, omiſsâ reſiſtendi curâ ſalutis latebras in adjacentibus ſylvis quærunt. Niebaba verò de adventu Principis & periculo ſuorum admonitus, ut his laborantibus ſuppetias ferret, properè, cum equitatu præcipuè ſuo, accurrit. Ergò iterum mox copiis his Radzivillianis, etiam antequam alia earum pars in trajiciendo flumine adhuc occupata ad certamen venire poſſet dimicandum fuit. Et qui trajecerant adeò compoſito ordine in illa etiam feſtinatione conſtiterant, ut in hoſtem extemplo duci poſſent. Hunc equidem longè

præ-

prævenêre celeritate, adeò ut antequam is aciem ſtruere poſſet, prout è ſylvis emergebant agmina ita impetu virtuteque Radzivillianorum perturbarentur. Unde confuſio, & mox trepidatio fugaque in reliquos transmiſſa eſt. Inſtabant victores, & quos aſſequi licuit, gladius hauſit. Periit inter alios Ductores, ipſe etiam qui omni huic exercitui præfuerat Niebaba, gregariorum tria circiter millia periêre, vexilla erepta duodecim, capti non pauci ex inſignioribus, atque inter eos juvenis ex Niebabæ fratre genitus. Cæteri fugâ, quâ dabatur, nonnulli in caſtra ſua non procul poſita elapſi ſunt. Sed nec in iis diu morati Czernichoviam ſitu præſidioque benè validam urbem, prævio Podobailone ſe receperunt. Unde ubi miſſus à Duce Chriſtophorus Potocius Subdapifer (vulgò Podſtoly) M. Duc. Lithvaniæ, vir ſtrenuus militiâ, ad caſtra Niebabæ acceſſiſſet, vacua ea reperit. Victoriam Proſecuturus Dux, expeditiſſimos quosque ſuorum ſub ipſam uſque Czernichoviam rapit, nonnulla ſpe Urbis in hoc communi omnium pavore, vel levi vi, vel clementiæ illicio occupandæ. Sed virium fiduciâ abnuit tum uſque obſequium Urbs, & peditatu machiniſque deſtituto Duci (quippe nonniſi cum parte equitatus huc acceſſerat) non eſt viſum hærere hic diutius. Poſtea etiam cum

copias

copias junxisset, nihil militum redundare sibi sensit, quod urbi in longi obsidii patientiam obstinatæ impendere posset; neque locus tanti esse visus est, quin Kioviam sibi potius petendam duceret, quo ei fortissimus vir Vincentius Gosievius M. D. Lithvaniæ Dapifer (postea Thesaurarius & Campiductor) jam dudum in Pripetianarum ditionum tutelam à Duce præmissus, viam gnaviter jam munierat, ut in progressu historiæ explicabitur. Ita inter allabentes undique lætos nuntios regrediebatur Rex Varsaviam. Attamen antequam eo veniret, adversis etiam nonnullis interpellatus est felicitatis Regiæ cursus. Nam & Leopoli transiturum sequior valetudo aliquot diebus attinuit, & cum postea firmato utcunque corpore iter continuaret, Lublinum transgresso, nuntius de morte unicæ filiolæ suæ Annæ Mariæ Teresiæ allatus est. Ita mala bonis intermiscere solet fatum, & rarò ulla felicitas ita mera est, quin acerbitate aliqua diluatur. Sed Rex quoque de tanto hoste Victor rediens hunc domestici vulneris dolorem cordatè admodum tulit, vicitque. Et citatiore hinc itinere progressus Varsaviam X. Augusti sospes & tristitiæ, quæ ex morte Principis aulam omnem obsederat, optatissimus dispulsor intraverat. Ubi pauco tempore exacto consilium cepit in Brussiam eundi, quam post susceptum Diadema adire bello Cosacico inter-

*Filiola Regis moritur.*

*Rex cum Regina*

intercedente prohibitus erat. Placuit secum ducere Reginam, solando ejus dolori, quem prægnans ex obitu filiolæ nuper extinctæ conceperat. Ventum est secundo Vistulæ flumine Thorunium, ubi more solito obvii ex Magistratu primarii viri, adventum & victoriam juxta Regi solenni oratione gratulati sunt. Quod idem postea transitis obiter oppidis minoribus, Gedani factum. At hic plusculum temporis, variis spectaculis & interludiis, qualia Urbs splendida & locuples Regibus præbere solet, datum est. Inter alia conspectus est homo quidam peregrinus, de Turri Curiæ sese in terram corpore illæso dimittere. Sed nimirum funi, qui superiori turris parti illigatus, humum usque pertinebat, prono ventre incubans brachiis quasi ad volandum extensis, deorsum ruebat, eò maxime mirabilis, quod ita, nescio quo artificio corpus moderari noverat, ut â fune non exerraret, cum si exerrasset procul dubio præceps actus, id in foro lapidibus strato exitium incurrisset, quo olim in Mari Icarus interiit. Ubi funis terræ affixus hærebat, appositæ erant pulvinaria, in quæ illapsum volantis caput manebat incolume. Cum deinde Principibus Mindam castellum ipsi Vistulæ mare Balthicum ingredientis ostio impositum visere libuisset, navigantes jucundo spectaculo instructi â Magistratu urinatores recreavêre, qui Tritonum instar, modò in superficie fluminis variè

*Proficiscitur in Prussiam.*

*Excipitur splendidè Gedani.*

riè ludebant, modò ſub aquis abſcondebantur. Caſtellum cum ingreſſi eſſent Tanti Hoſpites, non dedignati ſunt aſcendere Pharon, quæ vulgò laterna appellatur, eò quod quavis nocte illic candelæ accenduntur, dirigendo navigantium curſui, quem alioquin tenebræ nocturnæ periculoſum facturæ eſſent.

# Liber X.

NUnc ab excurſu quem moleſtis Bellonæ operibus animi cauſa interponere viſum, reflectere nonnihil calamum neceſſe eſt, & quæ paulò ante non procul Cracoviâ ab uno homine, ſimile quid Chmelnicianis conatibus moliri auſo, inſonuerat procella, deſcribenda eſt. In Ruſſia adhuc erat Rex, nec dum ad Bereſteciam inter ipſum hoſtemque deciderat fortuna, cum alibi nova, & circa ipſam Regni metropolim ſurrexit conjuratio, ſed quæ vigili Procerum illius tractus, & inprimis Petri Gembicii Epiſcopi Cracovienſis & Ducis Severiæ cura, in herba mox ſuppreſſa eſt, nobis tamen magnitudine periculi, quod inde Regno exiſtere potuit, digna habita non perfunctoriâ commemoratione. Locus unde illa emicuerat Czorſtein vocatur, Arx eſt Regia duodecim leucis â Cracoviâ diſtans, edito in monte ad Donajecium fluvium ſita, & eâ parte quâ fluvio imminet, ardua admodum acceſſu Cuſto-

dia

dia ejus Plettenbergio veteri Aulico commiſſa erat. Sedis alibi degens, rarò aut nunquam iſtuc ventitabat, per miniſtros ſi quid agendum in Præfectura eſſet, curans. Eò facilius locus inſidiatorem invenit recepitque. Is fuit Alexander Napierſcius incertæ originis, ſed qui Koſtkam, magnifico & illuſtris familiæ in Polonia nomine ſe vocari voluit, homo vanus vagusque, & cui nihil aliud quam audax paupertas, ac turbatæ in Regno res, amplioris fortunæ ſtruendæ fiduciam injecerant. Quidam eum ſe in Aulâ Regiâ olim vidiſſe memorant, ſed menſæ inſtruendæ, & vilioribus in gynæcæo miniſteriis addictum. Poſtea Nobilibus quibusdam in colligendo milite operam navaſſe perhibent, hincque adeò pluribus locis notum, aliò mox modò amicitiam quæſiviſſe, nimirum inter poſtremos hos belli delectus, injurias prohibendo, quibus conſcripti recens tyrones primam militiæ audaciam nobilitare ſolent. Hunc verò is præcipuè locum flagitio delegit, quo Hungariæ viciniam, & ipſa hæc aſpera montium, non tantùm ſocios audaciæ plurimos, ſed & initiis tenuibus latebras datura ſperabat. Quippe illos Carpathi montis, &, quæ inde latè ſe exporrigunt jugorum convallium-que incolas, feroces ingenio, corpore præmo-lum agiles, atque hinc ad latrocinia aptos promtosque, qualicunque militiæ ſpecie præbita, liberiorem prædandi occaſionem, & ſpem li- *Plebs montanâ vulgò Goralli.*

 bertatis

bertatis haud gravatim amplexuros rebatur. Quam in rem ſparſerat etiam inter agreſtes, ſe liberandæ à Nobilitatis & Judæorum tyrannide plebi venire vindicem, & propediem ſibi ſedecim millium exercitum ad futurum ferebat. Alterum prorſus Chmelnicium diceres. Et ejus Societatem vel exemplum alicubi jactitabat, nec ineptus ſeditionis ciendæ comes & ſtimulus ei acceſſerat homo, agreſtis quidem, ſed qui jam olim, magnis Comorovio, potenti iſtic Nobili turbis datis paſſim innotuerat, Mareſchalci inde nomen adeptus. Illo machinatore ad illiciendos vulgi animos utebatur. Aliquandiu etiam Napierſcius Neofori (vulgo Novitarus vocatur) & vicinis oppido iſti locis moratus eſt, ſpargens ubique miſſum ſe à Rege, ut Rakocii Tranſylvaniæ Palatini molitiones obſervaret, & quà poſſet præpediret. Iſtâ ſpecie apud multos etiam bonos gratiam, venerationemque ſibi conciliaverat, tali nota Tynecenſibus quoque non inacceptus. Nec adeò dudum Neofori interpoſitâ ſuâ, quaſi Regii Tribuni autoritate, tres homines capitis damnatos, ſupplicio exemerat, tanquam bello futuro melius impendendos. Quos dein tali beneficio obligatos in machinationum ſuarum conſortium aſſumſit. Atque ad eum modum facilè inter montes illos gliſcebat conjuratio, pluribus indies ad ſceleris Societatem accedentibus, quos ille ſertis viridibus inſigniri juſſit,

Prædiis

prædiis eorum, qui id signum non prætulissent, flammas subjicere minatus. Ubi præstructis ita fundamentis, rem ipsam adoriri statuerat, Czorstenum, arcem belli istius futuram intrat, & suæ mox potestatis facit. Quod tametsi nullâ validâ cum manu venienti, facilè patuit, quoniam Præfecto longius inde absenti, Burggrabius duntaxat Arcis aderat, & cum eò Judæus præfecturæ hujus proventuum conductor. Et Regio jussu arci adeò neglectæ protectorem se venire fingebat impostor, diploma ostendens grandi sigillo munitum. Nam id anno ante â Rege impetraverat, ad exteros tum ire militatum. Hoc cum isti literarum rudes vidissent, haud multum reluctati homini, ceu Regio ministro, & armato inermes curam & regimen Arcis concessêre. Is verò eosdem mox in vincula conjecit, ne quà cœptis ejus officere possent. Interim spargitur ea res per viciniam & Cracoviam denique defertur, ad loci inprimis Episcopum Petrum Gembicium. Cui quod cura istius oræ, â Rege ad bellum eunte demandata, eoque etiam nomine Regem comitandi necessitas remissa erat, minimè negligendum hoc quicquid esset visum est. Quod inprimis jam ante de homine isto, dum Neofori adhuc nefaria hæc consilia parturire inciperet, inaudiverat. Tantò penitius quæ jam fama narraverat, revocavit ad animum. Mittitur ad hominem, qui inquirat, quâ autoritate

Arcem insedisset. Ille paucis absolvit nuntios, iis, quæ faceret, Regia mandata obtendens. Sed quia tùm de confluentibus passim inter montium avia agrestium globis rumor crebesceret, suspicio simul gliscebat affinem aut Ducem eum esse coëuntium molitionibus. Sine morâ Episcopus Michaelem, Jordanum Præfectum Dobcinensem, virum togâ sagoque insignem in consilium advocat, cum præsertim ille pariter potestatem militis in Cracoviensis territorii defensionem legendi haberet à Rege & Senatu. Ille expeditissimum quemque ex domesticis suis, & præterea Sexaginta equites, Draganos viginti quinque, præfecto iis Chrzastevicio Neoforum mittit, ut istic cognoscant, quis sit ille, qui Arcem ingressus esset. Qui omnes continuatis noctu dieque itineribus, juga montium emensi, Sub-præfectum Neoforensem, quem Chrzastevicius familiariter noverat, accedunt. Sed cum hic sibi quicquam certi de hoc homine constare negaret, rectà illinc Czorstinum pergunt. Atque ut obsopitos Arcis insessores deprehenderent, quindecim selecti equites præmittuntur, qui effusis habenis ad Arcem festinant. Quo cum 18. Junii sub ipsum diluculum pervenissent, primâ Arcis porta facile occupata, ex equis desiliunt, & mox pedites impetum faciunt in alteram, eidemque excubitores apponunt, custodibus rusticis, quos repererant, submotis. Tertiam

tiam portam molientibus major difficultas objecta eſt, quia excitati jam omnes, qui in Arce cum Impoſtore erant, crebris Saxorum jactibus urgebant ſuggredientes. Cumque unus oppugnatorum in murum eluctatus eſſet, portæ quidem ſeras obicesque fregit, ſed inter lapidum ictus ita mox periclitatus eſt, ut denique violento ſaltu ægrè effugeret. Interea verò reliqui equites & Dragani, cum Chrzaſtevicio ſuperveniunt, qui portas omnes ſuis excubiis muniunt, arcemque ipſam parant circumvenire, ſed cum duo ex iis glande plumbeâ percuſſi eſſent, & locus nonniſi majore manu capi poſſe videretur, langueſcere primi impetus & dilabi milites cœperunt, parte majore ægrè à Ductoribus ſuis retenta. Non multò poſt ſeditionis architectus de muro alloquitur obſidentes, blandis verbis perſuadere iis cupiens, ut ipſum liberè dimitterent. *Nihil à ſe peccatum, quod Arcem adeò nequiter derelictam, & tali Reipubl. tempore cujusvis hoſtis inſidiis expoſitum occupaſſet. Et ſe ut diplomata teſtentur* (quæ iterum oſtentabat) *Miniſtrum Regium, adeoque bonorum Regiorum curam à ſe non alienam, ſed & quà nobilis ſit, ad defenſionem munitionum patriæ ſe obligari.* Tandem cum blandis rationibus nihil proficeret, in Chrzaſtovicium excanduit, minisque eum, quod ſe invaſerit, inſectatus eſt. Hic fidentem Hominis animum videns, veritusque ne Nobili

*Napier- ſe fingit ſcius Miniſtrum Regium*

& literas Regias oſtentanti injuriam faceret, cunctari cœpit, mox & relictis excubiis Cracoviam rediit, quid rei ſit narraturus Epiſcopo, & quid porrò ille fieri velit percunctaturus. Interea verò vaſta agreſtium hominum turba ex vicinis ſaltibus excurrit, quam unus maleficorum illorum, quos nuper Neofori â capitali ſupplicio liberaverat, inter montium latibula ſpe libertatis, & opum ex prædationibus oſtenſa conciverat. Quingenti ferè numero hominum erant, bellicis plerique alii ruſticis inſtructi armis. Tanto agmini cum ſe impares viderent Epiſcopales, antequam circumdarentur, facto impetu erumpunt, ad tutiora ſe recipere parantes. Illi arma pariter ſtringunt, & cedentes urgere moliuntur, Napierſcio de mœnibus inclamante, *jam tempus eſſe, quo & dei pſo & de ſe ſuiſque præclare poſſint mereri, vindicem libertatis in diſcrimen veniſſe, ut ipſi eò luculentius oſtendere poſſint, libertate ſe dignos eſſe. Strenuè igitur cienda jam arma, Victoribus exoptatiſſima quæque expectanda. Iſtis enim initiis ſtrui ad alia majora aditum: Victis contra aut ſupplicia ultima, aut ſervitutem ſuppliciis nihilò meliorem expectandam.* Quicquid ille vociferaretur, ruſticis nondum ſatis audaciæ eſſe videbatur ad longè proſequendum, & alteros ita cedere cernebant, ut adhuc parati viderentur ſeſe defendere. Itaque penè ſine ſanguine diſceſſum eſt. Epiſcopus de

tantò

tantò agrestium numero ad arcem istam confluente, admonitus, majori vi obviandum statuit periculo. Igitur quadringentos sine morâ pedites, cum 60. Draganis, Ductoribus Jacobo Rubachio, Greulio, de Rosa Gallo, Sadovio, cæteris in auxilium submittit. Adjungit præterea manum monticolarum agrestium (Hornicos Russi, Gornicos Poloni vocant) agilitate corporis, manu expeditâ, jaculandique peritiâ seditiosis illis non imparem. Hosque ipsos quærendis prensandisque latronibus, quorum submontana hæc ora plenissima est, jamdudum & ipse, & ante eum alii Episcopi adhibuerant, etsi iis ipsis, quos venari ac comprehendere debuerant, sæpè vix meliores. Omnibus his Rachvvalscius, nobilis ex Ducatu Severiensi Vir, præficitur, mandatumque accipit, ut nonnisi captis conjurationis Ducibus revertetur. Simul quoque in alias ejus ditiones partes dimissa edicta, quibus subditi omnes ab ejusmodi nefariis molitionibus avocabantur, additis gravissimis interminationibus in participes vel suspectos talium. Injunctum præterea presbyteris, ut de suggestibus auditores suos studiosissimè ab ejusmodi perduellione dehortarentur. Porrò quacunque iret Rachvvalscius, serta viridia, quæ usquam tuguriis præfixa essent, amoveri, & in eos qui præfigere ausi essent animadverti jussit. Idem copias quas præmiserat, assecutus, rectà arcem aggreditur,

*Episcopus Cracoviensis contra Napercium mittit copias majores.*

ditur, initoque cum reliquis Ductoribus consilio, fit in portas impetus. Alibi agrestes, quà in muros eniterentur, vestigant, pedites & cætera militum manus, undiquaque vim intentat. Sed irritus tùm omnium conatus fuit, portæ enim jam firmius quam antehac clausæ obseptæque erant, & major intus clausorum copia arcebat aggressores. Cum itaque quatuor penè horis frustrà laboratum, aliqui etiam oppugnatorum globis icti essent, tormentis tandem admotis rem agere visum est: quæ sequenti die in locum editiorem Rubachius deduci jussit. Frequentatis hinc jactibus, forte non procul ab autore seditionis in saxum globus incidit, quod in partes dissiliens, hominis tetigit caput, sauciavitque. Dum hæc agerentur supervenit Cracoviâ Guilielmus Jarocius, Tribunus Regius, sexaginta adhuc equites ab Episcopo adducens. Tanto magis auctus omnibus animus est, & propius item ad Arcem admotæ excubiæ. Postero die crebris iterum jactibus in obsessos fulminabatur, quorum aliquot vulnerati, unus extinctus est. Interea nova adhuc militum accessio copias obsidentium auxit. Nam & ex bonis Mussinensibus centum pedites, ductore Dambruscio advenêre, & ex arce Luboviensi (in qua ob proximæ Ungariæ metum Lubomiersciauum præsidium perpetuò excubat) cum Lubovviecio missi sunt totidem, binis tormentis instructi. Hæc confluentium undi-

*Napierscius sauciatur*

undique militum agmina conſpicatus impoſtor, concidit animo, idque eò magis, quod crebrius jamtela ignita in arcem grandibus machinis evomerentur, quibus non habebat unde vicem reponeret. Itaque transactionem quærens, primùm vim armorum aliquamdiu ſuſpendi per Internuntium petit à Jarocio, Lubowiecio, & cæteris Ductoribus. Hi verò eidem Internuntio conſilium oggerunt, cæteris Impoſtoris aſſeclis proponendum, caput uti conjurationis dederent, aliis facinus ſuum impunè fore. Idemquoque monticolæ illi ab Epiſcopo miſſi perſuadere nituntur obſeſſis, quippe inter quos illi non paucos notitiâ & cognationis nexu conjunctos habebant, imò quidam iſtorum & ipſos ſe conjurationi iſti innexos fuiſſe non diffitebantur, tantò impenſius jam in contrarium nitentes, ut poſterior fides priorem maculam elueret. Qui in arce erant, noctem ſibi ad deliberandum poſtulant. Quâ elapsâ petiit iterum Napierſcius, ut ab armorum ſtrepitu abſtineretur, vel ob Sanctitatem diei, quæ Johanni Baptiſtæ ſacra eſſet. Obſeſſores, quomodo *Homini rebelli ſacra dies adeò curæ eſſet*, interrogant, *ſimulque brevi ipſum Arcemque in ſua poteſtate fore* addunt. Vix dimidiæ horæ ſpatium interceſſit, cum agreſtium fauciatorum unus ex mœnibus fune dimittitur cum literis, in quibus reliqui agreſtes Napierſcium unà cum Mareſchalco tradituros ſeſe pollicentur,

tur, dummodo ipsi certam spem abeundi haberent. Jarocius habito cum reliquis Ductoribus consilio, facturum se quod peterent, scriptâ Epistolâ spopondit. Non multo post unus ex iis, quos Impostor Neotori â supplicio liberaverat, in mœnibus comparet, iterum iterumque quærens, num sponsioni per literas datæ fidem tutò habere possent? Affirmat Jarocius digitis in cœlum elevatis. Post parvam interjectam moram iidem illi agrestes impostorem jam vinctum, & in mœnia adductum, ex alto monstrant, nil nisi misericordiam jam ingeminantem. Interim verò obsessores, & præcipuè agrestes portas arcis invadunt, easque aperiunt. Quibus sine mora in Arcem se inferentibus, vinctus cum agresti Marescalco Napiersciús traditur, cæteris ex arce statim, prout pacti erant, ad sua redeundi potestas fit. Quo nomine Ductores postea culpati ab aliis nonnullis fuêre. Hi enim homines tanti flagitii manifestos, tàm citò & sine pœna non dimittendos fuisse censebant. Sed illi datæ obsessis fidei sacramento se defendebant: *Et noluisse se deditionem duris nimium conditionibus morari*, ajebant, *quia caput inprimis conjuratis auferendum credidissent, quorum ingentem numerum jam alibi passim intellexerant concurrere. Illo sublato confectam rem universam ipso jam eventu patere.* Cæterum ut omnes, ita & Ductores isti ignoraverant, ad idem hoc restinguendum in-

*Napiersciús capitur.*

cen-

cendium majorem è Russia exercitum venire: quippe Episcopus, simul ut in illis montium jugis agrestes coire intellexerat novum & grande inde malum veritus, maturè Regi quid apud Regni metropolim agatur, significârat. Ille re, ut æqum erat, pensitata, mittit properè tres primarios Palatinatus Cracoviensis Proceres, Michaelem Zebrzidovium, Regni Gladiferum, & Alexandrum Lubomierscium Comitem in Visnic, Stabulo Regni Præfectum, nec non fratrem hujus, Præfectum Sandocensem, cum ter mille militum manu, magnam partem stipendiis ipsorum in usum publicum autoratâ. His negotium datur, ut suo Palatinatui, & ibidem Episcopo incomprimendis his novorum tumultuum principiis, magnâ vigilantia, studio sumptuque laboranti opem ferant. Et ibant illi sat festinatis itineribus. Sed felice Episcopalium dexteritate factum est, ut post captum jam Impostorem adventarent. Ille verò tandem una cum Mareschalco Cracoviam devectus, ibidemque per vicos præcipuos stans in curru, vinctis ad tergum manibus circumductus est, plurimâ undique turbâ, ut fit, ad spectaculum effusâ. Tormentis subjectus, cum, quid hominis esset interrogaretur, nihil aliud respondit, quam *Tribunum aulicum se, & magnis mox copiis imperaturum fuisse, nisi consilia intercepta essent. Quippe spoliatâ viciniâ, & Urbe ipsâ Cracoviâ, externum se militem adducere cogitasse, & spem sibi auxiliorum à Chmel-*

*Chmelnicio*, & ex Ungaria Germaniâque luxisſe ſimilia in literis poſtea reperta ſunt, quas idem Napierſcius ( Stanislaum Lentovvski ſe in literis vocabat)ad Mareſchalcum tuum 8. Junii ſcripſerat. Inventa etiam alia epiſtola eſt, ad Napierſcium ex Germania â quodam ſcripta, quâ is, quisquis fuit, memorat, paratum ſibi eſſe numerum militum, & intra paucos dies adfuturũ, dummodo ſtipendium mitteretur. Non multis poſt diebus ſumptum de utroque ſupplicium. Et Napierſcius quidem in monte Laſſatino trajectus palo, Mareſchalcus verò decollatus eſt. Sed illius cadaver neſcio cujus miſericordia, paucis poſt ſupplicium diebus abſtulit. Et infelix ſtipes pariter abſconditus eſt. Alterius quoque membra ſub dio relicta, amica aliqua manus recondidit, ſic ut brevi nihil ex tam celebri ſpectaculo in monte ſuperfuerit. Accepi ex viro, præclaræ eruditionis, & fidei, Mathematicum Cracoviæ degentem, in hunc ipſum diem (XXIV. Junii) quo Impoſtor in Urbem introductus eſt, vincula & captivitatem Chmelnicio portendiſſe. Acceſſit hactenus ad veri confinium ars, ut eo die non adſpernandum Chmelnicii inſtrumentum in vinculis adduceretur, & Chmelnicio ipſi circa hoc tempus â Polonis clades & ferè vincula imminerent. Nam Bereſteciana Regis victoria paucis poſt diebus contigit. Dederat verò is Vir etiam antea peritiæ ſuæ illuſtre ſpecimen

quando feralem illum prædixerat ictum, quo olim infandus parricida Sigismundum III. Regem gloriosissimum, tantùm non de vitâ sustulerat.

De extinctâ hâc nefariâ, & multum sanè si adolescere potuisset, periculosa conjuratione Rex paulo post victorias Russicas accepit nuntios, qui cæterorum triumphorum gaudiis in cumulum quasi accessêre. Potocius autem ubi à Rege Varsaviam redituro, digressus erat, quam posset celerrimè persequendum hostem existimabat. Quanquam subinde ipsum fessæ ætatis tarditas, & sinistra nonnunquam valetudo attinebat. Tum quia per loca desolata & famelica exercitus ducendus erat, fiebat inde, ut multi militum elanguescerent, interirentque Germani inprimis pedites, qui evagari pabuli causa, quod equitibus proclivius est, non poterant. Visum est ergo divisione copiarum faciliorem sibi reddere annonam. Et pars Calinovio Campiductori, & Visnovecio Duci, pars Lanskoronio Palatino tum Braclaviensi commissa est, medio inter hos itinere ipse Potocius, summus Dux, cum Vexillifero Regni, aliisque tendebat. Indictum simul, ut omnes Lubartoviam cursum dirigent, quod oppidum civium frequentia, & ingenio situque intactum se hactenus servaverat ab hoste. Eòque præmissæ copiæ quædam, Cosacorum speculaturæ conatus, & si fieri possit Pavolociam,

*Potocius Cosacos persequitur.*

ciam, ipſamque Bialoccerckam celeritate occupaturæ. Paſſim autem placidè agere ſuos jubent Duces, ne violentiâ militari in extrema aut fugam magis ſtimularentur agreſtes, ſicque abſcondentibus ſe, & peſſundantibus ſua incolis, ipſa tanto magis excandéſceret, deficeretvè annona. Quamobrem & Magnates ad Subditos ſuos literas nuntiosque miſſitabant, clementiam illis ſpondentes, dummodo ad officium redirent. At Chmelnicius ubi â Chano, dato multo argento liber, & cum aliquâ, etſi tenui accipiundi in poſterum ab eodem auxilii ſpe, dimiſſus erat, Pavolociam venit, ibique primos de ſuorum clade poſtremâ & miſerabili fugâ nuntios, atque aliquos etiam ex profugis Tribunis excepit. Et quantumvis plurimum perculſus, inſtaurare tamen animum & vires cœpit ad colligendas quaſi fractæ fortunæ tabulas. Dimittit itaque per remotiores Ruſſiæ oras literas ac nuntios, quibus plebem ad conſtantiam in tuendâ causâ hortatur. *Eſſe inſtabilem fortunam, ac ſolitum ei ludum, altius mox evehere, quos paulò ante diſperſerit. Faviſſe nunc eam Polonis, ſed eandem etiam Coſacorum expeditiſſimos Superſtites voluiſſe, qui ad reſuſcitandum bellum & ſarciendam cladem ſufficerent. Regem cum majore exercitus parte in Poloniam receſſiſſe, ubi Rakocius ipſum Regni caput invaſerit. Inde ſibi tantò plus ſpatii fore*

*Chmelnicius iterum emergere incipit.*

*Plebem concitat.*

*ad*

*ad vires recolligendas, atq; avertendas, quæ jam adversùm Russos veniant, copias. Paucorum Magnatum cohortes esse exulantium nuper victoriâ, ac Russis ut subditis suis, & ut debellatis insultare parantium. Sed frustra fore istos, & esse sibi in mundo, unde tam insolentes eorum spes retundat. Confluere denіq; florem & robur Cosacicæ militiæ, & propediem adfuturos Tartaros, qui ut nuperam labem expient, tanto fortius jam pugnaturi sint.* Ita ille vulgus agrestium passim animabat, aliquo suo compendio, sed non minore etiam Regiorum. Nam his bonæ spei blandimentis retinebantur inter lares suos plurimi, qui alioquin profugi, optima quæq; vel corrupissent vel ad Cosacos iteratò coëuntes deportassent. Sicq; transeuntes Poloni tantò plus alimentorum reperiebant. Interim verò paulatim Chmelnicii exercitus, tum Russorùm, tum externæ rursum militiæ accessu, augescebant. Arguebant equidem ipsum Tartari fraudis, qui vires Polonorum extenuando, autor fuisset infelicis congressus. Et vicissim Russi à Tartaris præproperâ fugâ se desertos querebantur. Ac demq; Potocius summus militiæ Dux ad Chanum miserat literas, vim minantes, nisi is societati huic Rusticæ nuntium mitteret. Nihilominus aderant Chmelnicio Tartarorum duo, minimum, millia, quos cum cæteri domum unà cum Regulo suo tenderent, largis stipendiis induxerat, ut

*Etiam Tartaros iterum sibi conciliat.*

manerent. Postea etiam is subinde ad Chanum mittebat, magnis promissis auxilia evocans, & identidem *in suâ fortunâ Chani* quoque *securitatem verti demonstrans, se enim debellato periturum illi ingens propugnaculum, & hoc veluti ponte strato ituros in ipsum Polonos.* Sed & ad aulam Ottomannicam tres Cosaci, magnâ festinatione ablegati sunt, opem istic oraturi, simulque monituri, *affectutos opem Cosacos retundendæ Polonorum potentiæ usq; pares esse posse, sin deserantur, pace cum Polonis initâ, jussu horum arma in ipsos Turcas vertenda sibi fore.*

Interim quantum per peditem, labore, victûs penuriâ, morbisq; deficientem fieri poterat, celerabat iter Potocius, ne hosti, cujus molitiones non ignorabat, ad reparandum robur, moram daret. Et ut undiquaq; hoc quasi calens ferrum cuderetur, è Lithvvania etiam Janussius Radzivillius Princeps, firmatus tum recens non paucis turmis, Georgii inprimis Helbovicii Palatini Smolenscensis, nunc Capitanei Samogotiæ (quæ dignitas ultra nomen & Palatinos plurimos assurgit) magnis itineribus adproperat. Etenim ubi duodecim millia Cosacorum, uti suprà memoravimus profligasset, Ductoribus ipsis, atque inter eos Niebaba cæso, aliisque pluribus captis, inde Kioviam ceu caput Russiæ primarium, cùm sua sponte, tùm mox acceptis in eam rem mandatis

*Radzivilius Dux Kioviam tendit.*

tisRegiis, tantò celerius ſibi petendam duxit, relictis tamen ad Rzeczycam & Lojovum neceſſariis præſidiis, datisque porrò tribus armatorum millibus in poteſtatem Fronkievicii Capitanei Mozyrienſis, qui & Lubeczam, (ubi magnam impedimentorum partem depoſuerat Kioviam iturus exercitus) defenderet, & retundendis, præſidii Czernichoviæ Urbi à Coſacis impoſiti, excurſionibus advigilaret.

Kiovia olim ampla & florens Civitas, hodiè nihil ſplendidum, præter antiquæ magnitudinis famam habet. Cujus monumenta in vallorum, templorum, ſepulchrorumque ruderibus ſuper ſunt. Fuit quondam Ruſſiæ Dominatus ſedes, quando is magnam partem earum regionum, quæ hodiè Moſcoviæ, tùm Ruſſiæ Albæ, Nigræq; nominibus ſignantur, complectebatur. Præcipua Urbis pars, quæ vetus Kiovia hodiè vocatur, dorſum montis latè porrectum occupat. Altera inferior ſub radicibus montis, ſecundum Boryſthenem, nobiliſſimum ſeptentrionis fluvium procurrit. Citerior fluminis ripa, partim altitudine ſuâ, partim molibus adſtructis continet aquas, altera terminat ingentem longiſſimisq; ſpatiis ad Moſchorum usque fines pertinentem planitiem. Quà & fidem receptæ incolarum opinioni apud quosdam facit vel auget, affirmantium, antiquis temporibus, omnes hos campos oc- *Kiovia deſcribitur.*

 cupatos

*vid. Beauplanium libellum*

cupatos aquis, eòq; navigationi, ad ipsam usq; Kioviam, viam patuisse. Augere id dicunt anchorarum fragmina, aliaq; rei nauticæ instrumenta quod intra penitiorem humum agricolæ fossoresvè subinde reperiant. Sed quicquid de hoc sit, certè non sine argumento, Græcorum Coloniam Kioviam esse, affirmari, aut certè conjici potest: Nempè vel à Cio Phrygiæ emporio, & fortè nata inde errori vulgato ansa, quò Kiovia veterum Troja fuisse jactatur, vel ab Insula Cio aut deniq; Cianeis, quæ non procul à Bizantio in faucibus Bosphori Thraciæ sitæ fuère. Sane quæ exiguo intervallo â Kiovia distat Tripolis græcam originem ipso nomine suo spirat. Et aliud ex proximis oppidum Korostessoro, nisi Sclavonicæ merè originis est, affine quid habet Corosso, Ciæ insulæ oppido, patriæ Simonidis & Bacchylidis Poëtarum, Erasistrati item Medici & Aristonis, qui imitator Bionis fuit, Philosphi vel eo nomine hic nominandi, quod ad Borysthenem natus, atque inde dictus est Borysthenites. Sed conjecturis non nimis indulgendum est in historiâ. Nicetas Choniates, qui decimo tertio Christi seculo scripsit, urbem hanc græcè Κιάβα nominat, & Rurici, qui tum ejus Princeps fuit, mentionem facit. Idem autor Alexii Angeli res gestas memorans, fidem Russorum, ut Christianissimæ gentis laudat, interq; Imperii Bizantini propugnatores numerat Romanum Calitzæ Principem,

*vid. Strabon.*

pem, ubi omninò Haliciam Pocutiæ metropolim, ad Tyram fluvium sitam, quæ olim seorsim Principes suos, imò Reges habuit, designari crediderim. Sed Kioviæ antiquiores etiam Nicetâ scriptores meminêre. Nam & Helmoldus Presbyter Bozoviensis, qui minimum seculo Nicetam antecessit, cum metropolin Russiæ Chue dicit, haud dubiè Kioviam, vulgo Kiovv intelligit, & vetustior utroque Dithmarus Episcopus Mersburgensis, qui anno Christi 1017. Henrico Aucupe Imperatore, historiam suam, quæ exstat, conscripsit, eandem Kioviam vocat Urbem validam & magnam, Regniq; Russici caput. Ac magnitudinis quidem, si fides illi hac in re tutò adhiberi potest, sat evidens indicium ipse ibidem affert, quando plusquam quadringentas Ecclesias ibi fuisse narrat, mercatus octo. Sed ut Imperiorum sic Urbium lubrica & inconstans fortuna est. Kioviam utique ipse ille, quem toties nominovi Antistes, suo tempore â Boleslao Polonorum Duce (ita Magnum Principem, & jam tum Regem Polonorum, qui cognomento Chrobrius appellari consuevit, vocat, cui ob bella Germaniæ illata infensior erat) oppugnatam captamq; refert. Etiam aliorum postea Poloniæ Regum armis sæpissimè conflictata illa est, donec tandem unâ cum cætera Russia Reipubl. Polonæ innexa, & quæ antehac magni Dominatus caput fuerat, in Palatinatus unius metropolim conversa est. Etiam commercia, quibus antehac Urbs floruerat,

rat, bellis assiduis exolevere, cum præsertim postea Tartarorum accederent incursationes, quibus vicinia omnis miserè desolata est. Non rara denique incendia veterem ædium splendorem opesq; incolarum detriverunt. Sacra Christiana ex Præcia sub Basilio Imperatore Constantinopolitano (quanquam aliqui jam olim Andream Apostolum huc panetrasse affirmant) Russicarum Civitatum prima hæc hausit, Olhæ laudatissimæ Principis exemplum secuta, quæ Joanne Zimisse, Græcorum Imperium tenente; Constantinopolim profecta, & Christianæ religioni ritè illic initiata est. Exin Kioviæ quoque Russorum omnium Patriarcha olim sedit, autoritate aliis Patriarchis non impar. Sed cum Urbs ista sub Lithvvanicum deinceps, mox Polonæ Reipubl. cessisset dominium, Patriarchalis dignitas in Moscoviam translata est. Kioviæ verò Sacrorum Princeps Metropolita mansit, cui à Constantinopolitano Patriarcha dependenti, cæteri omnes Græci ritus Episcopi per Lithvaniam Russiamq; Polonicam, audientes fuerunt, & usq; sunt. Ex templis Ruthenicis, olim numero, ut dixi, longè plurimis, decem circiter adhuc restant. Sed in iis duo potissimum eminent, quorum alterum S. Sophiæ, alterum S. Michaeli Printipi Angelorum sacrum habetur. Prius præter religionem usitatam, multorum insuper Principum veterum sepulchra augustum fecere. Et externum ejusdem splendorem nescio qui lapilli, vitri instar relu-

*Metropolita*

*Templa*

rlucentes variis, veluтq; gemmeis, coloribus acendunt. Alteri à tecto deaurato nomen, à corpore verò S. Barbaræ, è Græcia huc ol m alato, major veneratio accesſit. Præter tot Templa Academiam quoq; hic Rusſi habent, in quâ ſuperioribus annis ingenia ad excutiendam priorum temporum inſcitiam inſtitui cœperunt. Romani ritus Eccleſiæ quatuor templa dedicarunt Poloni, poſtquam in Rusſia potiti ſuntrerum. Primarium & Cathedrale ab Epiſcopo Regni Senatore, ejusdemq; Collegio reſtitui. Alterum Patres Dominicani, tertium Bernhardini, quartum Jeſuitæ obtinent. Quorum ſtudio cum non parum Rusſico ritui decedere indies videretur, inde occultæ primum, mox apertæ Ruſſorum omnium querelæ, exſtere, tandemq; lites, belli poſtea exorta materies. Duobus circiter ſtadiis ab Urbe, ad Boryſthenis ripam mons præruptus eſt, cui oppidum impoſitum, monaſterio totâ Rusſiâ no[m]inatisſimo celebre, Pieczari vulgò à cryptis [&] ſpecubus vicinis appellatur. Locus eſt peramœnus, fruiturq; ſole admodum benigno, ita [u]t fructuum omnis generis, etiam vini, ferax ſit. [J]uglandes, perſicæq; arbores nemora hic faciunt. Crebra interſita cornus eſt, fructu cerafis ſimili, quo Incolæ familiariter & ſubinde ad restinguendos febrium æſtus utuntur. Manaſterium ex lapide ſtructum, & partim flumine partim vallo ſeptum, proventu denique locupletisſime ditatum eſt, & magnus id religioſorum

*Templa Catholicorum.*

*Pieczari oppidum & monaſterium*

ſorum numerus, ſæpe ad trecentos incolunt, qui ex S. Baſilii regula omnes, carne, vino mulſo, etſi copioſiſſimè hic afluente, perpetuo abſtinent, piſcibus aliisque parabilioribus cibis, ſucco etiam pomorum, vel corni fructuum contenti: Iidemque nihilominus impigri non ad preces tantum, ſed & alios labores manuarios, etiam ruſticos. Qui iis Abbatis digniate præeſt, Archimandrita vocatur, quaſi ovili præfectum dicas: Μάνδρα enim Græcis & ſpeluncam & ſtabulum ovium, ſeu caulam notat. In templo, quod majore ſumptu quam artificio ex lateribus ; pia majorum induſtria exſtruxit, conſpicuum maxime eſt Conſtantini Ducis Oſtrogii viri fortiſſimi ſepulchrum marmoreum, cui addita trophæa victoriarum de Tartaris Moſchisq; olim partarum monumentum. Quà ex monte, cui cœnobium inſidet, verſus Boryſthenem deſcenditur, ligneum ſacellum eſt, impoſitum faucibus cryptarum, qui cuniculorum inſtar latè ſe hinc per varios meatus exporrigunt. Quidam ſcriptores (inter quos Acernus) putant alveum ſubterraneum fuiſſe fluminis, quod olim ſe hàc in Boryſthenem evolverit, poſtea verò ſiccatum, in hominum ſanctimonia celebrium ceſſerit ſepulchrum, duodecim inprimis fabrorum, qui Monaſterium ſingulari pietatis inſtinctu condiderint. Quorum cadavera in mumiæ ſpeciem arida atque incorrupta adventantibus oſtendi ſolent a Monachis, qui & multa mira de iisdem referunt.

*Archimandrita ſeu Abbas*

*Oſtrogii Ducis ſepulchrum*

*Cryptæ ſubterraneæ.*

runt. Inter alia plura magna quoque religione ibidem ſpectantur, duo capita pelvi impoſita, ex quibus continuò oleum manare ajunt, variis morbis curandis ſalubre, & hinc longè lateque mitti ſolitum. Sed hæc obiter, dum ad Kioviam occupandam accedimus, monente adeò commodâ occaſione locique celebritate interſerere hic libuit. Cæterum antequam Kiovienſem terram intraret Princeps, jam illic infeſta omnia reddiderat Vicentius Goſievius, M. Duc. Lithvaniæ tum Dapifer, Pripeti viciniam fortiter hactenus tutatus, & poſt auditam Niebabæ cladem præcipites hoſtis res non ſegniter urgens. Quippe & Czernobito oppido binos Coſacorum depulit Tribunos, & eosdem Kioviam fugientes ad Hirpam fluvium aſſecutus, armis confertis ita profligavit, ut trepidiſſimâ fugâ Kioviam ſe reciperent. Ubi cum vires recolligere viderentur, id præpediturus, non ipſe tantum propius ad Urbem copias ſuas movet, ſed & Principem monet, ut eò citatiori agmine acceleret. Ultrò currenti admovebatur calcar. Namque eodem quo invitabat Goſievius, toto animi impetu ferebatur Princeps. Ac ne Urbi per ſe populoſæ, & tum numeroſis Coſacorum præſidiis inſeſſæ paucitate copiarum impar eſſet, mandat eidem Dapifero, ut quicquid militis haberet, prope Visgrodium oppidum Kioviæ proximum, ſuo venienti exercitui adjungat. Cum id factum eſſet, Princeps cum expe-

dito mille equitum agmine Urbi ſuggreditur non tam intrandi ſpe, quam loci ſpeculandi conſilio. Cum ad vim propulſandam animatos oppidanos deprehendiſſet, reverſus exercitum dividit, id agitans, ut pars à S. Sophiæ monaſterio, quà vetus valli urbici hiatus eſt, irrueret, pars ab oppido Visgrodenſi, terrâ fluvioque ſuccederet Urbi. Quo fine quindecim equitum turmæ ſecundum ripam Boryſthenis à Svarzovio & Polubinſcio Succamerario Sloninenſi, pedites verò ocingenti navigiis impoſiti flumine ſecundo ducebantur. Omnes exploſi torment, ſonum expectare juſſi ſunt, qui ſimul increpuiſſet, irrui undique in urbem debebat. Sed hoſtes conſpectis ſub ſolis occaſum navigiis & vexillis Radzivillianis, noctis mox beneficio ad quærendam fugâ ſalutem uſi ſunt. Alii tam adventu Principis, quam militum ſuorum abitu perculſi, non aliud tutius, quam ad clementiam Victoris ſupereſſe videbant refugium. Quidam etiam id quod jam fieret, futurum ante augurati, lubenter & quaſi ex præparato ad deditionem faciendam, deprecandamque violentiam feſtinabant. Miſſi itaque ex Urbe, qui literas ſupplices afferrent, nomine Sylveſtri Coſloviæ Metropolitæ, Joſephi item Trisnæ. coenobii Ruthenici, quod ibi celeberrimum eſſe dixi, Archimandritæ ſeu Abbatis, nomine denique Magiſtratus totius Civitatis, ad omnes exercituum tum Regni, tum

*Kiovienses supplicant*

tum M. D. Lithv. Duces, totumque exercitum scriptas. In quibus magna solicitudine *ne Urbi sua, aut templis vis aliqua inferretur, deprecabantur, à se nempe in Regem nihil unquam hostile tentatum, sed pro incolumitate ejus preces subinde fusas, multorum item Nobilium virorum fœminarumque inter hos bellorum æstus vitam & fortunas in tuto apud se mansisse. Ad verum ipsorum testimonium nunc se provocare, & citius missuros fuisse supplicis animi indicium, nisi armati undiq; viam obsepsissent.* Cum literis istis dimissi plures, sed lentius ad Potocium venit Monachus lator literarum, & eo nomine à Duce illo perstrictus difficultatem itinerum obtendit. Citius Radzivillio occurrêre deprecatores, cujus scilicet arma ex proximo jam Urbem circumsonabant. Et movêre illum Principem supplicum preces, ut Urbem armatus 4. die Augusti ingressus, nihil nisi arma, & nocendi potentiam oppidanis, quos reperit, auferret. Nam plurimi eorum seu sibi male conscii, seu Victoris clementiæ non satis fidentes, antequam is Urbem intraret, aufugerant. Chmelnicius tantâ Urbis jacturâ intellectâ, eò sollicitius dispersas convocabat vires, ac quadam velut desperatione ad extrema accingebatur. Et promptos satis ad tentandam denuò aleam experiebatur non Cosacos tantum, sed & plebem alicubi, adeò ut inter agrestes quoque sonarent voces, *turpe esse ob unius prælii sinisteriorem succes-*

*Kioviam ingreditur Dux*

*ſucceſſum, cadere penitus animis. Fugatos aliquando, qui nunc fugarent, & poſſe eodem revolvi fortunæ rotam. Quod ſi in Ruſſos cum Polonis ſors porrò conſpiraverit, fore ſub Turcâ ſedem, ubi vitam melius, & cum libertate agere poſſint, ac jam eo nomine ſcriptas ad Baſſam Siliſtrienſem literas.* Non exigua igitur hominum vis confluebat denuò ad Chmelnicium, alicubi etiam ſuo ductu bellum reſuſcitabant Caſaci agreſtesq; inprimis qui ad Tiram fluvium Valachis loco & latrocinandi ferocia propiores ſunt, adeò ut deliberandum eſſet Potocio Duci, an filio ſuo Præfecto Camenecenſi, qui hactenus quà poterat conatibus iſtorum fortiter obſtiterat, ſubmitteret opem, an illum potius ad ſe accerſeret. Sedit conſilium ad majorem ut is exercitum vocaretur: Quo etiam (XVII. Auguſti) cum duobus millibus appulit. Bohuni præcipui Coſacorum Tribuni, Scribam, quem in itinere cæperat ſecum ducens: Nondum autem is advenerat, cum ſummus Dux Bialocerkvvam verſus tendens, ſeptem turmas præmiſit, ſi nihil ſors daret amplius, ſaltem de hoſte certos aliquos allaturas nuntios. Sed eæ Pavoloviciam oppidum Joannis Zamoſcii Præfecti Calaſſienſis tranſeuntes, quia magnam rerum omnium copiam repererant, non modo largiter ſe invitârunt, ſed & violenter proterveq; admodum, quæ abſumere non poterant, corrupêre. Unde & ſecuta eos

*Ad Pavoloviciam clades*

eos præproperè ultio est, vix enim paulum ultra Pavoloviciam progressi erant, cum bis mille Cosaci, & quingenti Tartari à Chmelnicio emissi, obviam iis fiunt. Quodq; animosè hi invehi viderentur, illi omnem hostilem potentiam adesse rati, retrò Pavoloviciam versus flectunt, curribus, quos in Urbę ultra fas, nec esculentis tantum, sed varii generis rapinâ impleverant, hosti relictis. Ac ipsos ad portas usque Pavolovicianas persecutus est Cosacus & Tartarus: Bonâ tamen fortunâ his exultanter admodum refugos urgentibus supervenit Vonilovicius, Visnovecii Principis Centurio, postea majorum copiarum strenuissimus Ductor, qui facto in medium hostium agmen impetu, ita divulsit dissipavitque persecutores, ut pars Bialocerkvvam, pars in castra sua retrò ageretur, pars caderet aut caperetur. Qui ex Tartaris capti erant, interrogati de numero Tartarorum, qui jam Chmelnicio mererent, *duo millia adesse, sed propediem quatuor insuper millia accessura: reliquos autem omnes Tartaros pascere equos suos, & pariter in Polonos accingere se jussos*, affirmabant. Idem alii captivi, quos Juricza & mox iterum idem Vonilovicius adduxit, uno ore asseverabant, hoc simul de novissimâ hâc impressione addentes, creditum Ductoribus suis, aliquos duntaxat Magnatum Polonorum ad ditiones suas tendere, tantoque adeò animosius impetum in turmas illas factum,

*Visnovecius succurrit Polonis laborantibus.*

factum. Potocius de hostis viribus, & quæ sperarct auxiliis Tartarorum edoctus, sistit nonnihil gradum, impedimenta & pedites, qui lentius procedebant, præstolaturus. Interim autem cum cæteris militiæ capitibus, quid factu opus videatur, deliberat, nonnulli *celeritate agendum* suadebant, *petendumq, ipsum caput belli Chmelnicium, antequam Tartaricis suppetiis magis firmaretur.* Alii inter quos Visnovecius *Chrastorum in itinere, quà Kioviam iretur, situm oppidum, flectendum esse contendebant, quò proclivior esset cum Radzivillio consiliorum communicatio, & denique conjunctio armorum.* Posterius perplacuit summo Duci, sed sic tamen, ut adhuc impedimenta & cæteras copias expectandas sibi putaret. Nec properari potuit ob languidiorem peditem, & ne inconsulta celeritas induceret in insidias exercitum. Quanquam nec Eques se rectè habebat, is præsertim, qui cum Calinovio in Podolia militans impedimenta & equos meliores amiserat. Quare Pavolociæ aliquot dies extracti, non sine damno illius tractus, sed hæres ejus Joannes Zamoscius Præfectus Calusiensis, per Palatinum Braclaviensem super ea re compellatus, *& hæc, omniaq, sua bona, & se ipsum Reipubl. usibus consecratum devotumque esse*, respondit. Dum hic ageret exercitus, nuntium accepit de obitu Hyacinthi Rozdrazevii Tribuni, viri illu-

*Lentiores Polonorum progressus*

*Hyacinthus Rozdrazevius perit*

illustri genere, fortitudine, peritiâ rei militaris, & rerum gestarum gloriâ inter præcipua Poloniæ decora numerandi: Lubartoviæ relictum, contagiosus, ut perhibent, morbus abripuit. Sed paucis post diebus funestissimum iterum Poloniæ Universæ mors dedit ictum, cum Jeremiam Michaelem de Koributh Ducem in Visnoviec & Lubne, Palatinum Russiæ, Præfectum Premiliensem, in flore ætatis, in ipso gloriæ cursu incredibili Patriæ damno, & summo omnium luctu sustulit; Ingentem hujus Reipubl. Virum, & merito cum curâ dicendum. Exsomnis indoles, animus magnorum capax, & inclarescere properus, ad ardua capessenda mox juvenem impulere, ac ipsa ad fines Russiæ sita, Scytharumq; incursibus opportuna hæreditas amplissima, campum ei virtutis patentissimum aperuerat. Simul atq; apta armis ferendis ætas ejus exstitit, nullum pene cum Tartaris habitum certamen est, in quo is illustria animi non dederit specimina. Et in fatali illâ, post Uladislai Regis excessum, Regni & felicitatis simul Polonæ ecclipsi, nemo alius hostem, post cæsos Regni exercitus in viscera Regni grassantem fortius & præclarius sustinuit. Unde eum vox publica semper summo belli Regimini destinabat, sed nescio quâ velut obstinatione subinde restitit fortuna. Primum cunctabantur quidam summæ autoritatis viri,

*& Jeremias Visnovecius*

*Ejus vita & actiones.*

viri, tam fervidæ & ætatis & indolis, tam potenti præterea & in Aulam obliquo Duci credere Regni protectorem exercitum, & ubi adeptus denique erat clavum belli, reddidit mox eum Duci Potocio, qui ea poteſtate per cladem publicam evolutus, cum è captivitate rediiſſet, munia ſimul ſua repetebat. Bellum hoc Coſacicum exuerat illum penè omnium, quas vaſtiſſimas habebat facultatum uſu. Nihilominus tamen ei ſtudia Nobilitatis illibata manebant, quæ is rebus florentibus, raro illo animi vigore, pulcherrimarumque perpetuâ facinorum gloriâ, tum inprimis comitate & beneficentiâ plusquam civili ſibi firmaverat. Suſcepta porrò cum nonnullis Magnatibus, Nobilitati minus gratis, certamina, & hinc ortæ fortunarum bonorumq; remoræ augebant illi ex miſeratione quodammodo amorem. Non exiguum quoque is priorum decorum titulis noviſſimo prælio addiderat cumulum, cum primus ipſe in hoſtem duxiſſet, & ad clariſſimam victoriam non parum addixiſſet momenti. Ac ei porrò etiam ſpes publica civium, in perfringendâ, & conficiendâ hac rebellionis excetrâ, partes minimè poſtremas aſſignabat. Sed cœpta ac vota omnia intervertit fatum præcox, cum quem tot ante præliis, tam præſenti periculo ſuperſtitem ſervaverat, nunc acuta febri immiſsâ XX. Auguſti abripuit. Magnos planctus in caſtris mors iſta excitavit. Nec potuit quic-

*Luctus ob mortem Visnevecii.*

quicquam in hostem tentari, antequam tanto funeri utcunque justa essent persoluta. Itaque XXV. Augusti) major pars exercitus, inversis armis, & militaribus cunctis, sed sinceris luctus indiciis longe extra castra cadaver prosecuta est. Postero die movit castra lugubria Potocy, publico mœrori à negotio quærens solamen. Et primò omnium Trilisium, oppidum bene firmum, & magnæ remoræ, nisi præciperetur, futurum, aggredi visum est. Præmissique mox, qui deditionem postularent loci. Cum ferocius respondissent qui in oppido erant, præter alios Sigismundo Przgemscio rei tormentariæ præfecto, eidemque Notario Campestri, nec non secundum hunc Johanni Brkio, Bogusla: Radzivillii Principis tum Pro-Tribuno demandatum est, vi ut oppidum adorirentur. Illi selectis ex Germanicis cohortibus septingentis militibus, & tormentis aliquot minoribus instructi rem strenuè administrant, eò eventu, ut ipsi quidem septuaginta viros, atque in iis binos ordinum Ductores, Matthiam Wahlium & Straussium amitterent, oppido tamen, & intra alteram postea horam, arce etiam vi fortiter admota potirentur. Nimia obstinatio Oppidanorum esse visa est, quæ tot bonos milites absumserat. Et fœminæ in repellendis oppugnatoribus, mixtæ vel præviæ viris, multum intulerant damni, adeò ut & Straussium Centurionem mulier falce intere-

*Trilisium excinditur*

misse feratur. Eò minus parcendum esse visum est, tàm noxiis, etsi veniam poscentibus, & cum Germanis cohortibus in oppugnatione supervenissent, Ductore inter alios Conratscio, Polonicæ, nihil non iræ & gladio in oppido occupato permissum est. Viri minimum mille periêre. Ipse qui locum præcipue defenderat Cosacorum Ductor, captus est. Non ætas non sexus miserationem attulit Domûs, & quæ usquam in oppido reperta, militi in prædam cessêre. Quæ auferri non poterant, vel non merebantur, cum oppido universo flammis dicata sunt. Nimirum quod homines isti nimia obluctatione irritaverant Regios, digni visi sunt, qui in exemplum, quo alios terreret Victor, damnarentur, excusatiore severitate, cum semel asperior esse sustinet, ne esse sæpius cogatur. Hic sanè non infeliciter cessit inclementia. Ignis enim ille longius, quam ureret, lucens. Chvastovum locupletem Episcopi Kioviensis, sed ab hoste jam infessam Urbem, ita perterruit, ut non trecenti tantum, quibus tutela loci commissa erat, Cosaci, sed & Oppidani universi profugerent. Ita nemine penitus resistente, Urbs firma satis ad resistendum, & non pauco alioquin sanguine constitutura, in potestatem Regiam redacta est.

*Chmelnicius compo-* Hic circa tempus Chmelnicius compositionem tentare cœpit, missis ad summum Ducem literis, in hanc sententiam. *Se & Cosacos in servan-*

*servandâ pactione Zborovianâ, & in obsequio S. R. Majest. adhuc constantes, injuriam quidem hactenus passos, attamen id quicquid sit, Deo relinquere, nunc verò orare Potocium, consilio & autoritate sua efficere tentaret, ut posito tandem isti sanguinis humani diluvio obice, exercitus Cosacicus Regiâ benevolentia, de integro ut olim fruatur.* In aliis literis etiam fortunæ, & ancipitem belli aleam ostendere ausus est Potocio. Cæterum multis parum fida esse credita est hæc de Pace Solicitatio, qui nihil aliud quæri ab eo ajebant, quam moram temporis & elicienda à Tartaris majora auxilia. Uti equidem aliunde etiam intelligebatur, illum præter sex millia Tartarorum recens accepta, perpetuis adhuc flagitationibus majorem Chani Crimensis & Turcarum opem advocare. Nihilominus explorare hominis mentem placuit, quibus conditionibus Regi ac Reipubl. conciliari vellet. Sed is tàm ardua postulabat, ut omnis compositionis conatus vanus futurus esse videretur. Eò magis denuò ad arma undique conclamabatur. Præstolari tamen Principem Radzivillium statuerat Dux exercituum Potocius, ut junctis viribus posthac in hostem iretur. Et commeabant identidem literæ, quibus mutuò quid ageretur, & quid factu opus esset, significabatur. Hæserat autem per sesquimensem ad occupatam à se Kioviam Radzivillius, dum Regia mandata, & exercitus Poloni propiorem ac-

*tionem tentat.*

*Potocius Radzivillianorum adventum expectat*

ceſſum operiretur, ſed nec tutus iſtic, nec ſecurus unquam agebat. Neque enim ceſſabat hoſtis veſtigare, quà illius vires accident, iterque intercipiceret, ne cum Polonicis copiis conjungi poſſet. Ita circum circa diverſis partibus excubabant copiæ. Et oppidum duobus circiter ſtadiis ab urbe ſitum quod à crytis ſubterraneis Pieczari vulgò nuncupari diximus, valido præſidio defendebat Albertus de Galovvice Gorecius, M. Ducatus Lithuaniæ Stabuli Vice-Præfectus. Decimâ ſextâ Auguſti Kioviæ excitatum (incertum qui autore vel caſu) incendium, ſexaginta domos exuſſit; Poſtero die circa meridiem denuò coortus ignis, majorem noxam dedit. Præter vulgaria ædificia & tabernas cum mercibus deuſtas, plusquam ducentæ Aulæ Nobilium deflagrarant. Templa item plurima, tàm Romani quam Græci ritus, & inter hæc ex vetuſtiſſimis unum, quod à Vlodimiro antiquo Kioviensium Duce exſtructum ferunt, Cathedralis & Dominicanorum ædes integra manſit, quanquam & huic illapſæ erant flammæ vix à milite demum extinctæ. Auxit verò ignem afflans appetente veſperâ vehemens ventus, unde ſparſa latius flamma ipſis advolitabat caſtris, & niſi præaltus in quo poſita erant, mons interceſſiſſet, correpta fuiſſent eadem clade. Rediit ſub hæc ab excurſu verſus hoſtem facto unus ex Radzivillianis Ductoribus Noldius. Qui ubi non procul portâ Kioviensi, aureâ dictâ

*Incendium Kioviæ*

dictâ, conſtiterat, animadvertit Coſacos Tartaris mixtos, ſuccedere proximo molendino, & curribus ſuorum famuliſque manum injicere. Illico bellicum canitur, & à Principe expedita aliquot agmina Ductore inprimis Alexandro Polubinſcio Palatini de Parnavienſi mittuntur, quæ hoſtem fortiter rejiciunt, adeò ut is non ante alterum à caſtris lapidem trajecto iſtic Ponte gradum ſiſteret. Loci poſtea uliginoſi fiduciâ reſtitare auſus à Vechmannianorum Dragonum manu gradiorum pilarum jactibus denuò diſjicitur, & mox ſuccedentibus Svvarzkofii & Sackenii equitibus, quorum trajectum fumi oborti caligo hoſti inconſpicuum reddiderat, ſtragem non exiguam patitur. Ita territi illi ad alterum inde lapidem refugiunt, ſed ſimul aliquos inſequentium cædunt, ſauciantque. Interim equites deſultorii ac mox alii ſubveniunt, & hoſtem, ponte, præter ejus opinionem ſuperato, ita excipiunt, ut capti circiter centum, & in univerſum mille fermè deſiderati ſint. Erat autem trium millium illa manus Coſaci magnam partem, ſed quibus multi agreſtes acceſſerant. Tartari à conflictu abfuerunt, è longinquo nempe fortunam expeditionis iſtius ſpeculati. Cæterum quotquot hic pugnatores adfuêre, miſſi quidem à Chmelnicio, ſed citius quam juſſi erant, commiſerant pugnam, expectare enim alia ſex millia debuerant, & ita junctis copiis undique caſtra Radzivillii de

nocte aggredi, sed Noldium præpoperè infectati, cladem sibi acceleravêre. Neque postea tamen infestos habere, & quà posset per insidias solicitare Radzivillianos desiit hostis: at vigiles semper & intrepidos expertus, qui etiam dein aliquandiu Urbis possessionem reliquit Principi. Interim aliæ identidem remordebant curæ. Nam & hinc crebrò solicitabatur à Ducibus Polonicis, ut copias suas ipsorum exercitui adjungeret, id & *Regem velle, & necessitatem poscere, cum magis magisque indies tabescentem exercitum, nulla ex Polonia suffulcirent subsidia.* Et valuere in animo Principis rationes, ut conjunctionem eam & ipse censeret necessariam esse. Ceperatque is jam modos dispicere, quibus illa commodissimè fieri posset, cum deliberanti nuntii afferentur, *novum & ingentem Rebellium exercitum, in Lithuaniâ coiisse, qui junctis cum præsidio Czernichovíensi viribus, grande iterum illi terræ periculum minetur. Jamque passim in seditionem rursus animos plebis tumere, quia & non sentiat quenquam coërcendo huic novo exercitui parem. Hunc verò & augescere indies, & impunè grassari, demumque Lubeczam, ubi copiarum suarum & impedimentorum non exiguam partem Dux reliquerit obsidere.* Vehementer inde solicitus Princeps in ancipitem deliberandi curam distrahi cœperat, quò primum exercitus esset ducendus. Sed spes, quam

de

de virtute Lubeczensis præsidii habebat, tùm assiduæ Ducum Polonicorum invitationes, inprimis verò evidentius præsentiusque periculum, quod à capite & stirpe quasi ipsa rebellium hic impenderet, toti rei Polonæ, vetuerunt mutare prius consilium. Interim conjunctionem ita fieri posse optabat, ut non procul à Kiovia, & à Borysthene opus esset discedere. Ex eo flumine in utramque ripam liberas pabulationes, & in hostium excursus, maximo sibi usui fuisse hactenus, & usque futuras. Si videretur Ducibus se Tripolim Borysthení vicinam Urbem oppugnaturum, ipsi eodem tempore Bialocerkvvam aggrederentur. Id ut persuaderet Ducibus, ipse quindecim turmis comitatus tendit in castra Polonica, quæ interim illi Vasilikovvum promoverant, ut propius abessent à Radzivillio. qui & persuasere denique Principi, ut exercitum suum propè HermanovvkamPolonico pateretur adjungi. Cæterum non fefellit iter Principis hostem, qui absentiam ejus suis molitionibus opportunam fore ratus, castra, Duce vacua, aggredi statuit. Mittit terra quinque amplius millia, flumine Borysthene tria alia millia hominum, non Urbi tantum subrepere ita, sed & scaphas Principis istic relictas occupare sperans. Verum infeliciter provenit machinatio. Nam illos qui terrâ iverant Calinovius Campiductor, Johannes Czcavinscius Palatinus Brestensis, Petrus Potocius Præfectus

*Castra Radzivilliana infestantur à Cosacis ad Kioviam*

Camenecenſis, deprehenſos, tanta virtute ac felicitate ceciderunt, ut vix niſi pauciſſimi effugerent, capti ſunt trecenti. Et parta eſt hæc Victoria permodico ſanguine, cum hic vix ſupra quindecim perierint, inter eos Centurio Joannis Zamoſcii Præfecti Caluſſienſis, qui ipſe huc Calinovium comitatus milite ſuo non parum momenti ad victoriam attulit. Cæteri Coſaci ſecundo flumine advecti, cum ſocios non reperiſſent, & fruſtra expectarent, abire tamen noluerunt, quin circa Urbem periclitarentur fortunam. Sed præſidiarii maturè à Radzivillio moniti, Ductore Samuele Comorovio, cui curam rerum & reliqui exercitus abiens Princeps commiſerat, repulere fortiter hoſtem ſuggredientem. Itaque ab urbe quidem is irritus abiit, ſchaphas tamen tres celeritate abripuit. Sed poſtea eidem ad ſuos ire paranti machinis grandioribus à monaſterio Nicolojano multum noxæ illatum eſt, fuitque, cum novem cymbæ Coſacis refertæ, tormentariis ejusmodi ictibus, juxta cum onere ſuo mergerentur. Inter hæc Chmelnicius, tametſi novis Tartarorum auxiliis ſuccinctus, ad pacem iterum inclinare cœpit. Et hinc pariter ab Adamo Kiſielo Palatino, Kiovienſi ſtimulabantur identidem Duces, ut ignoſcendo bellum, quam mutuo ſanguine finire mallent. Quando inprimis Polonus etiam exercitus non laborum tantum pugnandique aſſiduitate, ſed & morbis admo-

*Kiſielus laborat iterum in pace componenda.*

admodum attereretur. Ac mitigati illi quidem hactenus sunt, ut missos à Chmelnicio nuntios, pacis ineundæ quasi vadum prætentaturos, non implacidè acciperent, cum inprimis à Rege etiam literæ adessent quibus æquæ ac decoræ pacis ineundæ potestas fiebat Ducibus. Nunciis illis ad suos revertentibus additus est ex Centurionibus spectatioribus Nahoreski, pariter animum hostilem altius scrutaturus. Hic aliquot diebus istic detentus, tandem cum tribus aliis Cosacorum internuntiis in castra Polonica rediit. Illi ad Duces admissi, nomine suorum veniam patratorum orabant simulque literas reddebant idem petentes. Juxta verò Chmelnicius iterum Virum aliquem dexterum mitti postulabat, quò cum Vihovius homo Polonus, tùm verò exercitus Cosacorum Notarius, Chmelnicioque ab Epistolis & secretis cœptum opus continuaret. Mittitur itaque Machovius Equestris Centurio cum literis Potocii summi Ducis, in quibus quod Chmelnicio Ductoris exercitus Zaporoviani non dabatur titulus, ea res hominem non parum turbavit, & injuriam, quam Duci suo factam, putaret, præter reliquos asperabat verbis Dziadzialus, ex præcipuis Tribunis unus. Sed à Machovio idoneis rationibus amota hac solicitudo, & arrectis omnium auribus lecta est epistola. Postea semotis arbitris, de amandandis extemplo Tartaris agi cœptum. Ad quod cum Chmelnicius,

*Exercitus Poloni defectus*

*De pace prætentamenta.*

nullis etiam Vihovii, intimi alias Consiliarii rationibus induci posset, institit Machovius reditum vel reinfecta ad suos, & eò usque urgens, donec denique Cosacus post cæteras conditiones utrinque approbatas, hanc quoque non recusaturum se pollicebatur. Postulatum porrò ut Chmelnicius ipse cum Tribunis nonnullis in castra Polonica, fide fretus Ducum veniret. Sed id non tàm Chmelnicius, quam Tribuni cæteri, & plebs Cosacorum, abnuebant. In campo autem negotium istud tractare non tutum satis videbatur ob Tartaros, quorum violentas manus ægrè evitaturi essent feciales pacis. Itaque Vihovius penè supplex orabat, ut in arce Bialocierkvviana hic de pace congressus haberetur. Omnia hæc cum redux à Cosacis Machovius retulisset Ducibus post accuratam deliberationem, decretum denique est mittere Commissarios, destinatique mox eo sunt, Adam Kisjelus, Palatinus Kioviensis, Georgius Helbovicius, Palatinus Smolenscensis, Vincentius Corvinus Gosievius, Dapifer M. D. Lithuaniæ postea Thesaurarius Lithuaniæ & Campiductor, & Michael Cossacovius Subjudex Braclaviensis. Qui XV. Septemb. valido satis cum comitatu castris egressi, in oppidum tamen nonnisi quingentos equites induxêre. Plebi hostili ingratus erat istorum adventus, & multi non temperabant sibi, quin vim minarentur inferrentque ingressis fas scilicet gen-

*Delegati pacis causa eunt Bialocierk-vviam.*

gentium nihil morati. Prævidebant isti tractatione pacis, sub jugum quod excussissent sibi redeundum fore, laborumque adeo suorum & sanguinis fusi non melius reportare se pretium indignabantur. Ea de re moniti à Delegatis Duces exercituum, properè rationes quærunt securitati iterum consulendi. Et sine morâ ablegatur cum sat validis copiis Calinovius Campiductor, ut tàm eximia Reipubl. capita è periculo quod imminere iis videbatur ad castra usque reduceret. Sed illos Campiductor diu frustra præstolatus est, adeò ut inopia victus redire in castra cogeretur. Tantò major solicitudo incessit Duces militesque, qui alii alia, omnes tristissima quæque Delegatis istis timebant, damnantesque jam quoque fiduciam suam, qua hosti nimium credidissent. Postero die rumor anxiis affertur, venire Delegatos, sed ab hoste in itinere infestatos auxilio egêre sine mora promptissimus quisque militum, & famulitii castrensis turba sat numerosâ effunditur laborantibus opem ferre quærens. Incidunt in Delegatos venientes, Sabios quidem ipsos, sed impedimentis suis magnam partem à Tartaris exutos. Hi enim viso Procerum istorum splendore in opimæ prædæ spem illecti, & porrò quia hanc sibi pacem multum noxiam fore olfecerant, comitantibus gregariæ plebis agminibus sat validis, pridiè adorti erant currus Delegatorum, & eosdem, oppressis facile, qui currus

*Infestantur à plebe.*

*Spoliantur.*

rus

rus ducebant Polonis, expilaverant. Periit hic quoq; Nahorovius, quem paulò ante in pacis negotio ad Cosacos præmissum retuli. Inde mox pari violentia in Delegatos ipsos itum erat. Sed hos necessitate in sui defensionem concitos, tum sua virtus, tum inprimis veteranorum Cosacorum, atque ipsius Chmelnicii fidelis hic opera, nō sine multo auscultantium istorum latronum ( ita enim dici merentur ) sanguine in Arcem reduxerat incolumes. Sed qui in necem Delegatorum conspiraverant, hos sibi elapsos esse indignantes, in Arcem quoq; ipsam noctu irruere parabant, quod haud dubiè sperarent, ibi etiam fore aliquos, qui tractationum istarum conatum, nullo successu, & cum ignominiâ Polonorum vellent finire. Verum Arcis & Legatorum securitati, positis, ubi opus esset vigiliis, ita prospexerat Chmelnicius, ut in irritum abiret conjuratio. Idemq; tandem gravi pœnarum in hostilia ausuros denunciatione factâ, Legatos valido armorum comitatu, stipatos deduci curavit ad eum usque locum, ubi à suis obviam venientibus excepti, in tuto esse videbantur. Cæterum etsi periculo quidem, damnoq; non parvo constitit iter hoc Delegatis, non tamen nullum etiam pretium ejus videbantur referre. De omnibus enim ferè quæ utrinque postulabantur, istic convenerat, pauca duntaxat quædam reservata, de quibus postea in castris usq; disceptandum fuit. Itaque cum nihil adeò grave obstare videretur, quin brevi colophonem suum

*Ægri liberantur.*

um

um acciperet pacis negotium, visum est Ducibus, ad locum ubi sacramentum iterare Chmelnicius, & præcipui Cosacorum Tribuni debebant, propius admovere copias: Adeoque XX. Septembr. Hermannovvkâ mota sunt castra, & versus Bialocierkvvam totus exercitus pulchro ordine & apparatu processit, Lithvvanis lævum, Polonis dextrum latus tenentibus. Postero die mittit Chmelnicius literas, quibus exercitus accessum mirum sibi accidere nuntiat, nihilominus Commissarios in crastinum adhuc mitti petit, rem omnem tandem consummaturos, seq; vicissim suos missurum spondet. Mittuntur hinc viri duodecim, illinc totidem adsunt, sed inter quos paucissimi ex primiceriis Cosacis erant. Hi primum turmas aliquot Polonicas in proximo stare questi, cum nonnisi ad Tartarorum undique imminentium incursiones arcendas venisse eas audivissent, obsidibus duobus acceptis, ad postulata suorum exponenda accessere. Ea hæc erant.

*Exercitus Polonus procedit.*

*Chmelnicii querela de exercitu appropinquante.*

*I. Pactis Zborovianis ut stetur. Deinde copiæ Polonicæ ut recedant. Postremò integrum ut ipsis maneat, cum Tartaris amicitiam sartam tectamq; conservare.* Hos enim libertatis suæ custodes esse. Portentosa omnia videbantur, & longè nimirum alia ab iis, quæ his aliquot diebus agitata sunt, nonnisi extremam jam manum visa desiderare. Exprobrataq; illis inconstantia, & novus hic fastus, quem haud dubiè,

biè, novæ quæ venerant Tartarorum copiæ, & fallax aliqua de Turco auxilio allapsa aura iis sufflasset. Monitumq; simul, *ne vanarum pollicitationum fiducia se suosq́;, omissis mitioribus consiliis, in exitium præcipitarent.* Inde desperatâ jam pace, meris jam belli meditationibus incumbi cœptum est,& exercitum curatissimè ordinatum, versus castra Cosacorum promovêre Duces: Radzivillio, & quæ sub illo erant copiis Lithuanicis dextrum latus, incursionum hostilium periculo maximè obnoxium dabatur, sinistram alam Calinovius Campiductor ducebat. Medium aciei Potocius summus Dux, & cum tormentis Sigism. Przyemscius tenebat. Cosaci pariter effundebantur, Tartaris intermixti, sed quasi speculaturi duntaxat, quid Polonorum agitaret exercitus. Plurimi etiam temulenti, & clamori excitando, quam ciendis armis aptiores: Quippe Chmelnicius, uti post intellectum est, septem ingentes cados, spiritus ex siligine eliciti, promiscuo omnium usui, promi paulo ante jusserat. Cum hostem præbita conciliationis specie ludificari hactenus visum, nunc tandem in campos egredientem vidissent Poloni, præcipuis quibusq; prælio decertandum videbatur. Sed repugnabat Potocius, sine quo sciscì nil poterat. Interim tamen turmæ nonnullæ eo jam loco erant, ubi pugnandi non copia tantum, sed necessitas oblata talis videbatur, ut honestè effugi non posset.

ſet. Quibus cum hoſte velitantibus, ſpectatus bellator Stephanus Czarnecius,& moxStanislai Potocii Palatini Podolienſis, nec non alterius Potocii Præfecti Camenecenſis copiæ ſuppetias,ipſo etiam conſentiente tandem Duce exercituum, tulêre. Ante omnes verò alios dextra aciei ala acerrimè invecta in hoſtem, campo cum ſub ipſa usque caſtra ejus ſubmoverat, in quæ & ipſa factus impetus,forteque eam bello victus fuiſſet hoſtis, niſi primum tardiore ſummi Ducis in prælium conſenſu, deinde & aliorum quorum tum intra ſtationem ſuam obſtinata cunctatione dies penè elapſus, & nox paulo poſt ſuborta,juſtum inſidiarum metum prudentibus feciſſet. Non pauco ſanguine, ſed majore periculo conſtitit hic dies Coſacis. Noſtrorum exiguum damnum fuit, niſi quod Voronecius inſignis equitum ductor, trajecto per tempora jaculo, occubuit. Poſtero die Chmelnicius, par Rcitarovium equitum ductorem,de copiarum Polonicarum appropinquatione iterum multa queſtus, nuntiari tamen juxta jubet, *hoc quicquid Coſacorum heri ad arma, juncta cum Tartaris manu veniſſet, non juſſu,& pergratum ſibi eſſe, non in majorem ſanguinis effuſionem incaluiſſe pugnam, neq; adeo ſpem usque pacis occiſam, ad quam ut cœpta ſit, ipſe adhuc maneat paratus.* Sed hoſti inter pacis oſtentationem belli moras & augmenta virium quærere viſo, irati jam omnes,& ſi ob morbos exercitum vaſtantes, tempori & neceſſitati hacte-

*Pugnatur cum Coſacis.*

hactenus quid dedissent, haudquaquam amplius contendebant fidem perfide habendam. *Kisielus pergit in pacis conatibus.* Kisielus tamen Palatinus ad mitia semper pronior, duas saltem horas illi usque largiendas esse censebat, intra has nisi ad æqua annueret, non obstiturum se posthac, quin elusa pacis consilia, armis vindicarentur. Nonnisi serò jam die responsum misit hostis, & antequam id afferretur, plebs interim Cosacorum nihil non hostile tentabat. Pars in camporum aperta effusa, animos Poloni exercitus in se avertebat, pars nemorum ac dumetorum latebris suggressa imminebat castris; hæcque eadem à tergo Tartarus adoriebatur. Sed longè citra votum stetête, quod erat, non amittere, si quod affulsisset rem bene agendi contra Polonos occasionem, aut si nihil aliud efficere possent, terrore saltem sparso tantò optabiliores obtinere conditiones. Præcipua tum eorum vis in aggerem quendam Polonis per opportunum incubuit, quem & suggressu doloso pæne occupaverat hostis, nisi à Radzivillianis Dragonibus Ductore Noldio è latebris in æquiorem campum actus, & mox ab equitibus Dönhofianis obtritus esset. Pauci ibi effugere, & hos quoque insecutus Noldius, in ipsa usque munimenta hostilia se cum manu sua intulerat, propugnaculo etiam uno, & machina tormentaria potitus. Sed cum hinc nullæ suppetiæ, illic commotus penè omnis peditatus accurreret,

provido

provido regressu se suosq; servavit. In eum tamen dum vires animosq; habet hostis, data est occasio Potocii Camecensis præfecti turmis non minus strenuè rem gerendi. Quæ agmina hostium longius velitando progressa, fortiter profligarunt, fugientibusq; ita institerunt, ut iisdem penè vestigiis in castra hostilia veherentur. Sed neque his subsidia missa sunt, ut non minoris fortitudinis fuerit inde recedere quam fuerat accessisse. Vergente verò, ut dixi, die redibat Reitarovius in posteram lucem summam manum pacis negotio imponendam, nomine Chmelnicii certò promittens. Et usque tamen, seu jubente, seu quod similius verò, plebi coercendæ impare Chmelnicio assultabant subinde agrestium & Tartarorum cohortes, copias ad castra, inclinato die redeuntes, quà possent ex insidiis carpentes. Et ita triduum adhuc totum paciscendo ac simul perpetuò cum hoste, Tartaro inprimis, velitando effluxit. Capiebantur ex hostili multitudine, cadebantq; subinde plurimi: hinc pariter nonnulli, vi vel fraude hostium, at plures morbis, qui tum immiti eaque triduana pluvii cœli tempestate ingravescebant, abripiebantur. Et victus ingruebat inopia, Tartaris præcipuè pabulationes nostrorum multum infestantibus. Tanto magis morarum tædebat Duces, cum hostis nec ita in arenam belli procederet, ut justa acie decerni posset, & pacis

Tt etiam

etiam negotium molestis procrastinationibus traheret. Tandem XXVI. Septembr. à Chmelnicio tres Cosaci adsunt, magis jam seriumab-solvendi Pacificationis negotii desiderium ostendentes, nihilominus dura usque petunt, inprimis ut Cosacis, quos vicies mille numero esse consensum jam erat, in Braclaviensi quoque & Czernichoviensi Palatinatibus stationes habere fas sit. Gum Commissarii id abnuerent, postero die obtinere hostis studuit, ne iisdem in Palatinatibus militi quoque Polono hiberna essent licita, saltem dum Chmelnicius in digerendo Cosacorum exercitu, alboque ejus conficiendo occuparetur. Præterea Cercassiensem & Borovicensem tractum concedi usibus suis postulabat Chmelnicius. Sed hoc posterius dare se, nisi Rege & Republ. jubente negabat posse Potocius. Alterum, ad tempus certum, homini permittendum censuit, cum præsertim is secreto Zacvilichovio, veteri equitum Ductori indicasset, non adeo esse efflictim petiturum se, nisi plebi obnoxiè id postulanti, gratificandum omnino putaret, saltem eo usque dum congregata illa & multitudine sua freta plebs, turbas dare, ipsi etiam Ductori vim inferre posset; & eidem jam à Ducibus quoq; ipsis dandum aliquid videri. Illâ ad agros suos, vel etiam stationes suas digressâ liberius fore de istis ex æquo & bono statuere. His ita utrinque acceptis, nulla in cæteris mora fuit, ut quæ

*Pax deniq; conficitur sed ægrè.*

quæ jam pridem mutuo conſenſu rata habebantur. Nec quicquam reſtabat, quàm ut Chmelnicius, cum præcipuis Tribunis caſtra Polonica ingreſſus, jurejurando pacta confirmaret. Et ipſe quidem ut ſecuritati ſuæ, acceptis obſidibus ſatis conſuleret, promptus erat ire ad Duces. Sed ex Tribunis nonnulli, neſcio quid cauſantes, dehortabantur. Nihilominus Zacvilichovio, quid rei æquitas, dignitasque partis Regiæ flagitaret, ob oculos ponenti obſecutus, venit XXVIII. Septembr. in caſtra. Iſtic ſupplex Potocio factus, veniam commiſſorum cum lacrymis orat. Inde Radzivillio Principe, cæterisq; Magnatibus demiſsè itidem ſalutatis, conditiones pacis audire jubetur, quarum ego, cum Latinitatem vix capiant, ſi ad verbum ex vernacula verti debeant, ſummam hic ponam.

*Pacis conditiones.*

*I. Quandoquidem exercitus S. R. Majeſtatis Zaporovianus, ejusque Ductores omnes perpetuò iterũ obſequii nexu Regiæ Majeſtati & Reipubl. ſe ſubjiciunt, permittunt Commiſſarii, ut in poſterum viginti millium capitum ſit ille exercitus. Is à Duce ſuo ac Tribunis ordinari inque Album referri, ſtationes verò in bonis Regiis ſolius Palatinatus Kiovienſi, Braclavienſi & Czernichovienſi intactis, fixas habere debet. Nobilium quoque bona ab illis ſtationibus immunia erunt, & ſi inde aliquis in cenſum Coſacorum fuerit cooptatus, is ſedem ſuam*

*in bona Regia Palatinatus Kiovienſis transferre tenetor, & antequam transferat, vendendi res ſuas ac fundos libertatem habeto, nec Heri, Præfecti ac Subpræfecti ulli obicem iis ponunto.*

*II. Recenſio viginti mille Coſacorum, qui ordinarié Regi & Reipubl. merebunt, inchoanda intra alteram à pacificatione hebdomadam, circa proximè vero futurum Chriſti natalem finienda eſt. Matricula autem ſeu Album Coſacorum, quod cujusque Coſaci nomen, cognomen & ſedem deſcriptam habebit, ſuſcriptione Ducis Coſacorum munitum, Regia illuſtri mitti, atque in acta pùblica caſtri* Kiovienſis *referri debet. Quisquis in Albo illo deſcriptus reperietur, antiquis privilegiis & juribus Coſacorum fruetur, quibus albo illi non contigerit inſcribi, ſolita ante ſubjectionis obſequia Arcibus Regiis præſtabunt.*

*III. Exercitibus Polonicis ex Palatinatu Kiovienſi, Coſacorum ſtativis deſtinato, ſtationes nullæ permiſſæ ſunto, uti viciſſim Coſacorum ſtationibus Palatinatus Braclavienſis & Czernichovienſis à proximo futuro Chriſti natali præcluſi eſſe debent.*

*IV. Nobilibus Kiovienſis, Braclavienſis, Czernichovienſis Palatinatuum ad ſua, uti & Præfectis ad bona Regia, eorumque uſum fructum, munia item ſua, & juriſdictiones liber reditus patebit, à cenſuum tamen exactione abſtine-*

*abstinebunt, donec rationario seu Albo Cosacorum ritè facto pateat, qui Privilegiis Cosacorum frui debeant, qui minus.*

*V. Czeherinum Ductor Cosacorum possidebit, sed ut is, cui nunc Cosacorum regimen mandato & privilegio S. R. Majestatis commissum est, Bohdanus Chmelnicius, ita inposterum, qui ex eadem gratiâ Regiâ illi succedent, privilegiorum eorundem compotes, Regi & Reipubl. fidem subjectionis & obsequii obstringere suam debent, Tribuni contra sub imperio Ducum, quos Reg. Majestas exercitui Cosacorum suo præfecerit, sunto.*

*VI. Religioni Græcæ, quem exercitus Cosacus profitetur, pristina libertas secundum antiqua jura per Cathedras Episcopales, templa, monasteria sua omnia sarta tecta maneto. Collegium item Kioviense in statu suo servator. Si quid possessionum Ecclesiasticarum, durante hoc bello, contra antiqua Ruthenorum jura, obtentum aut usurpatum fuerit, ea usurpatio nullius ponderis esto.*

*VII. Quicunque ex Nobilitate Romani vel Græci ritus inter turbatas hactenus res Cosacis adhæserunt, cives item Kiovienses, amnestiæ beneficio fruuntor, & vitam, honores, liberos, facultates omnes salvas retinento. Si quid adversum in aliquem ut capite diminutum occasione belli hujus statutum fuerit, id publicâ lege abrogator.*

*VIII. Judæis in bonis Regiis & Nobilium jus incolatus, & conductionum, ut antea, liberum esto.*

*IX. Tartari quotquot jam sunt in terris Polonicis illicò relegantor, nec stativa hic usquam figunto. Eos porrò Cosacorum Ductor amicitiæ & servitiis Reipubl. denuò innectere promittit. Sed si hoc ante Comitia proxima factum non fuerit, spondet ipse universus Cosacorum exercitus, amicitiæ eorum se renunciaturos, & ut adversum hostem Regis ac Reipubl. juxta cum Regni exercitu arma laturos, finesque defensuros, neque cum illis, vel ullis aliis externis Dominis consilia inituros, aut conspiraturos, sed in fideli obsequio Regis & Reipubl. constanter & perpetuò mansuros. Et ut hodiernum Ducem cum Tribunis & exercitu Universo, sic in posterum etiam successores eorum obstrictos fore, fide & studio deditissimo, ad omnes Regis & Reipubl. necessitates & imperia præstò esse.*

*X. Ad M. Duc. Lithuaniæ fines uti Album & delectum Cosacorum nunquam pertinuêre hactenus, ita nec dum pertinento, sed ut ante cantum est, intra Palatinatus Kiovienſis limites terminantor.*

*XI. Kiovia cùm Urbs Metropolitana & Juridicialis sit, ex eâ quam paucissimi milites in matriculam seu Album recipiuntor.*

*Istæ Conditiones tàm à Commissariis, quàm*

*quàm à Duce Zaporoviano & Tribunis reliquis jurejurando sanciendæ sunt. Exin Polonici exercitus in loca designata discedent, ibi Cosacici exercitus recensionem præstolaturi. Tartari quoque illicò, atque ipsa etiam Cosacorum copiæ domum dimittuntor. A duce denique Cosacorum & exercitu Zaporoviano ad Comitia proxima mittendi sunt nuntii, nomine ipsorum S. R. Majestatis & Reipubl. pro veniâ commissorum datâ, gratias acturi.*

His ita lectis, & tum suscriptione nominum, tum juramento ritè stabilitis, publicæ aliquamdiu lætitiæ, quibus solet modis litatum est. In convivio, cui Chmelnicius cum Tribunis suis nonnullis interfuit, injecta ab illo sinisterior Palatini Muldaviæ, cujus filiam Radzivillius Princeps duxerat, mentio, offensas aliquas excitavit, sed & hæ postero die per Viehovium (quem Polonum, sed toto hoc bello Chmelnicii administrum fuisse dixi) â Chmelnicio missum deprecationibus mox discussæ sunt. Moveri postee utrinque copiæ cœpere. Ducem verò exercituum Potocium, ut subinde hactenus ægritudines variæ exercuerant, ita pace tandem stabilitâ revertentem paralysis primò impotem sui, postea in apoplexiam versa, vitæ exsortem fecit. Ad Machnovvkam Tiskevvicianum oppidum, prima sideratio usum dextri lateris, ferè & sermonis illi ademerat, sedulâ tamen cura

Luberti Erbenii Medici, qui ipsi annis aliquot, per varias rerum vices, vinculaque etiam Scythica assiduus valetudinis custos adfuit, aliquantulum revaluit. Sed sui negligentior, & diætæ â prima juventute incuriosus, corpori ne post tanti quidem morbi incursum quietem necessariam indulsit, perpetuus adhuc in itineribus, & imperatoriam scilicet sub dio mortem expetens, ut & ipse fassus est amicis, cum ad majorem sui curam stimularetur. Ultimum itinerum fuit, quod Laticzoviam, Urbem Regiam, sed cui ipse Præfectus erat, suscepit, ut istic de Czercassiensis Præfecturæ jure & possessione Nicolao Potocio filio, quem sui loco in captivitate Scythica reliquerat, resignatione legitimâ cederet. Cum inde rediret, lethali omnium corporis membrorum resolutione, intra vehiculum suum XX. Octobr. correptus, repente expiravit, Vir à tenero bellicis consecratus & iunutritus operibus. Decimo sexto ætatis anno, prima militiæ tyrocinia, sub fortissimo Duce Zolkevio ad Smolenscum deposuerat. Ad Czecoram postea, unà cum Ducibus infelicem Martis aleam expertus vincula Cantimiri, celebris fortitudine Tartari subiit. Inde post biennium exactum redux, Generalis Podoliæ Præfecti honore exceptus est. Cui post & Notarii Campestris accessit munus. Cum eximiam in bello virtutem clarissimo militiæ Duci Stanislao Coni-

*Potocii Ducis exercituum mors.*

Coniecpolſcio probaſſet, viſus denique dignus eſt, qui ei collega daretur, etſi aliqui parem in illo fortitudini prudentiam ac circumſpectionem, alii alia etiam deſiderarent. Sed is nihilominus Campiductor Regni, & mox Palatinus Braclavienſis renunciatus eſt. Eò magis poſtea, ubicunque arma Polonica fulsêre, fulſit ſimul Potocii virtus, Coniecpolianorum conſiliorum executrix. Fracta equidem olim Coſacorum ferocia, eorumque poſt Cumekéſe inprimis prælium ſub adductius Regni frænum coactæ vires, uti auſpiciis Uladislai Regis, directione Coniecpolſcii, ita adminiſtrantis Potocii fortitudini potiſſimum debentur. Poſt fata Coniecpolſcii, ſucceſſor eidem in præcipuis Reipubl. dignitatibus fuit, quippe & Caſtellani Cracovienſis, & Ducis exercituum ſummum honorem adeptus. Sed ut rarò mortalibus idem ſemper felicitatis tenor eſt, brevi poſt, cum Coſacorum rebellio ingruiſſet, in tempeſtatis illius primâ quaſi caligine vitæ & rerum Potocii, hactenus proſperrimarum curſus ad vadum obhæſit. Inexpectatus præcipuè Tartarorum ad rebelles acceſſus, nec non ſtipendiariorum Reipubl. Coſacorum, quibus iterato ſacramento adſtrictis, incallida Viri generoſitas, fidem adhibuerat, proditio (ne alias cauſas jam memorem) in duplicem cladem, & in vincula denique Tartarica, ipſum & ſimul florem militiæ

Polonæ conjecit. Inflictum ibi Reipubl. atrocissimum vulnus exasperavit secuta mox Uladislai Regis mors, tum nescio quæ patriæ infelicitas, quæ capti Potocii absentia, non protinus aliquo æquæ autoritatis vel potestatis pensata est Successore. Postea ê vinculis redem tus, ubi pacem cum Cosacis aliquamdiu sustentasset, tandem cum hoste eodem, prosperiore quam ante, eventu commissus est. Ea adversa prioris belli, quæ ipsi præcipuè, usitato summorum Ducum fato, imputata â multis fuerant, auspice & Duce Rege, non pœnitendo postea compensavit hostimento. Nam & ad Beresteciam fidus adjutor Regis, & postea belli hujus totius præcipuus consummator fuit; id scilicet cœlo favente, extremum assecutus solatium & decus, ut vitæ suæ labores, quos gravissimos semper sustinuit, partâ pacis tranquillitate terminaret. Quanquam nec ista Patriæ pax Potocio diu superstes fuit, nescio quo fato in eandem belli arenam Polonos identidem retrahente, & subinde adhuc, immissis aliis atque aliis hostibus, fatigante.

Liber



# Liber XI.

CHmelnicius post pacem quoque inquies, non cessabat occasiones vestigare nocendi Poloniæ: ipso rerum successu animum hominis vindictæ adhuc cupidine accensum, ad urgendam fortunam stimulante. Et delatores insidiarum, vitæ ipsius â Calinovio tunc Campiductore structarum, seu vera seu ficta nunciantes, exacuerunt iram hominis, suo genio suspicacis, & ex conscientia meritorum quævis pessima, etiam vana metuentis. Quodque is ad Beresteciam imminens rebus suis naufragium, non nisi levi effugisset jacturâ, & ingens ille commotæ totius Reipub. conatus in talem deniq; desiisset tractatum, qui Poloniam magis securam, quam tutam redderet, in id jam sibi vigilandum putabat, ut Ducem militiæ Calinovium fortem satis virum, sed dolos nec struere, nec vitare adeò capacem circumveniret. Is post pacem initam Braclaviæ morabatur, exercitu in eodem Palatinatu Braclaviens per hyberna disperso. Partem quoque hujus ultra Borysthenem sub ductu Tribunorum, Calinovii agnati sui, Machovii, & Voinilovicii expedierat, divisione commoditati hybernantium non æque securitati serviente. Chmelnicius

in

in pactis novissimis cum vicinis gentibus contra Polonos nullas inire conspirationes promiserat. Sed id tempori datum non longiùs, quàm utilitas suaderet servandum putabat. Structore utique Wihovio hac ipsâ, qua Ducibus nostris aliud sponderat, hyeme, insciis ferè cæteris Cosacis, cum Tartaris pactus est, ut cum prima hirundine advolantes operam sibi navarent in tollendo exercitu Polono; tum promovendo Thimothei Filii cum Basilii Valachorum Principis filiâ, matrimonio. In Polonia interim Rex ad comitia cives convocaverat; sed ea sine effectu diffluxêre. Et quod Regno huic nimis heu usitatum, interque præcipuas malorum causas est, & nisi cœlo favente remediis locus fuerit datus, exitii, quod abominor, causa erit. Magno nisu, magnisq; temporis & sumptuum impendiis ex Provinciis etiam longissimè dissitis conveniunt Senatores & Terrarum Nuncii, quæ ex usu publico sunt, proponunt, trutinant, & nõ sine multo subinde certamine statuunt. Sed sæpe unus aliquis, seu obstinatione, seu pretio, seu alio privato stimulo velut œstro quodam incitatus, contradicendo irritum reddit, quicquid cæteris omnibus placuerat. Si enim adduci se Suadâ & rationibus aliorum non patitur, ut cedat, sed factâ protestatione se subducit Comitiis, hæc pro ruptis habentur, nec hilum valent ea omnia, quæ consensu cæterorum erant probata. Quæ nunc habebantur comitia Upitensis ex magno Lithuaniæ Ducatu Nuncius militaris ibi Ducis

servitio

servitio innexus, improbo discessu suo dissolvit, summo malo Reipublicæ. Chmelnicius sanè de tali Comitiorum exitu certior factus, per totam illam Ukrainam illicò rumorem spargi jussit, comitia studio Polonorum rupta esse eo fine, ne tractatus Bialocierkuæ nuper initus, authoritate comitiali sanciretur. Eo minùs se quoq; legibus pacificationis illius teneri asserebat, quæ robur suum â consensu Reipublicæ non accepisset. Ea res per Cosacorum terras disseminata animos plerorumque & fidem iterum labefactabat. Calinovius cognito, quid in Poloniæ actum conventu, quid item Chmelniciana artificia machinarentur, militem in hybernis dispositum monet, ut cautè agat inter lubricos & suspectos. Ad Agnatum porrò Ductorem, qui ultra Borysthenem cum parte copiarum hyemabat, mandata mittit, ut reversus se cum cætero exercitu conjungat. Habitum inde consilium, an & ubi castra sint locanda. Aderat Duci Sigismundus Przyiemski vir acris judicii & multæ in bello experientiæ, quam apud exteros æquè ac domi militando acquisiverat, â Rege tum rei tormentariæ præfectus. Huic expedire videbatur, ut propè Braclaviam oppidum Hypani vulgò Boh adsitum, & ad defensionem abundè idoneum consideret exercitus cum machinis bellicis. Hic tutam satis stationem fore adversus hostem, vel maximis cum copiis adventantem. Pedite & impedimentis extra periculum & juxta ad vim propulsandam bene

bene collocatis, equestres turmas, prout res postulaverit hosti obviam eundi & subeuntium agmina carpendi copiam habituras. Tali quoque in loco non arduum fore aliunde auxilia præstolari. Verum aliis indecorum videbatur spem præcipuam conservandæ rei in pedite Germano ponere, hostibus verò quæsito tali receptu speciem trepidationis præbere. Nec deerat, qui Przyiemscianæ virtuti ac gloriæ invidens, optimè etiam consulenti adversandum putaret. *Adeò stimulationes privatæ subinde officiunt utilitati publicæ, raroq; sana consilia ab ægris affectu animis proficisci, aut recipi possunt.* Apud Calinovium adversæ optimo consilio sententiæ prævaluêre. Itaque spretâ Braclaviâ ad Batovum verissimas, ut eventus mox docebit, Polonornm Cannas castra poni jubet, loco quatuor Leucis â Braclaviâ distante, & pariter quidem ad Hypanim fluvium sito, sed castris metandis minimè apto, præsertim adversum Tartaros & Cosacos, qui numero freti, facili indagine nostros in patente campo cingere, & longè lateque vagando, commeatum omnem intercipere illic poterant. Cùm de hoste adventante nuncii allaberentur, iterum Przyjemscius, quasi præsentiens futuram stragem, suadet ac petit, ut sibi cum pedestri milite & tormentis ad oppidum Ladizin, quod dimidio miliari inde distabat, concedere liceat. Nec minus huic ipsi consilio, quàm priori constabat ratio, sed seu fato, seu cœcitate, quæ pro fato est pæritu-

rituris, ſpretum rurſus fuit, quod prudentiſſimus Ductor, ſalutis monſtrabat aſylum. Non multò ante adventũ hoſtium ad caſtra Calinovii Ducis cum legione ſuâ filius ipſius Samuel, caſtrorum ſupremus metator acceſſerat, auxiliaturus Patri, ſed veriùs exitii futurus ſocius. Senſitque id parens, non obſcuris indiciis teſtatus haud gratum ſibi eſſe filii adventum. Nimirum præcipitio ſe & exercitum vicinum ſerò jam videns, ſobolem ſuam extra aleam manſiſſe periculi maluiſſet. Sed ipſe quoque filius, ſeu proprio judicio, ſeu ſuggerentibus Tribunis militiæ veteribus, Sokolnicio & Coricio, acriter incuſavit conſilium Parentis, qui poſthabito meliora monſtrantium judicio, tam iniquum caſtris locum cepiſſet, quo & ſe & Rempubl. maximo diſcrimini objecturus eſſet. Altero die antecurſores Scythici eminùs conſpecti ſunt. Quorum adventum præcipere cupiens Campiductor, Detimechium & Ruſczicium Centuriones cum Valachis, nec non Sokolnicium & Conradſcium cum turmis equitum Polonorum expedit, additis inſuper duabus aliis Sokolii & Viciſcii. In ſubſidiis manere juſſus eſt Koricius, ſubventurus, ubi opus eſſet. Et paulò poſt ita graviter noſtris Tartarus incubuit, ut Koricii ſuppetiæ neceſſariæ & ſalutares fuerint labantibus. Sed & Calinovius cognitâ hoſtium multitudine noſtros prægravante, ſubmiſit legionem Coniecpolii, qui tum Regni ſignifer erat, hoc abſente Floriano Czopovvski concreditam,

ditam, nec non alteram Ducis Demetrii Visniovecii, quam Niezabitovius poſtea Caſtellanus Belzenſis, & gubernator Lublinenſis creatus, regebat. His animadverſis, Tartari recedere cœperunt, ſed animo noſtros, cum majoribus ſuorum copiis non procul inde ſubſiſtentibus, committendi. Et fortiùs quàm cautiùs invectæ legiones Coniecpolſciana & Niezabitoviana non ſine labore ſe recepêre, commodè â Dragonariis circa præſidia Batoviana collocatis ſublevatæ. Ita Tartari illic ulteriùs ſe effundere prohibiti, ſed & Turmæ illæ ex cructo conflictu omnes ad vallum Caſtrenſe rediêre. Ortâ nocte magis magisque periculum imminens introſpicere cœpit Calinovius, & jam ſederat ei conſilium reliquendi in caſtris impedimenta graviora, exercitum verò tam pedeſtrem, quàm equeſtrem Braclaviam ubi Wievvierſcium præfectum cum præſidio & machinarum ſufficientem numerum reperturus eſſet, reducendi Hæc agitante campiduce, duo magnæ notæ Tribuni Odrzyvvolski Caſtellanus Czernichovienſis, & Præluſtris genere ac virtutibus juvenis Marcus Sobieski Gubernator Kraſnoſtavienſis, viâ ſibi armis per hoſtium excubias factâ, ad caſtra perluctati ſunt, comitantibus ipſos Kalinio & Koſacovio, egregiis turmarum ductoribus. Sed hi omnes in id, ut exirent venêre. Nam paulò poſt exercitus caſtra deſerere, ſervatis tamen ordinibꝰ cœpit. Frontem ducebat ipſe Calinovius cum Filio, ſequebâtur Przyiemski Sobieski, Balaban,

quisq; ſuas legiones ac cohortes equitum peditumque ducentes. Agmen clauſeruntOdrzywolski, Sokolnicki, Koricki. Et in hos Scythæ magnâ vi invecti cum fortiter reſiſtentes experirentur, ad Hypanim uſque fugientibus ſimiles receſsêre. Sed mox reſumpto impetu totum robur ſuum in equitatum noſtrum converterunt, quem undequaque urgentes, ad peditatum ſe recipere coëgêre. Hic in mixtos Polonis Tartaros arma expediens, dum hos ferire cupit, nec Polonis parcere potuit. Eò magis turbari ordines equeſtres cœperunt, cum à ſuis quoque etſi invitis, peterentur. Sic à fuga tandem plerisque ſalutem petere viſum eſt: Germanis tamen cohortibus in gradu manentibus, cum quibus ipſe Campiductor & Filius ejus necnon Sobieſcius, & Przyiemſcius mansére, ad extrema omnia parati. Diu fortiſſimè hoſtium conatus repellebantur, cum tandem Coſaci Tartaris juncti noviſſimum agmen perrupêre. Tum quicquid equitum Polonorum manſerat, diſſipatum, quovis, qua poterat, ſibi conſulente. Germani Duce Przyiemſcio ſylvam petiêre, illo ſuffugio hoſtem averſuri aut ſaltem detenturi. Nam Scythis in campo, quàm inter dumeta pronior agendi copia eſt. Sed antequam nemus refugi attigiſſent, ingenti illa multitudine circumventi, confuſis ordinibus, confundi & ipſi, atque ab hoſte rabioſo partim cædi, partim vinciri cœpêre. Tartari equitatui

fugienti inſtabant. Coſaci ſylvam perſcrutantes, quicquid obviam habuerunt, corripiebant, ſic non milites tantùm, ſed & multi alii, qui in caſtris ſalutem metu Scytharum quæſiverant, cecidêre aut capti ſunt. Captus & ipſe Campiductor bis jam vulneratus, filius itē ejus, Odrzywolsky, Caſtellanus, Sobiesky, Prziemski, Balaban, Kalinsky, Koricki, Sokolnicki, Coſakowski, Czopowski, ex Germanis, Rekius, Schöneich, Malzan & alii multi. Zos in acie occubuit & cum eo tota legio Boguslai Ducis Radziwillii, quam is rexerat, ad internecionem data. Cum ad eum modum plurimos abſumpſiſſet gladius, majora tamen capita reſtabant, in quibus Scythas non ultra vincula ſævituros, ſuperiorum temporum exemplis fides facta erat. Et certè in ea gente flagrantior pretii quàm ſanguinis cupido eſſe ſolet. Neque nunc Nuradin Soltanus, & Karasbey, qui ei â conſiliis erat, ſuſtinuiſſent tantæ notæ viros interimere. Sed Chmelnicius & Vihovius primò Bejum poculis, donisque ſubegêre, ut in cædem omnium conſentiret. Ac facilius poſtea Sultanus inductus eſt, ut annueret, cùm inprimis univerſa Nobilitas Podoliæ, nec non arx Camenecenſis victoribus in prædam promitteretur ab anteſignanis Coſacorum. *Quorſum,* inquiebant, *victoria tanta, ſi ejus fructum præpoſtera lenitas intercipit? quid profuit nobis ad Corſunum viciſſe Duces & exercitus Polonos, quando*

*quando capti & postea redemti denuo in nos arma vibrarunt? Hic ille Polonorum flos est, quo deleto finem belli sperare licet: servato illo, nihil magis quam acrior ultio expectanda est. Quin igitur jure nostro utimur, & bello magnam diem imponimus. Neque enim dubium, gladii in hos stricti metu, quicquid noxium esse potest, sponte nobis cessurum.* Inter pocula hæc agitabantur, & sic tandem crudele stetit decretum; omnes cujuscunque ordinis captivos ferro necandi. Aurorâ vix illucescente factum est laniena initium ante Chmelnicii & Vihovii tentoria. Qui & à gregariis Tartarorum captivos, dato Cytro, redimebant in necem. Ita passim promiscuè grassabantur acinaces, Sicque periit Campiductor Calinovius, ejusque caput satiandis Chmelnicii oculis allatum. Obtruncatus pariter filius Campiductoris, item Odrzywolski, Przyjemski, Marcus Sobieski, Rosacowski, Rek, Maltzanius, Sakonius, Schöneich, & alii plurimi. Fœmineo sexui & impuberi ætati, vitæ gratia facta est. His exceptis, vix decem capita servata. Balabanum, Karasbejus neci exemit, fratrem suum ita liberare sperans, qui apud Regem detinebatur captivus. Grodzicius pari pacto evasit. Sokolnicium nepos Tohaibeji clam servavit. Occultatus item Kalnicki, Brezinski porrò & Ruscicius singulari quodam cœli favore Cosacorum manus effugêre. Coricium mirum fidei Scy-

thicæ prodigium morti eripuit. Is olim initam in Taurica cum Kammabejo Murza amicitiam, fraternitatis tesserâ sanciverat. Hic igitur cùm inter victos Coricium esse non dubitaret, studio quæsitum, tandem reperit, & à Tartaris, quibus dedere se nolebat circundatum, secum abduxit incolumem: cumque posteà ad necem posceretur, magno labore juvante Murzam etiam altero fratre ejus periculo exemit, imò & in gratiam hujus alii quidam Coricii amici noctu equis impositi & in Muldaviam vicinam dimissi sunt. Qui omnes tandem in Patriam salvi evasêre. Chmelnicius Koricium pari cum cæteris fato sublatum cupiens, Murzæ multam pecuniam obtulit. Sed is Sacramenti amico dati religionem omni auro præhabuit. Inter superstites fuit quoque Niezabitovius, quem quidam ante hanc cladem à Calinovio deliberante infeliciter auditum querebantur. Is per Muldavos Dacosque in Poloniam rediit Ita & Linevius. Konradski verò cùm ab infelice pugna ad fugam deventum esset, trium leucarum emensus spatium, in Gubernatoris Camenecensis Potocii legionem, cui ipse regendæ præfectus erat, tum & junctos huic Vejeri, nec non Perpessii Dragonarios incidit, talique præsidio continuatis diu noctuque itineribus Camienieciam contendit. Quem locum accedente deinceps legione Butlerianâ fortiter defendit, alioquin fortè in potestatem hostis perventurum. Illuc

enim

enim tam Scythæ, quàm Cosaci festinabant, terrore illo ad rem suam usuri. Et hic fidem promissi exsolvere debebat Chmelnicius. Sed quotquot appropinquaverunt arci, fulminantibus inde non perfunctoriè machinis excepti, voto suo excidêre. Unde Tartari non modicâ in Chmelnicium irâ efferbuerunt. Quod enim spe potiundæ Camieneciæ passi erant, tot captivos trucidari, nunc frustratam spem suam adeò indignabantur, ut & Cosacis, ipsiq; Chmelnicio jam minarentur. Et ideò illi intra caraginem aliquandiu clausi latuêre. Duæ penè hebdomadæ circa urbem sine effectu consumtæ. Aliqui tamen captivi, inter quos præcipui Grodzicki, Kalinski Sokolnicki, Choinnacki, Morstin, Tylicki, Prebotius, Berck exsoluto pretio redempti. Coricius ibidem à Kamabejo Murzâ Conradscio, cum aliquot captivis redditus est, hac lege, ut si Murzam aut fratrem ejus simili fato in captivitatem venire contingeret, parem gratiam experirentur. Batovianam hanc cladem æternum Reipubl. Polonæ vulnus, ingens toto Regno luctus, sed hoc tamen juxta secutum est solatium, quod posteà Tartari alienato à Cosacis animo, Polonis ad tempus propensiores fuêre. Adeò ussit illos frustrata Camieneciæ occupandæ spes, quâ inescati in necem tot Procerum Polonorum consenserant, qui incolumes servati ingentibus lytris Tartarorum plurimos ditare potuissent,



# INDEX
Ad Paſtorii partem poſteriorem Hiſtoriæ plenioris.

## A.



## B.



Bato-

## C.

Czaplin-

F.



G.

H.



I.

Lencko-

L.



Alexand.

M.

## N.



## O.



Oſtro-

Chri-

S.

*FINIS.*

JOACHIMI PASTORII
AB HIRTENBERG,


*DE*

# ORIGINIBUS SARMATICIS,

## DISSERTATIO PHILOLOGICA,


*POSTHUMA*






DANTISCI,
Sumptibus SIMONIS BECKENSTEINII.

ANNO M DC LXXXV.



*Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino,*

# DN. ANDREÆ
in ZALUSKI & Blendow,
Epiſcopo Kiovienſi, Abbatiæ Wacchovienſis Adminiſtratori perpetuo, Sacræ Reginalis Majeſtatis & Gneſnenſi Cancellario, Scholaſtico Lancicienſi, Præpoſito Jaroslavienſi, Canonico Cracovienſi &c.

*Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, Domine Gratioſiſſime,*

DUm Fatis nuper functo Parente meo, ſcrinia ejus excutio, inveni inter alia Comentarium illius, de Originibus Sarmaticis inſcriptum. Cui cùm jam limam & ſupremam manum acceſſiſſe animadverterem, non adeò ſequius ab Orbe erudito promiſi mihi judicium

cium, ſi ſcriptum illud, typis expreſſum, publicarem. Exiſtimo non ingratum fore Lectoribus argumentum. Nam placuit ſibi ſemper plauſitq; in obſervandis Gentium Originibus curioſitas humana.

Unde adeò & ſcripta, huic materiæ ſervientia, diſpungendo otio, utilis & jucunda videri ſolita ſunt ſupellex. Quis non recreatur animo gaudetque, cùm apud Maronem antiquiſſimam illam rei Romanæ faciem deſcriptum legit: Ut apud Evandrum Regem, in loco ante Urbem, immò tum Urbeculam potiùs, in Monte Palatino conditam, cœnaverit hoſpes Æneas, ut oſtenderit Rex hoſpiti, non procul inde Tybrim fluvium, à Tybri Tyranno quondam Italiæ, nomen nactum, cùm anteà Albula diceretur: ut ei monſtrarit Janiculum Montem, ubi Janus Urbem condiderat, qui mons hodie, arenarum à flavedine, dicitur Montorio, tum ut oſtenderit ei Arcem Tarpejam & Capitolium, tum quidem adhuc dumis & virgultis horridum, utq; utriq; illi Re-

ges per nudos tum ambularint cespites, & per pascua, quæ deinceps mutatâ rerum scenâ longè aliud nempe Fori Romani, & lautarum Carinarum & splendoris Maximi Imperii exhibitura essent spectaculum. Eundem in modum non est dubitandum amœna futura fuisse lectu, quæ Diodorus Siculus libris illis, quos de Insularum rebus contexerat, qui totius Orientis origines continebat, olim prodidit, nisi illa temporum injuriâ deperdita magnum & rei literariæ damnum, & curiositati mortalium gemitum peperissent. Sanè non parum afficiunt palatum, saltem quæ strictim, è Geographis vetustis, de priscâ locorum ac gentium memoriâ citata invenimus. Ut, cum Plinius Pytheam allegat, Geographum Massiliensem, Ptolemæo Philadelpho supparem, è quo ista narrat: *Guttones, Germaniæ gentem, accolere æstuarium Oceani &c. Ab ejus diei navigatione insulam abesse Abalum* (quam Timæus post eum Balthiam nominavit) *Illuc verè fluctibus advehi succinum, & esse concreti maris purgamen-*

*mentum. Incolasq; pro ligno ad ignem eo uti, proximisque Teutonis vendere &c.* Unde adeò temporibus noſtris nata ingeniis quibusdam flamma eſt & cupiditas honeſta, gentium Origines cum curâ perſcrutandi. Nec laude ſuâ fraudanda ſunt, quæ Wolffgangus Lazius Viennenſis, Ferdinandi I. Romanorum Imperatoris Hiſtoricus, in præclaro ſuo de Gentium Migrationibus Volumine, hoc de argumento, ſuperiore ſeculo congeſſit. Licet illa à multis deinde aliis ingeniis ſub incudem revocata magnaq; curâ expolita ſint. Imò ut quisque ferè ad ſtudium Hiſtoriæ ingenium attulit alacrius, ſuæ gentis decori, eruendis ejus Antiquitatibus, litare curæ habuit. Atq; adeò & Parens meus, quo erga res Sarmaticas ſtudio tenebatur ac amore, temperare ſibi nequiit, quin de Originibus earum, ut jam ante dictum eſt, aliquid commentaretur. Huic Operi cùm Patronum quærerem, non fuit, cur latè circumſpicerem. Nam & tantus Tuus, Illuſtriſſime Patrone, in literas & in eas maximè, quibus res

Sarmatiæ illuſtrantur, amor eſt, ut nulla mihi potuerit eſſe cauſa dubitandi, ſub Inclyti Nominis Tui Gratioſâ Umbrâ, tutum Orbo huic paterno Fætui ac opportunum fore præſidium, & lux inſuper Celſit$^{nis}$ V$^{ræ}$ tanta eſt, ut habeam, cur optem, ejus radiis opuſculũ per ſe parùm ſplendidum, illuſtrari. Jam de affectu Celſit$^{nis}$ V$^{ræ}$ in me immerentem, quid hîc memorem? Qui ut Celſit$^{ni}$ V$^{ræ}$ vinculis me arctiſſimis obſtringit, ita pridem etiam, quaſi ſtimulis me urit impellitque, ut aliquod, qualecunq; ſaltem, debitæ meæ adverſus Gratioſiſſimam illam in me Voluntatem obſervantiæ, in Arâ Memoriæ deponam pignus ac monumentum. Quamvis autem hoc, quod nunc offero, tenue ſit, tamen quæ Celſit$^{nis}$ V$^{ræ}$ Illuſtris ac memoranda eſt Humanitas, non dubito, non averſo Eam animo id ſuſcepturum, & menti ſaltem ac ſtudio offerentis, Serenam quàm benigniſſimè promiſit, Frontem exhibiturum. Id quod, quâ par eſt obſervantiâ ac ſubmiſſione animi, enixis precibus oro

ac

ac contendo , omnigenamque proſperitatem precatus permaneo uſque

*Illuſtriſſ. ac Reverendisſimæ Celſitudinis Vᵗʳᵃ.*

Gedani 1685. 2. d. April.

ad omnia obſequia humillimè addictus


*Georgius Adamus ab Hirtenberg, Paſtorius Proth. Apoſt. Cant. Can. Lanc. S. R. M. Secret.*

Eruere

ERuere è tetricis populorum ſecla tenebris,
Siſtereque in clarâ tempora priſca die,
Herculeum penſum eſt, & magni cura laboris,
Nec nihili eſt Nili quærere velle caput.
Hoc agit hoc docto PASTORIA Cura libello,
Reſpiciens Cuñas, Inclyta Lecche, Tuas,
Agnoſcas ſtudium Magni Scriptoris honeſtum,
Dumque librum relegis, ſic, Bone Lector, habe:
Deucalion lapides poſtquam projecit in Orbem,
Difficile eſt populo noſſe cuiq; ſuum.
Sed *Napolanorum* hic dum noſtra *Polonia* nomen
Invenit, & *Lacos* Colchiacasq; *Polas*,
Aut videt, aut ſaltem tamen hanc, quâ repſit, arenam
Ante tot hinc Infans ſecla, videre putat.

*Chriſtophorus Behr,*
*Gedanenſis*

JOA-



# JOACHIMI PASTORII
*ab Hirtenberg*
De
# ORIGINIBUS SARMATICIS
*DISSERTATIO PHILOLOGICA.*

QUæ de Lecho & Zecho duarum grandium Rerumpublicarum Conditoribus recepti vulgò authores memorant, vocantur à nonnullis in dubium. Inter quos eſt Johannes Kochanovius, Vir genere, doctrinâ & Poëſi inprimis vernaculâ nobiliſſimus. Vincentius Rodlubko, vetuſtiſſimus annalium patriorum Scriptor, Lechi nullam omninò mentionem facit, cum prima naſcentis Reipublicæ Polonæ capita, Cracum, Vendam, Leſcones nominet. Joannes Dlugoſſus cœpti equidem hâc ætate novi Principatus gloriam Lecho tribuit, ſed eum Japheti pro-nepotem ſtatuit. Quam ſententiam nemo non videt manifeſtam eſſe immanis antichroniſmi. Lechum enim Noachi & ejus filiorum ſeculis,

nimis quam propinquum facit. Et juxta hunc calculum plusquam mille annis natalem Christi ille antecesserit, cum alioquin minimùm quingentis quinquaginta annis post natum Servatorem vixisse feratur. Porrò Lechi Zechique nulli omninò liberi, nulli cognati, nulla etiam bella, nulla facinora, qualia alioquin Conditores gentium nobilitare solent, vel à Dlugosso, vel ab ullo alio memorantur. Et in successoribus eorum proximis nominandis trepidant, imò potiùs manifestè hiant eorum annales. Quos non sine hæsitatione quidem, sequitur tamen, sed ad rectiorem temporum calculum revocat verissimus Sarmatiæ nostræ Livius Cromerus. Nimirum apertè fabulosa & enormia secrevisse contentus, in cæteris antiquæ traditionis hispidam velut canitiem comere ac pectere quodammodo maluit, quàm prorsus abjicere. Et cum certiorem nobis tam numerosæ gentis in has terras Ductorem nemo nominare possit, non temerè recedendum putavit ab eo, quo consensus plurium acquievit. Illud interim rectè opinor cum Cromero negamus, è Slavonia aut confinibus ei provinciis, vel Lechum vel quem is duxisse creditur populum, primitùs venisse. Qui enim circa Justiniani & sequentium Imperatorum tempora in has terras sese effudêre Slavi, eorum immensam multitudinem fuisse oportuit, cum ingentes terrarum tractus, & nempe quicquid majore minorique

rique Poloniâ, Silesia, Moraviâ, Bohemiâ, Misniâ, Pomeraniâ, Mechelburgo aliisque confinibus terris continetur, impleverint. Minimè autem implendis tantis locorum spatiis populi illi Slavonici non adeò latè patentibus provinciis comprehensi, multò minùs familiæ aliquot, quæ duos fratres profugos è Slavonia Croatiavè secutæ feruntur, pares fuissent: Neque enim totæ etiam inde gentes migravêre, eum eadem aut non multò minori frequentiâ etiam postea istic habitaverint. Omnium autem commodissimè difficultatem, quæ in his obscuræ antiquitatis tenebris nascitur, solvit illa sententia, quæ ex magna gentium matrice Sarmatiâ, illa Tanai, Mæotidi Ponto, & Bosphoro Cimmerio adsita, nostros hos populos deducit; & porrò non unum eorundem ex patria egressum statuit. In Sarmatia utique illa primum Slavorum cubile, antiquorum vestigiis insistentes ponunt Blondus, Sabellicus, Cromerus, & post alios insignis ævo nostro veteris novæque Geographiæ illustrator Brietius, sed postremus hic præ cæteris rectissimè monet, populos istos, quos Slavonicos dicimus, minimùm bis ex sedibus illis Sarmaticis erupisse. Jam olim enim, ante natum etiam Servatorem, non parvus eorum numerus in terras se varias, atque in has quoque ipsas, de quibus sermo nobis est, sese infudit, uti paulò post explicatius docebitur. Sed & pleræque cæterarum na-

tionum, quæ olim antiquis sedibus egressæ sunt, Sarmatarum aliquos comites sociosque habuerunt, hominum genus liberum, equitatu inprimis valens, non quieti aut certis adeò sedibus, sed bello & spoliis assuetum & inde gloriam quærens. Vetustissimis sanè temporibus Henetos, laudatam Homero gentem, genere Sarmaticam, bello Trojano interfuisse constat; eamque post bellum illud in Italiam trajecisse & istic ad Adriam sedes fixisse, infrà multorum Autorum testimoniis probabitur. Ejusdem generis populum Marii quoque temporibus unà cum Cimbris in Galliarum & ipsius Italiæ fines irrupisse, ex Strabone, ubi de Ponto Euxino agit, colligi potest. Et inde Henetos seu Venetos Gallicos dictos esse, diligentissimus antiquitatum collector Reineccius parte tertiâ Historiæ Juliæ testatur Mithridati deinde Eupatori inter alias nationes Sarmatas, legatione ejus & variis muneribus illectos militasse, ex Justino lib. 38. cap. 3. ex Appiano item liquet. Eosdem postea Rex Iberiæ Pharasmanes contra Orodem, Regis Parthorum filium, Tiberii temporibus evocavit. Vespasiano imperante, cum Germani, Classico & Civili Ducibus, adversus imperium se commovissent, Sarmatæ simul insurrexêre, ut præter alios Josephus lib. VII. cap. 23. memorat. Rhadagaisi, qui primus Arcadii & Honorii temporibus Romam lacessivit, tum & aliis Gothorum Vandalorumque

que expeditionibus Sarmatas adfuiſſe, multi autores, ut infrà patebit, confitentur. Inter populos etiam qui cum Alboino Longobardo Italiam intraverunt, Sarmatas nominat Paulus Diaconus in hiſtoria Longobardica lib. II. cap. 12. & ex ipſo laudatus antehàc eruditiſſimus Reineccius. Sarmatarum utique cum Quadis, natione Germanâ, arcta admodum & diuturna ſocietas fuit. Quæ multum negotii Romano Imperio, etiam cum latiſſimè omnium id floreret, creavit. Uti ex Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus patet. Verùm & citra bellorum conſortium hæ gentes Sarmaticæ cum aliis nationibus vivendi aliquâ neceſſitudine fuerunt junctæ. Quia enim Sarmatæ ipſi nec commerciis olim, nec artibus manuariis, nec omninò etiam vitâ oppidanâ delectarentur, alios, quibus iſtiusmodi vivendi ratio magis uſitata grataque eſſet, admittere mutua ſuaſit utilitas. Unde & vocabula omnium penè rerum, quæ ab arte profectæ ad cultum pertinent vitæ, à peregrina ſociarum iſtiusmodi gentium lingua videmus deſumpta. Inde porrò tandem inter gentes ortu diſpares, locis vicinas, armis commerciisq; vitæ ſocias, nominum etiam aliqua mixtura orta eſt. Ut exempli gratia, Venedarum & Vinulorum cum Vandalis. Inde etiam veterum Autorum de his populis hæſitationes, ambiguique ſermones, ac loca ejusmodi, quibus quæ re diverſæ fuerunt gentes, pro iisd.m

 habi-

habitas apparet. Ad quod ſpecimen ille apud Procopium in hiſtoriæ Vandalicæ lib. I. locus eſt : *Gothica*, inquit, *nationes multiplices & olim fuerunt & nunc ſunt. Maxime harum & nobiliſſima ſunt Gothi, proprium nomen ex tota gente adepti, Vandali, Viſigothi, & Gepida, quos vetuſtas Sauromatas & Melanchlanos vocabat, ſunt & qui Getas eos dixêre.* Congeminus huic apud eundem locus eſt hiſtoriæ Gothicæ libro IV. Cæterum quoties migravêre hæ nationes, non ita ferè unquam in terras alias ſeſe effudêre, quin domi aliquæ manſerint reliquiæ. Et in magnis illis, quas ante memoravimus expeditionibus, plurimi Sarmatarum, cum genio & armis expeditiores ſociis gentibus eſſent, facilius cæteris plerumque ad ſua ſunt reverſi. Interim tamen rariorem harum provinciarum habitatorem frequentatæ illæ expeditiones fecerunt. Unde adeò ad hos populares ſuos, quos illa ſecula Venedos, Peucinos, Baſtarnas vel Baſtranas, Jazygas, Boranos, Bulanes, aliisque nominibus vocabant, alii ex eadem Sarmatia, & ab ipſis ſcilicet Europæ oris extremis, diverſi magnisque examinibus advolavêre. Inprimis autem eâ tempeſtate, quâ poſt Juſtinianum Imperatorem potentia Perſarum invaluit, his ipſis impellentibus, ingens Sarmatarum multitudo magnos Europæ cultioris tractus diverſis nominibus inſedit, latiusque propagare

cœpit

cœpit fines. Nam alii Mœſias & his proximas ditiones novo quaſi diluvio inundaverant, Imperatoribus circa ipſa Thraciæ penetralia, Urbemque Principem Conſtantinopolim, moleſti: uti ex Procopio, Zonara, Cedreno, Nicephoro Gregora aliisque ſatis perſpici poteſt. Alii ultra Viſtulam, Viadrumque, ad Albim, Salam & Visurgim uſque, excurſus tandem & ſedes ſuas porrexêre.

Sed de ſede primaria, è qua populi iſti, de quibus ſermo nobis eſt, in alias deinde migraverint, poſteà uberior dicendi campus erit. Nunc nonnihil de nominibus eorundem dicam, cum circa hæc certare gentes æmulas, & alicubi etiam nimio vel amore patriæ gloriæque, vel ſtudio ἀνθολκῆς videam hallucinari. Utique diſquiſitio nominum multum eò conducit, ut ſciatur, quod cujusque gentis genus, quæ decora antiqua ſint. Unde nec mirum, ſi tanquam pro honore natalium majorumque ſuorum in his pugnant ingenia. Et eò cautius cuique argumentum iſtiusmodi tractandum eſt, quia labore difficili, perplexo, ancipiti, qualis in talibus eſſe ſolet, nihil facilius quàm offenſam impetraveris. Sed veri indagandi laudabile ubique ſtudium eſt. Iſta verò uti abſque conjecturis conſtare non poſſunt, ita quisque

bellè satis secum agi judicat, si conjector non planè ineptus audiat; Neque enim ullius ferè rei vel incertior origo, vel facilior, frequentior, majorve, quàm nominum corruptela est. Ubi inprimis illo multorum seculorum circumactu, & inter innumera hominum diversæ nationis ora variè versata, trita, mutilataque sunt. Sic enim pleraque primæ origini tàm dissimilia redduntur, ut nisi in prudentes talium Cognitores incidant, prorsus non inde, unde orta sunt, deriventur. Quis credidisset olim Forum Julii in Friaul, Lugdunum Gallorum in Lyon, Batavicum in Leyden, Ratisbonam in Regenspurg, Augustam Vindelicorum in Augspurg, Neomagum in Nimvegen, Mediomatricum in Metz, Aquisgranum in Aken, Hafniam in Koppenhagen conversum iri? Sic (ut alia prætercam) peregrinans apud Germanos in Pilger, apud Polonos in Pilgrzim abiit. Cæterùm nomina populorum, de quibus ago, alia vetustissima, alia recentiora, alia toti eorum generi & quasi universitati communia, alia singulis propria reperio. Ordiar ab iis quæ & vetustiora sunt, & latius patent cæteris. Inter quæ non nemini fortassè agmen ducere deberc videatur Scytharum appellatio. Quâ sanè nihil antiquius; & videmus eam ab autore non uno nostris his populis attributam. Certè per illos etiam Scythas, quos tam generoso gravique sermone Alexandrum Magnum allocutos

tos refert Curtius, Venedos & Sclavos intelligendos censet Aventinus, diligens sanè nec contemnendi judicii Scriptor. Errat tamen in eo, quod Germanos Orientales cum Venedis & Sclavis confundit, populis sanè non Germanicis. Sed non minus quoque errant duo doctissimi alioquin Interpretes Curtii, qui merè Germanos hic ab Aventino intelligi existimant, cum is expressissimè significet, Venedos, qui se Sclavos vocant, à se notari. Ut res meliùs pateat, ponam ipsa Aventini verba Annalium Bojorum lib. I. *Adfuerunt & Germanorum Orientalium (quos Sarmatas & Scythas Scriptores rerum, nos Venedos, ipsi se Sclavos vocant) Oratores.*

Sed quicquid hoc sit, Auctores quidem prisci, præsertim Græci, tam latè extendêre nomen Scytharum, ut omnes penè ad Aquilonem gentes eo comprehenderint, prout Strabo non uno loco docet, præcipuè autem lib. XI. pag. 349, editionis Casaubonianæ, ubi ait: ἅπαντας μὲν δὴ τοὺς πρὸς βοῤῥᾶν κοινῶς οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων συγγραφεῖς Σκύθας καὶ Κελτοσκύθας ἐκάλουν. *Universas gentes Septentrionales Veteres Græcorum Scriptores Scytharum & Celto-Scytharum nomine affecerunt.* Apollonii Rhodii Scholiastes à Timonacte rerum Scythicarum Scriptore, quinquaginta nationes Scytharum memoratas ait. Quod & doctissimus Reineccius annotavit. Plinius suâ ætate

Scytharum nomen penè exolevisse indicat, puta in Europa aliisque cultioribus Orbis partibus, & nimirum in alia nomina abiisse. *Scytharum*, inquit, *nomen usque quaque transit*, ( Cluverus legit transiit ) *in Sarmatas atque Germanos. Nec aliis prisca illa duravit appellatio, quam qui extremi gentium harum ignoti propè cæteris mortalibus degunt.* Qui illi extremi & Orbi ignoti Scythæ sint, non indicat Plinius, & nos ignoramus. Hoc scimus tamen, hodie multò magis exolevisse nomen illud, nec nisi à literatis dari nationibus quibusdam, quibus videtur ex vero competere. Sed & istis extremis gentium, quos Plinius tangit, nomen istud non diu sedit. Neque enim Turcæ & Persæ, imò nec Tartari, etsi verissimi Scythæ, geniique Scythici præ aliis maximè retinentes, Scythas se vocant. Nec vulgò ita inter alias gentes, sed eruditis tantum, aut cum vulgo loqui adspernantibus, ita vocantur. Cæterum ad Plinii locum, tum ad Scythici nominis amplitudinem rectius intelligendam, plurimum conducere mihi videntur ea, quæ Nicephorus Gregoras autor non contemnendus lib. II. historiæ Bizantinæ habet. Ubi postquam Asiaticorum Scytharum migrationes exposuit, de Europæis ita loquitur : Οἱ δ' ἐς τὴν Εὐρώπην ἀποκλίναντες, ἢ τὴν παρωκεάνειον πᾶσαν καταδραμόντες ἤπειρον, ἐςὶ Σάρμαται καὶ Γερμανὺς τὰ ὀνόματα ἤμειψαν καὶ αὐτοί. Χρόνῳ δὲ ὕςερον καὶ ἐς τὴν Κελτικὴν ἐμβάλλοντες καὶ ταύ-

τὴν

την οἰκειωσάμενοι, Κελτοί τε, ἤδη καὶ Γάλαται ἐκλήθησαν. *Qui verò versus Europam profecti & omnem Oceani oram pervagati sunt, Sarmatarum & Germanorũ nomen sibi vindicaverunt; Deniq; in Galliam quoq; impressione facta, eaq; subacta, Celtae & Galatae olim sunt appellati.* Pergit eodem loco Nicephorus, & Africam à Scythis peragratam, Hispaniamque subactam memorat. Etiam hoc addit; *Quibus Scythae arma inferunt, eos plerumque vincunt & alienis regionibus dominantur. Ipsorum verò patriam Scythiam nemo unquam ab omni aevo domuit.* Porrò vitæ rationem quam Scythæ secuti sunt, prorsus militarem & ad res magnas gerendas aptissimam, memorat, quod idem ante ipsum Trogus olim, & Trogi epitomator Justinus fecerat. Sanè tales si fuerunt Scythæ, quales ab his describuntur, non est mirum, eos, qui moribus adcò antecellebant, armis quoque cæteros superasse. Certè ut nationes ab illis devictas jam mittam, ipsi utique aliarum nationum domitores magnis stragibus affecêre.

Nam & Cyrum trucidarunt, & Philippum Macedonum Regem fuderunt, & Zopyrionem Alexandri Magni Ducem delevêré. Sed quia tamen generosi nonnullorum animi Scythici nominis communionem hodiè respuunt, non nihil adhuc ea de re dicere pergamus. Ac primũ quidẽ Germani quò à Scythis remotiores loco, cò à stirpe illa alieniores videri possint. At interim Germanos inter Scythas olim nõ Græ-

cis

cis tantùm, sed Romanis etiam Auctoribus numeratos esse, ex Strabone, ex Plinio aliisque docet præclarus Geographus Cluverus eo libro, quo Germanorum decora ex omnibus remotissimæ etiam antiquitatis latebris eruit. Atque hoc idem non Goropius tantum Becanus, sed Vir illustris & (ut hoc addere fas sit) magnus olim fautor meus Hugo Grotius in suis ad Historiam Gothicam prolegomenis ostendere conatur, & inter alia argumenta, voces adducit, quas Germani cum Scythis habeant communes, additque insuper aliquot centena proferri vocabula posse, quibus Persica lingua, quæ utique Scythica est, Germanicæ per tot gentes dispersæ respondeat. Nec uno loco idem cum cura agit doctissimus ac mihi olim, dum viveret, amicissimus Boxhomius. Quibus & alii linguarum curiosi peritique viri accedunt. Ex quibus experientissimum Adamum Olearium, ut omni exceptione majorem allego, qui præter cæteram eruditionem utriusque linguæ, Germanicæ & Persicæ gnarus fuit. Quem vide in Itinerario ejus Persico, cap. 24. Illud utiq; omnium confessione certissimum à Mæotide & ei vicinis oris, uti alios multos populos, hodieq; celebres & amplos, ita Germanos, in has quas nunc colunt, sedes venisse. Notissimus est eruditis locus Dionysii Alexandrini, qui olim sub Augusto, ut Vossius censet, Περιήγησιν Orbis scripsit.

Τῇ

Τὼ μὲν πρὸς βορέην τετανύσμενα φῦλα νέμονται
Πολλὰ μάλ' ἐξείης, μαιώτιδος εἰς στόμα λίμνης
Γέρμανοι Σαρμάταιτε, Γέται δ' ἅμα, Βαστάρναιτε
Δάκων' ἄσπετος αἶα καὶ ἀλκήεντες ἀλανοί.

*Hujus quidem ad Boream porrectæ gentes habitant*
*Multæ valdè ordine, Mæotidos usq; ad paludis ostia*
*Germani, Sarmataq;* ( Poëtica licentia pro Sarmatæ ) *Getæq; & Bastarnæ,*
*Et Dacorum immensa tellus & strenui Alani.*

Sed & ante Dionysium Herodotus inter Persici Imperii populos Germanos recensuit. At Persis profectò nunquam paruerunt Germani, nisi cum iis vicini, ultra Mæotidem habitavêre. Ac hactenus de Germanis. Celtas seu Galatas vel Gallos à Scythici ortus, nominisque complexu excludi non posse, ipso Celto-Scytharum nomine, tum multis veterum Authorum testimoniis docemur. Præter cæteros Trebellii Pollionis locum adduxisse sufficiet, qui in Claudio ita habet; *Denique*, inquit ille, *Scytharum diversi populi, Peucini, Trutungi, Austro-Gothi, Virtingi, Sigipedes, Celtæ etiam & Heru-*

*Heruli prædæ cupiditate in Romanum solum & Rempublicam venerunt.* Jam si Celtæ in eum censum veniunt, quid de Celtiberis judicandum sit, ultrò patere videtur. De Sarmatis minimùm unquam dubitatum est, præcipuè inter Græcos, qui Scythicum nomen latissimè omnium porrexére, ut paulò ante ex Strabone vidimus. Et præter Strabonem alia non pauca ex Hippocrate, ex Nicephoro Gregora, quem paulò ante laudabam, ex Tzetza Eustathio Dionysii Alexandrini Interprete, suppetunt loca, quibus id ostendi posset, si res dubia, aut ab aliis ante nos abundè non esset demonstrata. Unum tamen Procopii locum ex lib. IV. historiæ Gothicæ apponere lubet; *Longius, inquit, Gothorum gens, quæ propriè sic dicitur, Visigothi & Vandali, & ceteri Gothici nominis populi habitabant, quos vetustiora secula Scythas vocabant. Nam quicunque homines illa mundi extima tenent, universè quidem Scythæ appellantur, distincti interim in nominum species, Sauromatæ, Melanchlæni, & quæ sunt alia.* Nec de Latinis Scriptoribus multa coacervabimus. Plinium, qui in Sarmatas & Germanos Scythiæ nomen transiisse dixit, paulò ante vidimus. Pomponius Mela Borysthenem inter Scythiæ amnes, amœnissimum vocat. Ergò Scythiam in eas terras extendit, in quibus omnium confessione Sarmatæ vixerunt. Et in Scythia Europæa Sarmatas idem Mela describit: quos *auri & argenti maxi-*

*maximarum pestium ignaros vice rerum commercia exercêre*, ait. Pontum Euxinum & Lucanus & Claudianus Scythicum vocat, cum ei Sarmaticas gentes adhabitasse, ex Autoribus & vel ex Ovidio satis constet: In notitia Imperii Orientis per Guidonem Pancirollum illustrata, cap. CLI. Scythiæ nomine illa describitur regio, quæ ultra Danubium, supra Mysiam inferiorem, est & extenditur per oram maris Euxini circa paludem Mæotidem, quà Danubius Euxinum ingreditur. Magnam adeò partem Sarmatis habitatam hæc Scythia complectebatur; Sozomenus etiam Tomos Scythiæ attribuit; Et à Vigilio Romano Pontifice Valentinianum Tomitanum Episcopum Scythiæ Metropolitanum appellari video apud Baronium sub Anno 549. Enim verò etsi Sarmatas, uti & alios quosdam populos generali Scytharum nomine involverint subindè Scriptores. alibi tamen, ubi exactius loqui voluêre, eosdem à Scythis secernunt. Ipse Herodotus, etsi Græcus, & viro doctissimo omnem Sarmatiam sub Scythiæ nomine comprehendisse visus, studiosè tamen à Scythis distinguit Sauromatas; Notabilis locus est de Laxiis, lib. IV. Τάναϊν δὲ ποταμὸν διαβάντι οὐκέτι σκυθική, ἀλλ' ἡ μὲν πρώτη τῶν λαξίων Σαυροματέων ἐστι, οἱ ἐκ τοῦ μυχοῦ ἀρξάμενοι τῆς μαιώτιδος λίμνης νέμονται τε πρὸς βορέην ἄνεμον. *Trās flumē Tanaim nō est regio Scythica, sed prima Laxiorū Sauromatū, qui à recessu Maotidos paludis incipientes incolunt tractū aquilonarē.*

Idem

Idem etiam, quem ante allegabam, Mela, etsi lib. II, cap. I. Scythis Europæis Sarmatas intermiſcat, tamen lib. III. alio capite de Sarmatia, alio de Scythia agit. Solinus etiam polyhiſtor ſeparat, cum inquit; *Monti Æmo, Maſi, Getæ, Sarmatæ, Scythæ & plurimæ inſiauunt nationes.* His ſimilia loca apud alios authores reperiri non pauca poſſunt: Et aliqua ad hoc exemplum notavit eruditiſſimus Opitius noſter in variis Lectionibus ſuis. Hoc utique pro comperto & explorato habemus atque aſſerimus, ex antiquis nominibus nullum prorſus his populis, de quibus agimus, magis eſſe adæquatum quàm Sarmatarum. Et quæcunque callentiores rerum Scriptores de Sarmatis tradunt, pleraque majoribus Sarmatarum noſtrorum quadravêre. *Habitu armisq; Parthis proximos, non ſe Urbibus tenere, & ne ſtatis quidem ſedibus*, Pomponius Mela dixit, & verum eſſe conſtat omnium conſenſu. *Ut invitavêre pabula, ut cedens* (Henrici Stephani editio habet cædens) *& ſequens hoſtis exigit, ita res opesque ſecum traxiſſe, nemo eſt, qui negare velit aut poſſit, ſemper caſtra habitaſſe, bellatricem, liberam, indomitam gentem fuiſſe & eſſe*, præclarum à Viro Romano teſtimonium & elogium eſt. Quæ de fœminarum virili fortitudine idem Mela addit, Amazonibus equidem tribui ſolent. Sed has ipſas Sarmatidas vocat Plato, lib. VII. de legibus. Easdemq; viris Sauromatis mixtas fuiſſe Dio-

Dionysius Alexandrinus in periegesi, & ex Dionysio refert Joannes Tzezes Chil. XII 450. Pulchra utiq; Amazonum imitamenta in Venda sua Poloni, in Libussa Boemi, in Olha Roxolani ostentant. Sed quia nomen Sarmaticum inter propria harum gentium, & maximè adæquata primum esse dixi, non alienum videtur de origine vocis pauca addere iis, quæ ab aliis jam dicta & explicata sunt. Qui ex Græco deducere vocabulum voluêre, nescio quibus oculis Sarmatarum vultus lacertis pallore similes animadverterint. A lacertarum enim oculis nomen derivârunt Sauromatarum. Quod meritò ut ineptum explodunt alii, interque eos Cluverus. Si τὰ ἅρματα hoc est, plaustra, vitamq; Sarmatarum, Nomadicam, & veluti Currulem viderant, aut aliunde noverant, cur non inde potius ortum inter Græcos nomen credidêre? primæ literæ defectus non debuit officere, cum in pluribus Græcorum vocabulis aspiratio in S. mutetur, ut ex ὕλη, fit *Sylva*, ex ὕδωρ *sudor*, ex ὑπὲρ *super*, ex ἥλως *Sol*. Sed relinquamus Græcas origines, & Sarmatarum nomen ex Hebræo potius fonte, unde & Græca potissimum fluxêre, petamus. Inter primos generis humani post diluvium restauratores unus abnepotum sermone Hebraico vocatur *Hassarmavet*, Josepho Græcè ἀζαρμώθης. Ab hoc facili flexu Sarmatam derivaveris. Atque inde derivat vir limatissimi judicii

cii Arias Montanus. Nec injuria huic etymologiæ utroq; pede insistendum putat studiosissimus patriæ suæ Scriptor & illustrator Sarnicius.

Gloriosum enim est certum, & nobilem & antiquum gentis suæ habere authorem: Neq; adeò alterius populi genitoribus censeri, quemadmodū Berosus & qui eum sequuntur, Tuisconem diversissimarum gentium patrem facere voluêre. Sed si quis ista vocis ab Azarmote deductione nolit esse contentus, est unde aliam non inconcinnam & genti sanè perdecoram demus, si nimirum compositum nomen dicamus ex שׂרמאד *Sarmeod*, שׂר *Sar* Dominum & Principem notat, & fortaſsè Czari ortum in his populis nomen est, מאד idem est quod *valdè* aut *multum*. Sic Sarmata Magnus Dux & Princeps erit. Nec fallit nominis indicium, si amplitudinem terrarum populorumque lingua Sarmatica utentium, latissimè sanè diffusam, spectes. Si porrò Sarmatarum illos præcipuè respicias, qui summa libertate fruuntur, ingens sanè eorum dominium dixeris, qui nullas leges agnoscunt, nisi quas ipsi sibi posuerint. Philippus Melanchthon de origine vocis ita disserit lib. I. Chron. Carionis: *Sarmata, rectius Sauromata, id est Dux altitudinis. Quod intelligo de regione ardua, quia assurgit terra versus Septentrionem.* Postquam hæc scripsi, incido in viri Doctissimi Samuelis Bocharti Geographi-

graphi-

graphiam ſacram; & in ea aliam etiam vocis Etymologiam reperio. Nimirum ille ex Chaldæo שְׁאַר מָדַי *Sear*, vel *Sar Madai* vocem deducit, ut ſic Sarmatæ ſint Medorum reliquiæ, timidiuſculè tamen hanc derivationem proponit, etſi eum nonnihil juvet Plinii authoritas, qui Sarmatas Medorum Sobolem ex fama appellat; ſed de vocis origine plusquam ſatis. Si jam conquirere ex Authoribus vellem, quæ de antiquis Sarmatarum moribus paſſim tradunt, eſſet ſanè, unde multas chartas implere poſſem. Ac primum Religio illorum tangenda foret, quæ in illis veteris barbariæ tenebris non potuit non maximè craſſa eſſe atque abſurda, cum & cæteræ gentes, extra Dei populum, adeò circa divinitatem & res ſacras deliraverint. Martem tamen iſtis gentibus præcipuè cultum eſſe omnes perhibent, etiam Clemens Alexandrinus in Syntreptico. Mela cum Melanchlænas, Gelones, Neuros nominaſſet, *Mars ait omnium Deus, ei pro ſimulachris enſes & cinctoria dedicant, hominesque pro victimis feriunt.* Unde & apud Thraces, populum, vel eundem cum Sarmatis, vel iis affinem, Martem natum eſſe vetuſtas gentilis credidit. Et Martis cauſa per acinacem hæ nationes jurârunt. Imò eundem Sarmatas adoraſſe ex Iceſio veteri autore indicat ille, quem modò laudabamus Clemens Alexandrinus. Qua de re magni viri Iohannis Gerardi Voſſii doctiſſimum opus de

Idololatria lib. I. cap. 33. videatur. Is illorum etiam Sarmatarum, qui Poloniam & confines ei provincias posterioribus temporibus tenuerunt, Idola, ex Helmoldo & Gvagnino commemorat. Sed alios porrò istarum gentium Deastros alii nominant, à Vossio prætermissos. Sabinus, in urbe Brandenburgo, triceps Idolum, *Trigla* dictum à Venedis summa veneratione cultum memorat. Quod Idoli nomen corruptum, attamen Slavonicæ originis esse, & à tribus capitibus dictum videtur. De Crôdone, Rudianato, Slavorum Idolis, multa habet Petrus Albinus in Chronico Misnico, Cap. XI. pag. 151. Sed nos ista jam tantum attigisse contenti redimus ad Vossium, qui ex Helmoldo nigrum Deum, quem Slavi *Czernebocb* nominârint, adducit. Ille author, si comperta retulit, ut credere lubet, facilè intelligitur, Sathanam à Slavis apertissimè cultum esse.

Quid enim aliud niger ille Deus significaverit, qui voce Slavonica notatur? Sed mirum ab eodem Vossio nullam mentionem factam cæterorum Deastrorum, quos Helmoldus à Slavis honoratos refert, Cap. LII. Ubi primò *Prove* nominatur, vel ut alibi vocat, *Prone.* Quorum nominum posterius à *piorum*, hoc est fulmine dictum crediderim, cum aliundè sciamus, ignem à Scythis & Piorunum à Prussis, tum & magnæ Novogardiæ incolis, ejusdem & originis & in religione sensus populis, cul-

tum

tum esse. De Prussis omnes Historici harum gentium, de Novogardiensibus præter alios id vir πολύτροπος testatur Adamus Olearius. Alterum *Prove* sumptum à ritu explorandi reos scelerum per ferrum candens. *Prove* enim ut Latino vocabulo *probandi* affine est, ita vox illa, quæ tàm Sarmatis, quàm Germanis probationem significat, à Latina non multum abit. Et Idolum ipsum, prout illud vir literatissimus Henricus Bangertus, in fronte Helmoldi à se magno studio illustri, exhibuit, ferrum latum ac rubrum, quasi candens, dextra manu gestabat. Ibidem *Svantovitum* nominat Helmoldus. Quod *Sanctum vitum* significare videtur. Quem Slavi Pomeranici olim ad religionem Christianam conversi pro Sancto, postea ad paganismum relapsi, pro Deastro coluerunt. *Ita ut inter omnia numina Slavorum* (verba sunt Helmoldi lib. II. cap.12.) *primatum obtinuerit, clarior in victoriis, efficacior in responsis.* Tria præterea alia Slavorum Idola eodem loco Helmoldus describit. Unum masculum cui nomen *Radegast*, vel ut alii *Radegais.* Fortaßè à Consilio, quod Slavonica lingua rada, Germanica Rath / appellatur. Cum Oracula inde petere solita sit harum gentium superstitiò. Vocula ultima non uno modo e fertur. Si Germanica est, & nempè à Slavis hic inventa, tum à Geist / hoc est, *spiritu* derivari possit. Si Slavica, tùm corruptam

 dixeris

dixeris ex *Gess*, aut *Gessa*, quo Jovem veteres Polonos significasse infrà docebitur.

Duo specie fœminea idem Bangerti liber nominat. Quorum prius *Siva* appellatur ab Helmoldo. Huic in imagine, quæ *Rodegasto* apposita est, capillitium ad poplites usque defluit tergo, manuum una pampinum cum uvis, altera pomum aureum gestat. Addit Bangertus Venerem hanc fuisse Polaborum. Nomen fortasse Sarmaticum, *Dzivva*, cujus diminutivum *Dzievicza* hodieque in usu est, & Virginem significat; Sed quæ Siva ab Helmoldo vocatur, non alia fortasse ab illa est, quam Cromerus in Polonia ante Christianismi tempora cultum, & *Zyvvie* à vitali aura appellatam asserit. Venerem equidem vetustissimos Sarmatas in antiqua circa Mæotin sede colore didicisse, probabile est. Ibi enim civitas fuit *Panagoria*, quam montem Virginis interpretari licebit Sarmatæ. Eo utique loco excogitatissimis honoribus culta est Venus, ut Strabo lib. XI. ubi Tanain & Mæotas describit, & alii testantur. Idem Cromerus *Pogodam* huic apponit, quod Serenitatem in lingua Slavonica notat, nec diversum fortassis est à *Podagâ*, quod Plunensium Idolum perhibet Helmoldus, nomine ut opinor corrupto, quia linguæ istius ignarus erat Helmoldus. Quod ipsum & illi & aliis, qui rudes linguarum in hoc argumento versati sunt, impedimento est,

eſt, ne rectè aliqua vel dijudicare, vel efferre potuerint. Sed ut cœpi dicere, alia etiam veterum Sarmatarum numina dicto loco recitat Voſſius, Ducem inprimis, ut ipſe fatetur, Gvagninum ſecutus. Hic verò cum in *Geſſa* Jovem, in *Lactone* (rectius *Ladone*, ut Cromerus) Plutonem, in *Nia* Cererem, in *Marzana* Venerem, in *Zievvnia* Dianam dixiſſet cultam, *Lelum* quoque & *Poletum* addit, eosque pro Caſtore & Polluce habitos ait. Cromerus primo *Poletum* in *Polelum* rectè mutat, deinde totum hoc de Caſtore & Polluce timidiuſculè affirmat, potiusque aliorum ſe, quam ſuam ea in re ſententiam afferre innuit. Voſſius vir optimus rationem voluiſſet additam, cur *Lelum* & *Polelum* interpretati hi ſint Dioſcuros. Ego nullam hariolari aliam poſſum, quam quod *Poleti* vox videretur alludere ad Pollucem. At interim merè ficta ac effuticia hæc ſunt vocabula, & eo numero rectè habentur à Doctiſſimo viro. Aut ſi origine aliqua cenſeri debent, habent eam inde, unde trita illa in compotationibus, *hey, naley*. Nimirum quando liberalius Baccho litabatur, tum iſtæ à profuſione petitæ voces ingeminari ſolebant, inprimis ſi ejus continuationem, vel indicare quis vellet, vel reprehendere. At interim Caſtori & Polluci inter priſcos etiam Sarmatas honorem fuiſſe, aliunde non ineptè colligi poſſit. Ac inprimis vel inde, quod in-

rer Heniochos, Cercetas (à quibus Cercaſſi) Moſchos, Colchos, populos omnes Sarmaticos, ſita fuit olim Dioſcurias, à Caſtore & Polluce Dioſcuris, dicta Civitas, ut Plinius l. VI. c. V. ait; adeò verò clara, ut Timoſthenes in eam trecentas nationes, quæ diſſimilibus linguis uterentur, deſcendere prodiderit. Et poſtea à noſtris (Romanis) centum triginta interpretibus negotia ibi geſta.

Sed & Deæ *Phaſiana* mentiónem facit Arrianus in periplo. Quam eandem cum Cybele eſſe Voſſius lib. II. de Idololatria ſtatuit. De eadem quoque diſſerit Bochartus lib. IV. cap. 31. ubi de Colchorum vita & religione agit. Apud quos ait *Solem* & *Dianam* maximè cultos. Taurica utiquè Diva, Diana fuit; de qua Ovidius:

*Nec procul à nobis locus eſt, ubi Taurica dira*
*Cæde, Pharetratræ ſpargitur ara Deæ.*
*Templa manent hodie vaſtis annixa columnis,*
*Perque quater denos itur in illa gradus.*
*Fama refert, illic ſignum cœleſte fuiſſe,*
*Conſortem Phœbi gens colit illa Deam.*

Hæc de religione, ſi ita dici meretur, Sarmatarum aut omnium, aut ſaltem quorundam. De cæteris eorum moribus jam ante nonnihil dixi ex Pomponio Mela, & plura dicentur ſubinde, cum ſingulas nationum iſtarum quaſi tribus excutiam. Nunc cætera ex antiquitate nomina attexere pergo. Vetuſtiorum autem appellatio-

latienum, nulla quæ dicenda reſtet, latius meo judicio patuit Heneta, vel ut alii vocat Eneta. Homerus adſpirationem addit, omittit Apollonius Rhodius in Argonauticis. Ac quoniam hi mentionem nominis Eneti faciunt, colligi vel inde poteſt vetuſtas ejus, quippe ipſis etiam Argonauticis & Trojanis expeditionibus imixta. Sed illis temporibus in Paphlagonia præcipuè adhuc habitabant Heneti iſti, qui Homero & Apollonio innotuerunt. Uti ſanè eos partem Paphlagonum nobiliſſimam vocat ex Strabone Clariſſ. Salmaſius ad Solinum p. 889. Herodoti verò ævo Italiæ jam quoque oram, qua ad Adriam eſt, tenebant iidem Heneti. Expreſsè enim in Terpſichore mentionem facit Henetorum, qui ſunt in Adria. At eorum origo ex antiquis Sarmatarum ſedibus. Nec temerè Riphatæos eos vocat Joſephus. Unde Caucones ante tempora Trojani belli vocatos, annotavit eruditus Apollonii interpres, τούτους, inquit, Καύκονας ἐκάλουν πρὸ τῶν τρωικῶν.

Haud dubiè autem iſti Caucones è vicinia Caucaſi venerunt. Ubi omnia Sarmatarum plena. Ibi inter alios Serbi, Cercetæ, hoc eſt Circaſſi ponuntur à Ptolomæo. Proximi illis Heniochi, qui an nomine iidem cum Henetis, non affirmem, genere utique non alios fuiſſe, haud ambigo. Nam & hi & illi ſarmatici ſanguinis. Et utrisque ex cura equorum claritudo. Certè illos qui Paphlagoniam, poſtea Adriam coluêre, nobilium equorum educatione, diu

inclytos fuisse Strabo testatur. Apud Henetos Plinius ponit oppidum Mastia & Cromna, quæ ipsis nominibus Sarmaticam originem spirant, vide lib. VI. cap. 2. ubi de Paphlagonia agit. Sed vox Heneta unde derivata sit, non satis liquet, Jornandes libr. de rebus Gethicis cap. 29. nescio quam nobilem vocabuli originem innuit. De Ravenna enim loquens, *cujus* inquit *possessores Eneti, id est laudabiles, dicebantur.* Et eodem alludit Paulus Varnefridus lib. II. de gestis Longobardorum cap. 14. *Eneti* inquit; *licet apud Latinos una litera addatur, Græcè laudabiles dicuntur.* Si rectè conjicio ab Euganeis aut ab αἰνέειν deducunt nomen, unde & Æneas, Homero & Virgilio decantatus, suum habuit. Sed potius vernaculum genti nomen, quam Græcum esse arbitratur Reineccius, deductum nimirum ex Slavonico verbo *Honati*, quod est persequi, cursu certare, idque ipsum Heniochorum appellatio, tam in Sarmatica quam lingua Græca innuit. Philippus Melanchthon ex Hebræo vocem deducit, & mobilem seu vagum significare ait. Etsi autem radicem, à qua originem vocis esse existimet, non addit, puto tamen alludi ab illo ad verbum נוד *nod*, quod significat *motum seu agitatum esse.* Ab eo formatur in Hiphil הניד Chald. אניד *agitavit, movit.* Cæterum latissimè & Henetos & Heniochos habitasse, multa sunt quæ docent. Nam & Homerus illis aliquot Urbes (cum tamen

men nonnisi præcipuas nominare procul dubio voluerit) attribuit, ita enim inquit:

Οἱ τὰ Κύτωρον ἔχον, καὶ σήσαμον ἀμφινέμοντο
Ἀμφί τε Παρθένιον ποταμὸν κλυτὰ δώματ' ἔναιον,
Κρῶμνάν τ' Αἰγιαλόν τ' καὶ ὑψηλοὺς Ἐρυθίνους.

*Qui Cytorum tenebant, & Sesanum incolebant,*
*Cirraque Parthenium fluvium inclytas domos habitabant,*
*Cromnamque Ægialumque & altos Erythinos.*

Ipsi deinde Heneti facili trajectu per mare Colonias transportârunt, sinumque Adriaticum, & ibi tractum Venetum insederunt, quod Polybius, quod Cornelius Nepos, deinde ex eo Plinius & Solinus referunt. Remq; eandem Livius in ipsa fronte historiæ suæ posuit. Nec omisit Messala Corvinus in libello quem de progenie Augusti scripsit. Eo pariter respiciunt Silii Italici versus lib. VIII.

*Tum Trojana manus tellure antiquitus orti*
*Euganea, profugiq; sacris Antenoris oris,*
*Nec non cum Venetis Aquileja superfuit armis.*

Quos plerosque omnes, atque etiam plures Autores, cum inspexisset Clarissimus Italiæ De-scriptor

ſcriptor Leander Albertus, ipſe tandem in Marchia Tarviſina p. 711. addit: *Tot inquit ſummæ autoritatis Scriptorum ſententiæ profectò nos adigunt, ut Venetorum gentem huc cum Antenore poſt Trojam captam omninò veniſſe cenſeamus.* M. Antonius Sabellicus Ennead. I. cap. VII. poſtquam de Ænea & Regno Latino, Albaque condita multa memoravit, ita de Antenore diſſerit. *Antenor & ipſe pari clade patria pulſus Illyrici lateris oram prætervectus in Euganeis conſedit, atque ea gente cum ſuis, ſedibus pulſa Patavium condidit. Fuerunt ejus comites Heneti ex Paphlagonia profecti, unde poſtea Regio ingens, quæ inter Adriam jacet & alpes, nomen eſt adepta, nihilo minoribus auſpiciis, quàm Trojani, qui cum Ænea venerant, in Italiam delati. Inde Romani oriundi, hinc Veneti. Uterque populus ad ſplendorem & gloriam natus. Felix ille imperii magnitudine & rerum geſtarum gloria. Hic diuturnitate imperandi, & juris æquatione.* Hæc Sabellicus. Tractus autem Venetus quam latè patuerit, vel ex Paulo Varnefrido, qui de Longobardis ſcripſit, diſci poſſit. *Venetia* inquit *non ſolum in paucis Inſulis quas nunc Venetias dicimus, conſtat, ſed ejus terminus à Pannoniæ finibus usque Addnam flumen portelatur, probatur hoc annalibus libri, in quibus Pergamus Civitas eſſe legitur Venetiarum.* Leander Albertus antiquæ Venetiæ terminos ita deſcribit:

*Ab*

*Ab Occidente*, inquit *venetiam claudit Mincius Benacus & Sarca flumen, à Septentrione montes Taurisani, Italiæ Germaniæq; discrimen, ab Oriente Timaviostium, & pars Adriatici maris, à Meridie ostium Athesis, paludesque Melariana ac Brigantina.* Hactenus doctissimus Monachus Albertus. Ab antiquissimis igitur temporibus Heneti in Italia per Istriam, Liguriam, totumque Illyricum longissimè sanè porrectum sparsi vixêre, primævis diu incolis Euganeis, (quanquam hi pleriq; pulsi sedibus avitis excessere) ac deinde Romanorum, quibus multum negotii subinde facessivêre, Coloniis tandem immixti, & in alios prorsum mores, linguamque tandem tractu temporum molliti, ut verè judicat magnus Author defensæ contra Barclajum Poloniæ, illustriss. Opalinscius Mareschallus Curiæ. Ante istos verò cognati eorum Colchi Jasonem aurei velleris raptorem insecuti, ibidem consecêre. Quos Lygysticos Lycophron appellat. Et inde nomen Liguribus sedisse multi Authores perhibent. Quibus vir insignis Reineccius, ubi regnum Lygusticum describit, assentitur. Jam ab iisdem Colchis istri quoque profecti. Quod inter alios Epitomator Trogi Justinus memorat lib. 32. cap. 3. Ubi videri merentur quæ apponit doctissimus interpres Berneggerus. Nobis ea de re plura dicendi iterum mox erit occasio, ubi & rationem assignabimus, cur Colchos Henetorum

cogna-

cognatos appellaverimus. Jam Heniochorum ingentes fuisse tractus, vel ex Strabone satis intelligitur, qui eos ait quatuor Reges habuisse; illo tempore, quo Mithridates ex avita ditione fugiens in Bosphorum per ipsorum regionem transiit. *Nam hæc*, inquit, *ei persia fuit*. Cujus rei etiam mentionem facit Epitomator Livii, c.101. Sed Strabo mirificam quoque Heniochorum in mari decurrendo agilitatem, lembosque eorum planè similes Cosacicis nostri ævi describit lib. XI. Plinius lib. VI. cap. IV. ubi per totam pæne Temisciranam regionem Heniochos sparsisset, tandem, ut latius etiam eosdem patere indicaret; caput ita concludit: *Deinde multis nominibus Heniochorum gentes.* Sed in eodem hoc capite Genetarum quoque mentionem facit Plinius. Et ἄκρης γεννεταίης hoc est promontorii Gennetæi in Euxino meminit Apollonius argonauticorum lib.II. An ad Henetosilli Genetes pertineant, non asseveraverim, sed nomina non abludunt, in lingua præsertim Slavonica, ubi g. cum adspiratione h. subinde commutant Dialecti. Talia utique iis minimè displicuerint, quibus virum doctissimum Casparum Peucerum sequi lubet. Is enim universos hos terrarum tractus Ponto vicinos Sarmatis & Henetis diversorum nominum, sed ejusdem generis populis attribuit: eo tamen discrimine ut Sarmatis Ponti & Mæotidos latus Septentrionale, Meridionale autem

Henetis,

Henetis, qui & Veneti dicti, assignet. Ac porrò eò progreditur, ut Bithynios, Paphlagones, Cappadoces, Heneta lingua usos putet. Sequitur ea in re Peucerus præceptorem & socerum suum Melanchthonem, qui sæpius ad hoc exemplum de Henetis in Chronico Carionis disserit. Nec dissentit ab eo Georgius Sabinus, cujus de hoc argumento verba ex epistola ad Stanislaum Dziadusium huc lubet apponere. *Non dubium est*, inquit, *Polonos Henetam gentem esse, quæ & in Asia vicina fuit genti omnium laudatissimæ & cultissimæ Jonicæ, & postea Duce Antenore in Europam ducta, propinquas Græciæ sedes in Illyrico occupavit, & tenet etiam nunc annos ad hoc tempus post bellum Trojanum circiter bis mille sexcentos. Inde progressi, Septentrionis oram ad Istulam compleverunt.* Nec de Henetis obscura sequor indicia. Gentium Origines præcipuè ex appellationibus & lingua judicantur; Quos verò hodiè dicunt Venedos seu Venetos, hos esse Henetos, ostendunt appellatio & locus. Nam Henetos in Illyrico, ubi manet appellatio Venedorum, consedisse affirmat Herodotus. Deinde linguam Polonorum congruere cum Illyrica manifestum est, & multarum Urbium appellationes cognationem cum Polonis ostendunt. Cum autem in Asia genti Jonicæ, quæ sine ulla dubitatione omnibus nationibus toto orbe terrarum omni civili cultu antecelluit,

luit, admisti fuerint Heneti, & postea in Europa Græcis, consentaneum est eos, propter cœli ac regionum temperiem & consvetudinem humanissimæ gentis, & natura ad virtutem idoneos semper fuisse, ac disciplinam & civilia officia intellexisse atque coluisse. Cæterum nomen Henetorum uti latè per Ponti, Mæotidos, & denique Adriæ littora diffusum fuit, ita, migratione populorum, ipsoque etiam temporum lapsu omnia mutante, immutatum est, alio atque alio subinde modo. Nam primum ex Henetis vel Enetis Venetorum ac Venedorum nata est appellatio, flexu non inusitato. Sic ἶς Græcorum in Latinum *vis*, οἶνος in *vinum*, ἐιδέω in *video*, ἐσθὴς in *vestis*, ἑστα in *vesta* abiit. ἦρ in *ver*, ἔντερα in *venter* abierunt. Sed Venetum nomen ab ipsis Antenoris Trojani temporibus in Italia mansit, tandemque in terræ marisque præ cæteris istic potente Republica resedit. Quæ & gentium à quibus nomen habet, aliquas reliquias ordinatissimo suo & hactenus prospero imperio, adversum Ottomannicæ potentiæ robur tuetur. Venedi, quando à priscis sedibus in alias se commoverint, minus equidem constat. Interim ad Balthicum usque mare progressi, magno ejus Sinui, qui Svediam à Prussia, Curlandia & Livonia longo lateque intervallo sejungit, assederunt, eoq; invaluerunt, ut deniq; illi nomen suum indiderint. Factum hoc eo tempo-

tempore, quo Cimbri ad mare Balthicum considere cœperunt, suspicamur. Eos ex prioribus è Moschorum sedibus comitati, quod & ante ex Strabone monuimus, ad Sinum, cui nomen postea suum impertierunt, locârunt sedes suas. Contigit hoc ante Syllæ Mariique tempora. Sanè Ptolomæi temporibus, Sinui isti & accolis ejus firmatum jam nomen erat à Venedis. Nomen hoc Sinus Venedici, ut tritum eo seculo, nec jam novum adducit. ἡ ἐν εὐρώπῃ Σαρματία περιορίζεται ἀπὸ τῶν ἄρκτων, τῷ σαρματικῷ ὠκεανῷ κατὰ τὸν οὐενεδικὸν κόλπον; *Sarmatia Europæa definitur à Septentrionibus Oceano Sarmatico juxta Sinum Venedicum.* Tacitus Svevicum mare dixerat. Ex quo colligitur illius seculo Venedos etsi jam huic mari adsitos, nondum tum adeò inclaruisse. Unde adhuc etiam dubitabatur, cujus originis hi populi essent. Ipse tamen non ita de Venedis quam de Peucinis & Fennis ambigit. Notus est laudatissimi Authoris in libro de Germania locus: *Peucinorum*, inquit, *Venedorumque & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam, dubito. Quanquàm Peucini, quos quidam Bastamas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis, ut Germani agunt. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosque Sylvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen (id est Peu-*

(C) *cini*

*cini & Fenni,) inter Germanos potius referuntur, quia & domos figunt & ſcuta geſtant, & pedum uſu ac pernicitate gaudent, quæ omnia diverſa Sarmatis ſunt, in plauſtro equoque viventibus.* Peucinos igitur & Fennos Germanis, Venedos Sarmatis potiùs adſcribit Tacitus. Inprimis illis, an viro conſtet ratio, alibi dicetur. In altero utiq; planiſſimè conſtat. Nec ſuſtinuit Hugo Grotius in prolegomenis ſuis ad Procopium & cæteros Gothorum Scriptores, quos edidit, Venedos negare Sarmatas eſſe; etſi alioquin Vinilos inde excluderet; Sed nimirum mox poſt Taciti ſeculum publica quodammodo Orbis ſententia rem definivit. Aurelio enim imperãte Sarmatiam à Germania diſterminabat Viſtula. Eodemq; tempore Sinus ille maris Balthici, qui ab oſtio Viſtulæ ad ultimos uſq; Fennos procurrit, dictus eſt Venedicus. Quia nimirum ſecundum hujus Sinus littora Venedi habitabant. Ita enim idem Ptolomæus, qui Aurelio imperante ſcripſit, lib. III. cap. V. κατέχει δὲ τὴν Σαρματίαν ἔθνη μέγιστα, οὐενέδαι, παρ' ὅλον τὸν οὐενεδικὸν κόλπον, καὶ ὑπὲρ τὴν Δακίαν πευκῖνοι καὶ Βαστάρναι.

*Tenent autem Sarmatiam gentes maximæ, Venedæ, per totum Venedicum Sinum & ſuper Daciam Peucini & Baſtarnæ.* Ubi Peucinos & Baſtarnas quoq; Sarmatiæ aſſignat Ptolomæus à Tacito apertè diſſentiens. Sed Venedos inter maximas gentes primo ponit loco, aitque

aitque præterea, eos omnem Sinum Venedicum tenuisse. Ex ipsius igitur sententia magnam partem Prussiæ, ut hodiè vocatur, Ducalis, Curlandiam, Samogithiam, Livoniam, aut totam, aut partes saltem littoribus adsitas tenuerint Venedi. Ac sanè tam in Livonia, quam in Curlandia sunt adhuc nominis istius magna vestigia. Nam & Venda vel Episcopali dignitate, satis innotuit, neque amnis Vindavv, qui cognomine oppidum alluit, obscurus: cum &, navigiorum sit patiens. Sed post tempora Aurelii & Ptolomæi sedibus his suis se effudêre Venedi, magnamq; partem Germaniæ occupaverunt. Quia nimirum antiqua habitacula non capiebant amplius crescentem non infœcundæ nationis multitudinem. Et porrò tùm novos, sed ejusdem originis populos gloriæ & novitatis cupido aliundè appulerat. Qui, Sarmatæ, cùm essent, Slavos se ultrò vocaverunt. His sociati animatiq; Venedi, tanto alacrius finitimas terras aggressi sunt, cum inprimis rarioribus incolis tum habitarentur. Nam eo tempore Vandali, populus olim à Mæotide profectus ut Procopius ait, & postea inter Vistulam & Oderam, alicubi & latius habitare solitus, in cultiores Europæ partes viritim eruperant, paucis, qui sequi ob ætatem vel imbecillitatem non possent, domi relictis. Cum quibus deinde in terrâ, cuivis tum patente, facilè coaluerunt Venedi. Et quia nomina utriusq; gentis, non mul-

tum diversa jam erant, ea postmodum, seu ipsi, seu alii in idem confudêre. Atq; inde factum, ut qui olim Venedi audierant, mox Viniti, tandem & Vandali appellarentur. Multæq; gentes, atq; in iis etiam Scriptores nonnulli pro eodem populo Venedos & Vandalos habuêre, & usq; habent. Etsi Germanicè expressum nomen propiùs omninò ad illos, quam ad hos accedit. Quippe Wenden appellantur, cum Vandalos olim Vandeln Germani vocaverint. Sed isto, quem non sinè justissima causa posui, coalitu, veritas rei non obscurè elucescit, & controversia, quæ acribus aliàs studiis inter eruditos agitatur, commodissimè sic componitur. Nam Vandali, illi, aut certè eorum reliquiæ fuerunt, ad quos novus à Sinu Venedico populus accessit, sed iidem magis mox Venedi, postquam hi & numero & viribus istic præpolluerant. Sed & cæteris illis, qui Italiam petierant, Comites haud dubiè non pauci & ex Venedis iverunt. Quia Sarmatici hi populi, ut principio statim monui, aliis nobilem aliquam expeditionem tentantibus, promptissimè semper se sociare soliti sunt. Quippe & equis & viris abundabant, armis autem & opimis spoliis magis, quam otio assveverant. Certè in celebri illa Rhadagensi expeditione, quæ sub Arcadio & Honorio Imperatoribus suscepta fuit, præcipuæ partes Sarmatarum fuerunt, ut ex Isidori Chronico apparet. Quod sub æra quadringentesima quadragesima

tertia

tertia ita habet: *Anno Imperii Honorii & Arcadii decimo, Rex Gothorum Rhadagaisus, genere Scytha, cultui Idololatriæ deditus, barbaricæ immanitatis, feritate sævissimus, cum ducentis armatis Sarmatarũ millibus Italiæ partes vehementi vastatione aggreditur.* Carolus Sigonius ubi libro X. de Occidentis Imperio. à Rhadagaiso populos transIstrianos & trãsRhenanos adversum Romanum imperium concitos dixerat, subjicit mox: *Itaq; ad novam irruptionem faciendam eos hortatur, & si se ducem sequantur, Romam captam ac prædæ propositam pollicetur. Atq; ita unà cum Gothis Sarmatas & Germanos sic evocat, ut ducenta millia hominũ conficiat. Zosimus duplicato numero quadringenta millia ea fuisse affirmat.* Ita Sigonius. Postea quoq; Vandalos, Alani, Heruli, Turcilingi, mixti nimirum Scythicis populis Sarmatæ, comitati sunt, cum maximus Europæ provincias affligerent. Sidonius Apollinaris, cum de inundationibus istis barbararum gentium loquitur, non omnes quidem, tamen aliquas enumerat, in quibus non paucæ Sarmaticæ. Ita autem loquitur:

*Pugnacem fortem Rugum, comitante Gelono*
*Gepida trux sequitur, Scirum Burgundio cogit,*
*Chunus, Bello notus Neurus, Bastarna Turing9.*

Hæc eo lubentius memoro, quia & verissima esse puto, & lucẽ afferre posse reor tenebris, quas malè consulta æmulatione mutuò sibi affun-

 dunt

dunt viri docti. Inter quos omnium maximè miror abreptum tam longè à vero, virum alioquin longè eruditiſſimum & de re literaria præclarè meritum Iſaacum Pontanum, qui in Chorographia Daniæ, Vandalos, Vinilos, Venedos, aut quocunque alio nomine veniunt hi populi, unam gentem exiſtimat, Taciti & Plinii, ac tot aliorum authorum graviſſimorum diſſenſum nihil moratus, qui Vandalos Germanos, alteros autem Sarmatas ſtatuunt. Et porrò non inde, unde alii Venedorum aut Vandalorum originem deducit, ſed nempè ex Guthia, idque nullo alio propemodum argumento, quàm quod locus ibi aliquis *Vendſiſſel* appelletur. Quaſi ille non potius à Venedis vel Vinulis, qui ad illa loca ſanè pertigêre, nomen habere potuerit. Non operosè nunc illi objiciam, quæ Guagninus, & alii Scriptores rerum Sarmaticarum, de Viſſimiri in illas partes expeditionibus memorant. Sufficit ad rem præſentem ea cum cura evolvi, quæ ipſe Pontanus de Slavorum & Vandalorum in provincias illas ingreſſu, ejecto inde Svenone Rege, redactisq; ibi ad deſperationem rebus omnibus, lib. V. fusè ſatis memorat. Credibile eſt, gentes iſtas vindicare voluiſſe libertatem ſuam à contumelia Lotharii Imperatoris, qui Regnum Obotritorum, gentis Venedicæ, Canuto Slesvicenſium Duci, vel ut alii, Lavardo, accepta non exili pecuniæ ſumma vendiderat, ut poſt Helmoldum & Alber-

& Albertum Stadensem ipse etiam Pontanus in rebus Nicolai Danorum Regis perhibet. Cæterum cum tanta Venedorum olim & amplitudo & celebritas fuerit, non immeritò mirari subit, ac quærere, quò tantus populus tandem redactus sit. Neque enim nomen Venedorum nisi in aliquibus ad Oderam versus Suevum & Albim reliquiis hodiè superesse videtur. Nimirum id eorum fatum fuit, quod aliarum gentium, quæ maximas olim terras inundavêre. Mixti cum Italis & Hispanis Gothi, linguam ibi antehac usitatam corruperunt, immutarunt & mores gentium, ad quas venerant, sed ipsi deinde medio illarum sinu blandè absorpti, aut velut cuidam trunco non exoleto insiti, allatum secum nomen in aliud transmiserunt, non secus ac flumina solent, postquam Oceano sese miscuêre. Si nova identidem ejusmodi populo à radice sua auxilia & copiæ aliæ atque aliæ subvenissent, haud dubie primum decus, memoriamque decoris Nomen conservassent. Sed cùm gentes, unde venerant, Slavonicæ & Venedicæ, haberent deinde, quod agerent, neque adeò novum continuò subsidium ad populares illos suos possent submittere, factum inde, ut alii redirent ad stirpem & matrem suam, alii bellis caderent, cæteri in aliud nomen transirent, suum utique nomen & sermonem vernaculum, nonnisi pauci agrestes retinerent. Quod hominum genus tardius cæteris à lingua patria ad

aliam avertitur, & ignobilitate sua contemptum antiquis suis morib. facilius solet relinqui.

Venio jam ad Getarum nomen, antiquum pariter & latè patens, sed quod & genus & fines habet valdè ambiguos. Quippe Getas Daci hodierni, sed pariter omnes illi, qui se Gothos vocant, omnes etiam, qui Sarmatarum nomine gaudent, ad se pertinere, asserunt. Ac in Thracia quidem Getas antiquissimus fuisse nemo salva fronte negaverit. Nimis enim evidens est Herodoti locus lib. IV. Οἱ δὲ γέται πρὸς ἀγνωμοσύνην ἐριςόμενοι ἀυτίκα ἐδȣλώθησαν, θρηικῶν ἔοντες ἀνδρειότατοι καὶ δικαιώτατοι.

*Getæ per imperitiam resistentes* (Dario) *in servitutem redacti sunt, cùm sint fortissimi Thracum atque justissimi.* Addit ibidem, ut obiter rem notabilem attingam, *immortales dictos*, eo, quod se non mori, sed ad Zamolpin suum ire existimarint. Strabo pariter non uno loco Thracibus Getas assignat. Inter alia multa, quæ exscribere nolo, hæc apud eum leguntur. παρὰ μὲν ȣ̃ν τοῖς ἕλλησιν οἱ Γέται γνωρίζονται μᾶλλον, διὰ τὸ συνεχεῖς τὰς μεταναςάσεις ἐφ᾽ ἑκάτερα τȣ̃ ἴςρȣ πεποιῆσθαι, καὶ τοῖς θραξὶ, καὶ τοῖς Μυσοῖς ἀναμεμίχθαι. *Græcis quidem notiores sunt Getæ, ob crebras in utramque Istri ripam migrationes, quodque Thracibus ac Mysis fuerunt mixti.* Dacos iisdem Getis socios, populares, ὁμογλώττȣς esse, idem Strabo testatur. Expressa enim ejus verba sunt: γέγονε

δὲ

δὲ ἄλλος τῆς χώρας μερισμὸς, συμμένων ἐκ παλαιοῦ, τοὺς μὲν γὰρ Δάκους προσαγορεύουσι, τοὺς δὲ γέτας. γέτας μὲν, τοὺς πρὸς τὸν πόντον κεκλιμένους καὶ πρὸς τὸν ἕω. Δάκους δὲ τοὺς εἰς τἀναντία πρὸς γερμανίαν, καὶ τὰς τοῦ ἴστρου πηγάς: οὓς οἴομαι, Δάκους καλεῖσθαι τὸ παλαιόν. *Est & alia regionis divisio quæ ab antiquo perduravit, ut alii Daci, alii Getæ appellantur. Getæ, qui ad Pontum & Orientem vergunt, Daci qui in diversum ad Germaniam & Istri fontes. Quos antiquitus Dacos appellatos esse existimo.* Et non multò post, ὁμόγλωττοι δέ εἰσιν οἱ Γέται τοῖς Δάκοις. *Eadem lingua cum Dacis Getæ utuntur.* Si qualis illa lingua esset, Strabo aut alius quispiam classicæ fidei author iñuisset, orta de genere populorum istorum controversia facilè inde posset decidi: Si etiam certæ cuipiam terræ nomen dedissent Getæ, uti aliqua Getia seorsum legeretur descripta, quemadmodum Dacia legitur, res aliquanto foret facilior. Nunc cum pars, & velut accessio sint aliarum terrarum, minus explicatè etiam res eorum descriptæ sunt. Interim tamen, quibus pote indiciis, conjecturis atque argumentis verum genus Getarum venandum est. Scythicis gentibus Herodotus & plerique Autores annumerant Getas. Sed ex nomine tam latè, ut supra ostensum est, diffuso, nihil singulare & certum elici potest. Illud propius ad rem facit, quod Sarmatiæ Europææ eos assignat. Abrahamus

Ortelius in Thesauro Geographico, & rectè assignatos post Ortelium acerrimè propugnat Isaacus Pontanus in Chorographia Daniæ. Et eosdem Getas à Strabone quoq; & Plinio inter Sarmatiæ Europææ populos recenseri, & à Germanis adeoq; Gothis etiam, longè diversissimos esse ille præ cæteris fidentissimè asserit. Ego Thyssagetas ab Herodoto Sarmatas appellatos, Tyrangetas verò (qui sunt Getæ Tyram accolentes, aliàs etiam appellati Tyrigetæ) in Sarmatia Europæa à Ptolomæo apertè positos invenio. Apud alios quoq; Authores apertum est simul interdum poni Sarmatas, Dacos, Getasq; ferè ita, ac si simul poneres Germanos, Svecos, Danos, cum Dani & Sveci sint Germanici sanguinis & linguæ populi. Ovidius conjungit plerumq; sæpè & alternat Sarmatarum Getarumq; nomina, & solum in quo exul degebat, modò Geticum modò Sarmaticum vocat. Et mores, instituta, modusq; vitæ ferè idem. Sarmatæ equis delectabantur, ita Getæ: unde Ovidius:

*Sarmaticæ major Geticæq; frequentia gentis*
*Per medias in equis itque reditque vias.*

Sarmatæ in plaustris vivebant, non minus Getæ; unde Claudianus:

*Cum Geticis ingens premeretur Mysia plaustris.*

De Sarmatis noti sunt versus Ovidii & inter alios iste:

*Stridula Sarmaticus plaustra bubulcus agit.*

Sarma-

Sarmatæ arcu gaudebant, similiter Getæ, unde Ovidius:

*Dant illis animos arcus plenæque pharetræ.*

Et alibi:

*In quibus est nemo, qui non Coryton & arcum,*
*Telaque vipereo lurida felle gerat.*

Martem colebant Sarmatæ, Getæ pariter, unde idem Naso:

*Strimona venisti Marticolamque Getem.*

Hoc utique certissimum est, inter Thraces adeoque & Getas qui Thracum non postremi, tam cis, quam trans Danubium vixisse Sarmatas. Hoc enim expresse docet Strabo. Et Jazyges Metanastas, populum sine controversia Sarmaticum iis immiscent antiquæ Geographorum tabulæ. Isaacus etiam Casaubonus ad Spartianum. Bosphoro Thracico vicinos Sarmatas Trajani ævo fuisse docet. Suidas Patzinacitas in illis Thraciæ oris locat, qui omnium judicio Sarmatici generis sunt, & vel à Phaside nobilissimo fluvio, quem olim Sarmatæ isti accoluerunt, vel à Peucinis nomen habuerunt. Si à Phaside, tum olim sua lingua dictus fuerit *Pazinak*, vel *Phasinak*, ut alioquin *Polak*, *Bosnak*, *Rusnak*. Si à Peucinis, *Peuzinak*, in *Pasnaz* fluxu temporum & solita corruptelarum facilitate abierit. Cæterum linguam, etsi non prorsus eandem, tamen affinem Getis Sarmatisque fuisse, ex nominibus, quæ sparsim ab Authoribus memorantur, colligi posset. Inter primo

mos eorum Reges *Carnobutam* memorat Reineccius in Genealogiis. Quod nomen à nigris ocreis lingua Sarmatica æquè facilè dari potuit Regi, quam olim à Caligis datum est Cæsari cognomen. Alium eorum Regem *Role* appellatum memorat Dion Caſſius, at id nomen prorſus Sarmaticum eſt, & agrum notat. Magni illius & vicinis adeò formidati Getarum Regis *Bærebiſci* vel *Bærebiſti* nomen, Sarmaticam pariter originem & terminationem habet. Nec minus Sitæ, Siracis, quos Getarum Regulos Dion nominat. Intra ipſam quoque terram multa ſunt vocabula, quæ nemo facilius agnoverit quam Sarmata, qualia ſunt Daciravà Priſti, Patroſſa civitas, Carſidava, Zarobar, Ramidava, Mariſſa, Securiſſa Neutidavva, cujus notæ & flexionis ſunt multa à Cl, Ortelio in Daciarum veteri tabula poſita. Et quædam his gemina annotavit illuſtris defenſæ Poloniæ Autor. Quanquam hoc quoque fatendum, iſtorum nominum aliqua poſt magnam demum illam irruptionem, quæ Mauritii Imperatoris temporibus contigit, locis illis ſediſſe. Id equidem Cromerus ſentit, qui nomina locorum, quæ adhuc ibi extant Slavica, qualia ſint Jaiza, Tagradva, Cluz, Camenigrad, Bolograd, & alia id generis poſteriorum temporum eſſe aſſerit. Opitius vir ſane celebris & in Regio Hiſtorici munere deceſſor meus, negat Getas Sarmatis accenſeri poſſe, quia diverſa eorum lingua ſit; Diver-

Diverſitatem autem hanc ex illo Ovidii elicit:

*Nam didici Geticè Sarmaticéq; loqui.*

Quia enim ſcorſim hæ linguæ ponuntur, non easdem fuiſſe colligit; Nec ego easdem fuiſſe contenderim. Sed Cognatas & Affines non fuiſſe, Ovidiano hoc verſu non concluditur. Quemadmodum qui Hiſpanicè & Latine quempiam loqui diceret, non negaret ideò Hiſpanicam linguam eſſe ſobolem & ſurculum Latinæ. Nec Alemannos & Germanos ejusdem generis populos fuiſſe rectè negarem, eò quod Antoninus Imperator Germanicum & Alemannicum ſe paſſus eſt appellari. Sed præterea vir Doctiſſimus, ex eo, quod Thraces fuerint Getæ, evincere conatur, Getas non fuiſſe Sarmatas. Atqui ad Thraces Paphlagoniam olim pertinuiſſe ait Strabo lib. VII. & idem ex Pherecyde docet Scholiaſtes Appollonii Rhodii. Paphlagonum autem potiorem partem ex Henetis, populo Sarmatico, conſtitiſſe Plinius agnoſcit lib. VI. cap. II. & autorem ſequi ſe ait Cornelium Nepotem. *Thraciæ regionem Beſſorum populus Maſſagetæ, Sarmatæ, Scythæ, & aliæ plurimæ nationes incoluerunt*, inquit Iſidorus Hiſpalenſis lib. XIV. cap. 4. Scordiſcos pariter Thracibus Strabo & Ammianus Marcellinus aſſignat. Scordiſcos verò Baſtarnis, vel Baſtranis, populo Sarmatico ὁμογλώττους fuiſſe ex Livio ſupra Magnum Ducem ſecutus, oſtendi.

ostendi. Et linguam Sarmaticam istis regionibus hodieque usitatam esse nemo ignorat. Mores porrò Scordiscorum, uti eos Ammianus lib. XXVII. describit, Sarmaticis prorsus gemini sunt. Volfgangus Lazius Colonias Sarmaticas in Daciam illatas memorat, & ad eam rem Inscriptionem veterem adducit, talem nimirum:

*L. Furio Saturnino*
*Legato Augustali*
*Præpositoque Quirinali*
*Coloniæ Daciæ Sarmaticæ.*
L. D. D. D.

Quam & in opere Jani Gruteri extare fatetur, ille cum quo mihi res est, vir Clarissimus. Sed ait eam corruptam esse; & aliam ex eodem opere affert, ubi pro voce Sarmaticæ, positum sit *Sarmis.* Sed nihil causæ video, cur ad objiciendas corruptelas adeò hic properandum sit. Constare enim utrique inscriptioni potest veritas, etsi nihil in priori mutetur. Quid enim impedit, quo minus credamus Coloniam illam constitisse ex Sarmatis, atque inde etiam *Sarmiz* appellatam. Alibi ea pleniori nomine vocatur *Zarmigethusa.* Certè Regem Sarmatiæ in bello contra Decebalum Trajano amicum & utilem fuisse, vel ex Plinii ad Trajanum epistola 13. & 14. conjici potest; Confer quæ Isaacus Casaubonus vir Clarissimus annotavit

in

in verba Spartiani, *Sarmatas compressit*, pag. 9. edit. Parisianæ. Cæterum hactenus ostendere conatus sum Getas Sarmaticis gentibus aut Affines, aut certe immixtos vixisse, & quæ ei sententiæ obstare viderentur, removisse videor. In antiquis enim istis frustrà plerumque Mathematicæ certitudinis demonstrationes quæruntur. Ego easdem illas Danubio adsitas terras, quas Getæ olim coluêre, aliis quoque populis, atque inter eos Germanis quibusdam habitatas, negare nec possim nec velim: Legi enim in Strabone Celticos quosdam & inter eos Bojos Thracibus intermixtos vixisse. Postea quoque gentes Gothicas eodem infusas scio. Sed non minus quoque alii, ex provincia Sarmatia advenæ, ut docui, veterem istic Getarum numerum auxêre. Tandemque famosa illa harum gentium exundatio contigit, quæ partim Slavoniam, Dalmatiam, Croatiam, ipsamque illam Thraciam, partim aliis immensis agminibus duo Regna, deinceps Poloniæ & Bohemiæ nominibus appellata, multasque Germaniæ provincias Sarmatis, sed novum Slavorum titulum circumferentibus, implevit. De qua paulò post uberius agemus. Aliqui nec contemnendæ authoritatis viri, Getici populi & multitudinem & celebritatem aliundè auctum eunt. Quibus affinitas ipsa nominum blanditur, tum & quo-

& quorundam ex medio ævo Scriptorum patrocinatur autoritas. Inprimis Jornandis Episcopi, natione Alani. Cujus liber Getarum historiam titulo præferens, Gothica tradit: & ita id negotium agit, ut omninò credidisse videatur unam eandemque Gothorum Getarumq; gentem fuisse. Cui sententiæ beatus Rhenanus, tùm Abrahamus Ortelius, quos antè nominavi, denique Philippus Cluverus, & Isaacus Pontanus acerrimè contradixêre. Quos & illustris Saavedra in sua de Gothis historia sequitur. Ut taceam nunc Sarmaticos, eosque de summa Orchestra Scriptores. Sed Jornandi similitudo nominum in illa cæcutientis seculi barbarie facilè imponere potuit. Alios, qui ipsum secuti sunt, amor patriæ induxit, ut suo populo, recentibus bellis victoriisque inclyto, vetusta Getici nominis decora conarentur addere. Interim Getis etiam non parum gloriæ per istos Gothicarum rerum Scriptores accrevit. Atque id quidem eo majore jure, si qui Getarum celebribus illis Gothorum in Imperio Romano ausibus adfuêre, uti equidem supra dixi de Sarmaticis gentibus aliquos adfuisse. Hac utique Societate factum existimo, quod Procopius ipsos etiam Gothos, eorumque Socios Vandalos, Gepidasq;, alicubi Sauromatas vocat, quia etsi illi Gothi Vandaliq; Sarmatæ propriè non erant, intermixti tamen iis Sarmatæ fuêre. Adeoque igitur ad magnorum illorum molimi-

moliminum gloriam non solæ illæ è magna Scandinavia gentes, sed & istæ, de quibus nos jam agimus, nationes, suo modo pertinere videntur. Cæterum restant usque nomina, & satis antiqua, nec arctiorum limitum, quam fuit Geticum. Primum est *Basternarum*, vel ut Plinius & plerique omnes Latini vocant *Bastarnarum*. Quos Getis & præcipuè Tyrigetis confines facit Strabo & Ptolomæus. Hic in Sarmatia Europæa illos collocat, quia ævo illo, Aurelii nimirum Imperatoris, exploratius jam erat genus eorum. Nam antehac de eo nonnihil dubitatum fuit. Expressè autem Ptolomæus lib. cap. V. Κατέχει δὲ τὴν Σαρματίαν μάκραν ἔθνη μέγιστα, οἵτε Ουένεδαι, παρ' ὅλον τὸν Ουενέδικον κόλπον καὶ ὑπὲρ Δακίαν πευκινοὶ καὶ Βαστάρναι. *Habet verò Sarmatia gentes maximas Venedas secundum totum sinum Venedicum, & super Daciam Peucinos & Bastarnas.* Strabo, qui Augusti seculo vixit, ferè generis Germanici illos esse ait. Et tamen sub initium libri VII. aliud indicat, cum ait: *Ab Istro Septentrionem respiciunt quæ sita sunt ultra Rhenum & Celticam, ut sunt Gallicæ gentes & Germanicæ usque ad Bastarnas Tyrigetas ac Borysthenem.* Bastarnas igitur à Gallicis & Germanicis gentibus distinguit. Cui loco non habet profectò Cluverus quod opponat, uti nec alteri apud eundem Strabonem, ubi Bastarnas ita distribuit, ut partem eo-

rum & Peucinos, & Roxolanos esse statuat. Peucinos autem quorum nomen in Peucinacos, vel ut imperitiùs exprimunt Pecinegas postea abiit, Sarmatas fuisse, nemo dubitat, prȩter Tacitum, qui & ipse tamen cum de Germaniâ scriberet, ejusque fines minimè imminuere vellet, Sarmatis tandem eos concedit. Posteriorum temporum historiæ multa subinde de Pecinegis istis habent, quæ dubitare non sinunt, eos Sarmatas fuisse. In Boristhenis præcipuè Insulis, hodiernorum Cosacorum sedibus, pars eorum stabulata est. Kioviæ utique vicinos esse affirmat Dithmarus Episcopus Merspurgensis, qui septimo abhinc seculo vixit. Cæterum partem Basternarum Roxolanos quoque statuit Strabo, quos Sarmatas esse non minus certum est quam Tyberim fluere Romæ. Intermixtos igitur, iisdemque viciniâ suâ pacatiorem genium cultumq; vitæ aspersisse Germanos, planè equidem verisimile est. Nam inde orta de genere nationis dubitatio. Et fortassè Germani, quibus Casimirus Magnus easdem illas regiones submontanas colendas dedit, tantò facilius eò se passi sunt adduci, quod Germanos olim isthic habitasse, eorumque aliquas etiam isthic reliquias superesse, cognoverant. Si conjecturis locus est, quibus utique in talibus veniam viri docti & æqui facilè largiuntur, ex veteri Bastarnarum nomine Tarnoviam adhuc restare curiosior aliquis dixerit.

Qui

Qui locus ad fines Poloniæ in iis montibus situs est, quos Bastarnæ dicuntur coluisse. Nec primæ in voce syllabæ aphæresis offenderit, cum multis similibus exemplis excusari possit. Sic Spania pro Hispania, Syria pro Assyria; sic apud Comicum Rabo pro arrhabo, Conia, pro Ciconia, & Turcis hodie Constantinopolis Stambôl, Alexandria Scanderia appellatur. Sic quibusdam nationibus Clas Nicolaus, aliis Nilus, Cuba Jacobus est. Cæterum Bastarnas merè, & universos fuisse Germanos, nemo quod sciam adeò fidenter affirmavit quam Philippus, quem ante nominavi, Cluverus; Qui vir aliquin doctissimus & de Geographia præclare meritus, ob singulares in eâdẽ sententias quasdam magno viro Hugoni Grotio in Prolegomenis ad Procopium dictus est omnium, quæ ipsi collibita sunt, intrepidus asseverator. Viderat is Strabonem post aliquas hæsitationes Sarmatis assignasse Bastarnas, assignasse item postea Ptolomæum, sed sine omni hæsitatione. Dionem viderat Bastarnas vocare Scythas. Ita enim ille lib. LI. pag. 527. editionis Henr. Stephani: Βαστάρναι δὲ Σκύθαι τὸ ἀκριβῶς νομίζονται. *Bastarnæ inter Scythas verè numerantur.* Non frustrà Dion vocem ἀκριβῶν addidit, sed ut indicaret, post accuratam rei hactenus dubiæ investigationem deprehensum Scythas esse Bastarnas. Et si quisquam profectò mortaliũ perscrutari istius populi genus potuit, utique Di-

on, qui Pannoniarum prætor fuit. Neque verò credendum nomine Scytharum notatos à Dione Germanos. Nam primi quidem Græcorum Scriptores Scytharum genus longiſſimè extenderant. At Dionis ſeculum longè jam diſcriminatius de gentibus & judicabat & loquebatur. Et ipſe Dion eadem pagina Germanos à Scythis expreſſe diſtinxerat. *Turmæ,* inquit, *Dacorum & Suevorum depugnantes invicem introductæ ſunt, quarum altera Scythica eſt quodammodo, altera Germanica natio.* Sed Cluverus gravem ſibi Dionis autoritatem eſſe ſentiens, ut leviorem eam afficeret, ignorantiam tanto viro objicit. Eandem opinor objecturus erat Zoſimo, qui ſub finem libri I. eoſdem Baſtarnas pariter genus Scythicum vocat, cum non multò ante Logiones gentem Germanicam dixiſſet. Sed Zoſimum Cluverus ad hanc rem non adcitavit, adeoq; nec refellit. Idem Cluverus Baſtarnas etiam Celtas, hoc eſt Gallos, à Plutarcho & aliis vocatos aſſerit. Sed, niſi Gallorum nomen plane aliter, atq; ipſe capit, accipiatur, id illis Autorum locis, quæ adduxit, non demonſtrat: Ex Plutarchi Æmilio Paulo allegat, verba hæc: ὑπεκίνει δὲ καὶ γαλάτας, τοὺς περὶ τὸν ἴστρον ᾠκημένους, οἱ Βαστάρναι καλοῦνται. *Gallos quoq; ſollicitavit circa Iſtrum colentes, qui Baſtarnæ vocantur.* Sed vos Græca Γαλάται potius Galatarum quam Gallorum nomine erat reddenda. Quemadmodum vertit interpres in Strabonis libro I. ubi de migrationibus

bus Carum, Teureorum, Galatarum loquitur, ubi in Græco idem vocabulum eſt Γαλάται, Galatia autem, Aſiæ minoris regio, inter alias provincias præcipue Paphlagoniam complectebatur, uti præcæteris conſpicue oſtendit, ſummæ eruditionis Vir Salmaſius, Exercitationum in Solinum pag. 803 jam Paphlagonia, ut ſuperius dictum, & nemo Doctorum ignorat, à Cauconibus, Henetis, populis Sarmaticis, habitabatur. Et inde Heneti ad Adriam olim trajecêre. Ut aperte Strabo teſtatur lib. I. ſic enim inquit: ἐνετῶν δὲ ἐκ παφλαγονίας ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν. *Henetorum* (peregrinationes, in Græco enim præceſſit μεταβολαὶ) *è Paphlagonia ad Adriam.* Sic igitur Galatæ iſti quos ad Iſtrum habitaſſe & Baſtarnas vocatos dixit Plutarchus, Henetæ, hoc eſt Sarmaticæ gentis fuerunt. Atq; idem de Scordiſcis judicandũ, quos lingua & moribus æquales fuiſſe Baſtarnis, Livius, & ex illo ipſo Cluverus affirmat, qui loca hæc omnia contra ſe imprudens allegat: Immemor aut ignarus, aut non credens, tam Scordiſcos quam Baſtarnas, quos Germanos eſſe oſtendere voluit, à ſe ipſo effici Sarmatas: Nimirum Celto-Scythicæ fuerunt illæ gentes, & ideò à Dione & Zoſimo, ut ſupra diximus, Scythici generis fuiſſe dicuntur; Quippe antiquis temporibus à Ponto Euxino & Boſphoro, ut Strabo loco ſupra nominato indicat, in Paphlagoniam Phrygiamq; irrupêre Cimmerii, Trerones, aliique populi Scythici. Inter quos

Baſtarnæ quoque fuerunt, & fieri poteſt, eos à Boſphoro quoque nomen obtinuiſſe, ſi fortè vernacula lingua *Boſtranie* ſunt vocati. Poſteaquam autem ex Galatia ad Iſtri confinia venêre, non dubium eſt, oppida iſtic aliqua condidiſſe. Ab iis utique Haliciam, vicinam Daciæ civitatem, & originem & nomen habuiſſe creditu non abſurdum eſt. Cæterum ex iis, quæ dixi, liquido ſatis ut opinor patet, malè non à Strabone tantum & Ptolomæo, à Dione item & *Zoſimo*, ſed ab ipſo etiam Plutarcho, Polybio & Livio diſſentire Cluverum. Ab illis, dum concedere abnuit, Baſtarnas fuiſſe Sarmatas; Ab his, dum eoſdem à Galatis eſſe negat. Sed unus tamen Plinius videtur contra omnes ante nominatos. Autores facere pro Cluvero. Is enim cum Germanos in quinq; genera tribuat, in ultima parte numerat Peucinos, Baſternas. Sed qui de Germania & iſtis populis ſtatuere quidpiam cupit, ne utatur Plinii autoritate. Ipſe enim fatetur, eam ſuo ævo totam non eſſe percognitam. Cum de mari Germanico agit: *Accolunt*, inquit, *gentes inexplicabili menſura. Tam immodica prodentium diſcordia eſt.* Nec alia fortaſſis cauſa eſt, cur uno eoq; breviſſimo capite, terram vaſtiſſimam nimis perfunctoriè comprehendat. Porrò extendit eam ille ad ipſam uſq; Scythiam. Et inter flumina Germanorum Viſtulam numerat. Non mirum igitur, ſi Peucinos & Baſternas in Germaniam ſimul involvit vir, qui illam ad ipſum uſq; Pontum Euxi-

num

num extendit. Illud magis mirũ, Cluverum, qui præ cæteris exquisitũ Geographiæ studium professus est, Plinio, in rebus Germanicis ignorantiã profitenti inhærere maluisse, quam tot aliorum Authorũ Plinio longè accuratiorũ consensui cedere. Me nulla prorsus libido rapit ad oppugnandũ hominẽ cujus in re literaria meritis lubenter assurgo; Neq; hercule causam habeo, cur Germaniæ ullã vel provinciã, vel gentẽ velim eripi. Sed nimirũ nõ tam gentiũ quã veri & falsi fines mihi hic curæ sunt & cuilibet populo suũ tribui, vel si ereptũ sit, reddi cupio. Porro ex Authoribus priscis tantũ gentis Bastarnarum præstantiã fuisse colligo, ut meruerit omnino hanc, quã orgini & Patriæ ejus eruendæ, impendimus solicitudinẽ. Fortissimũ enim & magnæ famæ hunc populũ fuisse, multis vestigiis compertũ habemus. Perseus utiq; Macedonum Rex, bellũ in Romanos suscepturus, Bastarnas præcipuè in auxiliũ evocandos Duxit. Neque securis profectò animis Senatus Romanus Dardanorum, Thessalorumq; legatos audivit, qui quanta eorum multitudo, quam ingentia corpora, quanta in periculis eorum audacia esset, referebant, ut in Polybii excerptis legimus. Certè magnifica sunt, quæ de iis Plutarchus in Paulo Æmilio narrat. Ait enim viginti millia Bastarnarum Perseo in auxilium venisse, homines, qui nec agriculturam neque navicularium nossent, nec pecore pascendo vitam tolerare, verum unum opus, unam meditari

artem, perpetuò præliari & vincere acie, viles corporibus proceres, grandiloquos,& mirificè adversus hostem minaces. Quæ decora post Reineccium virum sanè eruditum, sed quandq; nimio patriæ amore peccantem, Cluverus perperam negat Gallis convenire, ut Germanis attribuat, cum merè ad illum populum pertineant, quem ex Galatis Scythicum seu Sarmaticum fuisse asserui. Nec postea Bastarnarum gloria exolevit. Julii enim Cæsaris ætate, teste Dione Istrum transgressi, Mysiam sibi oppositam, finitimosque ejus Triballos, Dardanos, itidem habitantes subegerant. Nec nisi dolo Legatis eorum vino depositis, circumvenit illos M. Crassus. Sed non multò post, S. Antonius, ab iisdem Bastarnis, qui Mysis auxilio venerant, superatus est, ut idem Dio refert lib. XXXVIII. & LI. breviter reiterat. In bello quoq; Mithridatico honestissima eorum mentio est apud Appianum, ubi inter gentes Mithridati amicas, post Scythas & Taur os etiam Bastarnæ nominantur. Paulo post etiam cum Sarmatæ, Basilii & Jazyges & Coralli, & Thraces, Istri, Rhodopes & Æmiaccolæ enumerati essent, addit Appianus: *καὶ ἐπὶ τοῖς δὲ Βαστέρναι τὸ ἀλκιμώτατον αὐτῶν γένος*, *insuper Bastarnæ fortissimum eorum genus*. Neq; id prætereundum est, quod in Vita Probi Imperatoris Flavius Vopiscus memorat. *Centum millia*, inquit, *Bastarnarum in solo Romano, qui omnes fidem servaverunt.* De

De locis porrò omnibus, quibus Baſtarnæ habitavêre, agere hic non eſt noſtri inſtituti. Longius enim Diatribe hæc fuerit extendenda. Eminentiorem tamen eorum ſedem omittere nequeo, quæ fuit circa montes Carpathios, hodiè Daciam & Hungariam à Polonia ſeparantes. Hi fortaſſis à Carpis Baſtarnarum vicinis nomen obtinuêre. Sed eosdem Alpes Baſternicas in itineraria tabula, à Jornande etiam ſimpliciter Alpes ob altitudinem dici, indicat Cluverus, non oblitus opinor, Sarmaticos etiam montes plerumque eos appellari ab Authoribus. Sed id eo loco Tacitus præterit, fortè ideò, ne Baſtarnas, horum montium accolas Sarmatas potiùs, quàm Germanos eſſe exiſtimantibus, novum contra ſe telum præberet. Hodiè Carpathia hæc juga, alicubi nivoſis cacuminibus & ſcopulis horrida, alibi in campos irriguos fœcundosque latè porrecta, ſubmontani habitant, vulgò *Podgorzanie.* Inter quos oppida ſua Scepuſii extendêre à Gepidis, quibus hæc quoque olim ſedes fuit, nomen ſortiri. Gepidas autem Getarum ſobolem & quaſi τῶν γετῶν παῖδας dictos notat ad Vopiſcum Cl. Salmaſius. Alii Jornandem ſecuti aliundè derivant nomen. Hodie Scephuſium lingua Slavonica Spiſſi, Germanis Zips nominatur, vocabulo utrobique ita ab antiqua Gepidarum & Scepuſiorum appellatione deflexo, ut exigua reſtet ſimilitudo. Ex adverſa parte montium Da-

cis contermina fuit Jazygum pars, quos Metanaſtas Græci vocarunt, & inter eos Ptolomæus, eò quod vagam agerent vitam, ut Sarmatæ cæteri, aut quod ſeorſim à cæteris ſedem poſuiſſent. Et hi ſunt, quorum Plinius facit mentionem lib. IV. cap. 12. ubi confinia Pannorum & Danubii deſcribit, *campos* inquit *& plana Jazyges Sarmatæ tenent*; Eorumque veſtigium quoq; reſtare videtur in Jaſſi oppido Getico, ſeu, quod hodie iſta regio nomen obtinuit, Valachico, præcipua Deſpotarum illorum ſede. Alioquin autem ad Mæotin paludem habitabat Jazygum natio. Ibi inter alias gentes numerantur ab Ammiano Marcell. *Circa hæc*, inquit lib. XXIII. *ſtagna ultima, extimaque plures habitant gentes, ſermonum inſtitutorumq; varietate, diſpariles, Jaxamatæ & Mæotæ & Jazyges Nopolaniq; & Alani & Melanchlænæ, & cum Gelonis Agathyrſi.* Ante Marcellinum Ptolomæus in Sarmatia Europæa, κατὰ παρ' ὅλην τὴν πλευρὰν τῆς Μαιώτιδος Ἰάζυγες. *Et per totum Mæotidos latus Jazyges.* Strabo Baſtarnis & Roxolanis interjectos ait. Sarmatas utique fuiſſe omnium Autorum conſenſu liquet. Nec abſurde eoſdem eſſe crediderimus cum Jazabatis. quos Stephanus libro de urbibus Sarmatas ab Ephoro appellatos teſtatur. Tacitus diſerte Sarmatas vocat lib. XII. Annalium cap. 29. *Ipſi* ( Varinio ) *manus propria, pedites, equites, è Sarmatis Jazygibus erat.* Idem Hiſtor. III. cap. 5. *Jazygum Sarmatarum Prin-*

*cipes*

*cipes ab Aponio Saturnino in commilitium adscitos memorat.* Sarmatæ igitur Jazyges; Neq; dubium de eo quemquā reddat, quod Ovidius separatim hæc nomina ponit, cum inquit lib. I. de Ponto Eleg. III.

*Aut quid Sauromatæ faciant, quid Jazyges acres.*

Potius inde colligatur, etiā alias gentes quasdā malè negari Sarmatas esse, eo argumento, quod seorsim ab his nominentur. Fit enim id eo modo, quo quis linguam Latinam, Gallicā, Hispanicā scire diceretur, cum tamen Latina mater sit Gallicæ & Hispanicæ. Cæterum Jazyges illi, cū alii Sarmatarum populi Mæotin desererent, sedes & ipsi mutarunt, occuparuntq; terrā, quæ inter Mazovios & Lithuanos interjecta hodiè Podlassia appellatur, nomine vel à sylvis, quibus à Prussia densissimis secernitur, vel ex prisca Jazygum appellatione adsumpto. Viros autē fortes fuisse Jazyges, seu, ut à nonnullis posteà appellari cœpêre, Jaczvingos, omnes tam Polonicarum quàm Lithuanicarū rerū Scriptores testantur. *Jaczvingi*, inquit Matth. Michovita, *fuerunt populi feroces in finibus Lithuaniæ, juxta Mazoviam commanentes. Hi in bellando non referebant pedem, quin vincerent, aut vincerentur, & hæc ipsa in pugnando constantia ipsis causa deniq; fuit internecionis.* Cum Polonis enim sub Boleslao Pudico & Lesco Nigro infeliciter congressi, cum vestigio etiam victi cedere nollent, universi excisi

ſunt, ita ut nomen eorum nonniſi in annalibus extet. Nobis id in Epitome Rerum Polonicarum non omiſſum, ab aliis verò accuratius celebratur.

Hactenus antiqua, ſed magis obvia Sarmatarum nomina excuſſimus, nunc alia quædam in lucem producemus, quæ equidem Cimmeriis quodammodo tenebris involuta, ſe à noſtris tamen populis, qui dominia ac Regna Slavonici generis tenent, non ita, ut creditum fuit, aliena eſſe res fortaſſis docebit. Certè ut definire quicquam in talibus difficile & anceps eſt, ita probabilibus conjecturis indagare obſcura, & illuſtrare dubia, liberum nec illaudabile. Primum ex obſcurioribus iſtis erit nomen *Lazorum*. Quos Sarmatas eſſe expreſſiſſimè Herodotus in Melpomene affirmat. Locum jam ante adduximus, ſed quia rem noſtram, quam nunc agimus multum illuſtrat, iteratò ponemus. Τάναϊν, inquit, ποταμὸν διαβάντι οὐκέτι Σκυθικὴ, ἀλλ᾽ ἡ μὲν πρώτη τῶν Λαζίων Σαυροματέων ἐστί. *Trans flumen autem Tanaim non eſt regio Scythica, ſed prima Laziorum Sarmatarum.* Ubi primum de Laziis ſermonem eſſe, non ambigendum cenſet Ortelius in Theſauro, cum facilis & crebra ſit τοῦ x in z mutatio. Scythas verò Lazos non eſſe etiam inde colligi poteſt, quod Lazos in ea regione ponit, quæ olim Colchidis nomine celebrata ſit. Quam tamen ad Scythiam non pertinere curate oſtendit

Sal-

Salmasius in Exercitationibus ad Solinum pag. 890. Sarmaticæ, Asiaticæ populos Colchos facit Ptolomæus, Asiaticam vocans, quia tum Tanais Europæ limes credebatur, cum eam ad Obium usque porrigant hodierni Geographi. Sed Lazos & Colchidem ipsā rectè Europæ nostræ asserit Procopius lib. IV. Plinius Heniochis, quos ante jam inter Sarmatas vidimus, vicinos facit Lazos. Et in tabulis Peutigerianis Lazi Heniochi vocantur. Sed nimirum Heniochos aut certè eorum partem magnam ad Colchidem pertinuisse video, unde Coraxici dicti sunt, quod Coracem montem & fluvium Colchidis accolerent, ab ipso etiam Caucaso non remoti. In cujus jugis & vicinia Sarmatas idem Plinius recenset, cum Colchidem describit. Ex iis quosdam epagoritas dicit appellatos, quod utique in Sarmatica lingua montanis affabrè quadrat, ubi *gora* montem significat. Cæterum Lazi isti Ptolomæi ævo pars Colchorum, ita postea evaluêre, ut suo nomine Colchicum extinxerint: Quantum ex Procopio colligi potest, quo tempore ille historiam scripserat, dubium jam fuit, quinam populus Colchorum appellationem sibi jure tribueret. Ipse tamen litem dat secundum Lazos, refellitq; illos, qui Tzanis id tribuerent. Fortè curiosior aliquis Philologus ipsas quoq; voces conciliaret cum κόλχυς, Hebræis Casluchos dictos, memoret Bochartus lib. IV. cap 31. eosdemq; Græcis κωλιακὺς nominatos

minatos esse Salmasius in Exercitationibus Plinianis ostendat. Unde amputata, ut fit sæpè in nominibus, prima syllaba λακὺς tandem λάξυς & λάζυς formare alia lingua potuit. Sic Thessalonica Salonicha hodiè dicitur Turcis. Et alia ejusmodi supra attulimus plura. Qui reputat secum quam mirè nomina in lingua vernacula à plebe inprimis barbara detorqueri soleant, hæc etsi arguta magis quàm certa, non indigna tamen consideratu habebit. Sed multò magis illud, quod Strabo lib. I. de urbe in Istria à Colchis condita narrat, quæ Græcis ἄστυρον, Colchis sua lingua Polas vocetur. De qua, cum Græcum Callimachi carmen referat Strabo, nos tamen ultimum ejus distichon adducemus;

Ἄστυρον ἐκτίσαντο τὸ μὲν Φυγάδων τις ἐνίσποι
Γραικὸς, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ' ὀνόμηνε πόλας.

*Nomen ab exulibus Græco sermone notatur,*
*Ast illam dicit Colchia lingua* Polas.

Reineccius pro Polas Pola perperam ponit, & vocem hanc à Germanico *Poël*, quæ voraginem notat, deducit, ut Colchorũ linguam Germanicam ostendat. Sed quibus præter linguã Germanicam Slavonica nota est, huic potius, quam illi vocis originem deberi existimabunt, cum inprimis exilium vox notare debeat, ut in carmine indicatur. Slavis verò polas dicitur, cum quis præter opinionem aliquò devenit aut quasi prorepsit.

repsit. Cæterùm urbs ista in Illyrico adhuc exstat, eamque inter alias Italiæ civitates satis accuratè describit Leander Albertus. Jam & alia quædam nomina propria, quæ apud Autores post Justiniani tempora Lazicis Ducibus tributa legimus, à Sarmatica origine non abludunt: Eam utiq; Gubacz, Para, Zat, Dobronezes, Usygard, clarè sonant, uti & Mucheritz, Sarovan, Buc, nomina locorum in regione Lazica, prodita à Procopio & Agathia. Ac hodiè linguam Sarmaticam seu Slavonicam istic vigere, scimus ex iis, qui has terras frequentant, Armeniis prȩcipuè. Sacra utique ab iis, qui istic Christiani restant, Slavonico sermone celebrari constat. Sed & ipsius regionis pars magna nomen jam habet merè Slavonicum. Petigorii enim vocantur, qui eam inhabitant; quos quinque Montanos Latinè dixeris. Cæteri Mæotidi propiores Mengrelii vocantur. Haud dubiè ii sunt, quos Manralos appellat Ptolomæus. Regimen eorum & mores Busbequius Epistola III. describens, inter alia memorat argenti signati istic usum aut nullum aut rarum esse, & necessitati mutuæ, permutatione mercium succurri. Regi vectigal terræ fructibus pendi. Hæc pȩnè omnia cum antiquis Poloniæ moribus in historia celebratis conveniunt. De Rulando, quem idem Busbequius magni istic fieri, & multis fabulosis laudibus coli refert, non magis mihi, quam illi qui refert, liquet. An Temurlani aut Roxolani alicujus

cujus celebrioris nomen in Rulandum corruptum sit, alii viderint. Nostri quidem Teutonici Rulandi celebritas ad Caucasum, opinor, non est prolata. Sed ad veteres Lazos, ut revertar, in eorum quoque institutis, quæ notata sunt à Scriptoribus, aliqua à Polonicis video minimè abludere. Rationem consultandi liberam satis, vel ex concionibus Æetæ & Pharazis, quas Agathias lib. III. describit, licet colligere. Militia valuisse, ut aliunde, ita ex Procopio intelligitur, ubi Gubazes, suæ gentis victorias de Medis etiam relatas, exercitui suo ad stimulandam contra Persas, maximos tum hostes suos, virtutem proponit. Apud eundem ratio etiam pugnandi, quâ cedendo, redeundoque hostes fatigare solebant, memoratur. Imperio Romano erant eodem penè modo subjecti, quo olim Batavi, etsi Imperatores plus nonnunquam in eos juris venditarent, quàm haberent. Ammianus utique suo ævo fines Romani Imperii citra Lazicam constitisse innuit lib. XXV. Nunquam illi Romam reverentius habuêre quam sub Trajano & Adriano Imperatoribus. Id quod ex Adriani periplo patet, qui Malassam Regem Romanis obnoxium esse scribit ad Adrianum. Postea iterum Justiniano Imperatore plusculum in se & sua potestatis permisêre, quia iis Persarum ex vicino potentia cœperat esse gravis. Is & Petræon urbem istic constituit, & alteram de suo nomine Justi-

Iustinianeam appellatam. Qua de re ipse ad Joannem prætorio præfectum scribit novella constitut. 28. Attamen, ne tum quidem pars Imperii Romani fuerunt Lazi. Apertè enim distinguit Procopius. *Rizeum*, inquit, *excipiunt montes, quam sui juris homines habitant, Lazis & Romani imperii populis interjecti.* Sed & urbes illæ à Justiniano exstructæ occasionem postea præbuerun: Lazis deficiendi ad Persas, cum Præfectus Imperatoris Iohannes Zibus illis munimentis frænum genti impositum ratus, insuetis tributis Lazos affligeret; Qua de re Procopius de bello Persico legatur. Sacra Christianorum sub Justino Imperatore suscepit Czatus Lazorum Princeps, profectus eo nomine Constantinopolim, ubi magnis honoribus cultus, & corona redimitus est, Cabade Rege Persarum, qui pariter Lazorum terræ imperioque manum injicere cœperat, multum indignante. Quæ omnia Auctor Miscellæ, Zonaras, Cedrenus, & ex his Baronius Cardinalis refert sub anno 522. Exemplum multi ex populo secuti sunt. Plurimi tamen in illa tam latè inter montes dicita regione antiqua sacra retinuêre. Habitus genti, ut omnibus illis populis oblongus fuit. Calcei rubro colore infecti. Inter Reges eorum historici inprimis Gubacen celebrant. Cujus deinde mors dolo Ducum Imperatoris Justiniani accelerata, plurimum & animos & statum Lazorum turba-

 vit.

vit. Nam & ſtudia eorum erga Romanos mutata, & res deinde adverſum Perſas malè ceſſerunt. Agathias factam Gubazi populoque ejus injuriam in hiſtoria ſua lib. II. queſtus, hoc deinde judicium de tota hac gente adjicit: *Sanè*, inquit, *Lazorum gens maxima eſt, & natura inflatior. Nam & in alios imperium habent, qui pari magnitudine præſtant, veterique Colchorum nomine jactabundi, ſupra quam decens eſt, gloriantur, & forte non admodum temerè, ſiquidem inter gentes, quæ ſub alieno imperio ſunt conſtitutæ, nuſquam equidem nationem aliam viderim inclytam adeò atq; felicem & ampliſſimis divitiis, ſubditorumq; multitudine celebrē, opportunioribus inſuper locis, neceſſariarumq; rerū abundantia & optimorum deniq; morū ornatu & dexteritate tam nobilem. Hæc & alia plura Agathias dicto loco habet.*

Lazis non vicinos modò ſed & ſubditos fuiſſe Abaſgos, Apſilios, Miſianos, teſtatur Procopius, & qui ejus hiſtoriam continuat Agathias. Abaſgi fortaſſè à fluvio ejus nominis appellati ſunt. Prædationibus delectatos vel inde patet, quod nomen eorum in legibus Romanis hac labe aſperſum legitur. Nemora & lucos ſuperſtitiosè ab iis cultos, arboresque barbara ſimplicitate pro Diis habitas affirmat Procopius. Qui & defeciſſe illos à Lazis una cum Apſiliis, ſed denuò ad obſequium redactos memorat. Mizianos ob Legatos ſuos à Romanis percuſſos, relicto Lazorum Dominio ad Perſas

ſas defeciſſe, eoque principio ortum atrox bellum, eorumque deinde, poſtquam improſpere pugnaverant, ad obſequii reditum, prolixè refert Agathias.

Abaſgis proximi fuerunt Bruchi, quorum cum nonniſi nomen ponat Procopius, nec ullus alius, quod ſciam, Veterum deſcribat mores, aut terram eorum, nos quoque inde ad alios ſtylum convertimus.

Abaſgis autem & Alanis intermedios facit Procopius Zechos. Quibus olim à Romanis Imperatoribus Regem datum, ſed ſuo tempore Imperii Romani expertes egiſſe ibidem teſtatur. Regem eorum Stachin, ſuo tempore fuiſſe narrat Arrianus in periplo. Ex quo etiam illud liquet, ad Pontum Euxinum poſitos fuiſſe Zechos. Ubi eos ad fluvium Icaruſam inter Cercetios, Sanegas, Acheosq; ponit Abrahamus Ortelius in deſcriptione Ponti Euxini. In recentiore Cæſii tabula, qua Cherſoneſus Taurica delineatur ad littus Ponti, Zechiæ, Mauræ & Albæ mentionem fieri video. Apud Ptolomæum de Zechis nihil legitur, niſi fortè ſub nomine Zichorum comprehenduntur, quos ille cum Arichis ad Coracem montem locat, non diverſos, ut opinor à Sindis, quos, ἀπόσπασμα μαιωτῶν in libro de Urbibus nominat Stephanus. Dionyſius Alexandrinus in periegeſi Zygiorum meminit, quos Heniochis Sarmatico populo ſuperius à nobis explicato, apponit:

Ἡνίοχοι, Ζύγιοι τε Πελασγίδος ἔκγονοι αἴης.

*Heniochi* Hygiiq; *è Pelasgica orsundi terra.*

Ubi Euſtathius conſulendus, qui cur Pelasgi vocentur, prolixè exponit. Cæterum cum ad Pontum & non procul Colchide eos locet, veriſimile eſt, Zygos iſtos cum Zechis eosdem fuiſſe. Ad eandem Mæotiden poſitas gentes enumerans Procopius, terram quoque nominat Eulyſiam, ac pergens deinde, innumeros Antarum Populos inter Hunnos & Gothos & Tetraxitas locat. Et horum quidem Antarum, vel ut ab aliis vocantur, Antorum, nemo ante Procopium hoc nomine mentionem, quod ſciam, fecit. Ortelius in Theſauro Antas & Slavos conjungit, ſermonemque iis communem attribuit, imò & nomen idem utrisque olim fuiſſe ait. Sporos enim appellatos. Haud dubiè ad vagam Nomadicamque gentis vitam alludit. A qua & Hamaxobii olim dicti ſunt. Indidemque Henetorum & Heniochorum nomen ortum eſſe ſuperius innuimus. Mihi ipſum quoque Autorum vocabulum ex Henetorum nomine contractum videtur. Prius enim fortaſſis Heneta vel Entæ, poſtea mutata prima litera Antæ appellati. Innumeros enim ut Procopius dicit, Antarum populos ſine nomine ante hæc tempora fuiſſe, quis crediderit? Ad quod autem aliud concinnius referri illi poſſint, quàm ad il-

lud

lud antiquum Majorum suorum. Antes quippe, Slavos & Venetas ab una stirpe exortos scribit Jornandes. Quæ non alia est quam Heneta. Cæterum tamen eadem in historia Danubium subinde, ingentibus Romanorum damnis transgressos memorat. Et eam ob causam præsidium Thraciæ impositum Unde adeò patet jam, illo tempore has gentes antiquis cubilibus, prorumpere & Romanum Imperium lacessère cœpisse. Sed quia in his expeditionibus Antæ cum Slavis plerumque, ut dixi, conjungi solent, horumque nomen altero celebrius & perennius est, ea quæ de Antis dici præterea possent, sub Slavis complectar, de quibus jam dicere ordior.

Slavorum nomen non multò ante Justiniani tempora innotuit, cum populus ipse longè antiquissimus esset. Sed antehac sub Sarmatarum, Henetorum, & id genus aliis nominibus cognitus fuit. Posteaquam Gothi, Alani, Vandali, Hunni, terras Occidentis & ipsam Imperii Romani sedem inundassent, cepit has quoque gentes ardor ad quærendas sedes novas, & famam simul augendam nominis sui. Ac primus equidem impetus à voluntariis cœpit, qui fortassè eo tempore Chetniei (cui Henetorum vocabulum valdè affine est) appellati; hodiè Ocl otnici lingua Sarmatica vocantur. Certè Slavorum nomen natum creditur à generoso gloriæ studio, quo incendi primum Voluntarii ejusmodi

 solent,

ſolent, parem laudis amorem hortatu ſuo & exemplo in aliis deinde ſuſcitantes. Sclawa nimirum in hac lingua famam ſeu gloriam ſignificat. Inde nomen ſumpsêre, quotquot ad glorioſæ expeditionis communionem acceſſerant. Perinde ut Germani & Alemanni, ex iiſdem his Scytharum confiniis olim profecti, omnes ſe viros appellavêre. Sed alii tamen nomen iſtud à ſermone potius ſeu verbo derivatũ exiſtimant. Quippe ipſi quidem ab origine jam dicta abeunt. Nam & *Slavva* eſt à *Slovvo*, quemadmodum Græcum φήμη à φωνὴ, *loquor*, atq; inde Latinum etiam *fama* deducitur. Quod ſi à Slowo Slavos, ſeu ut lingua patria vocantur, Slowacos derivatum eſt nomen, tum credendum fuerit, eo nomine inſignitos, qui ejuſdem linguæ ac ſermonis eſſent. Fortaſſe enim, cum in arma ad exteras remotasq; terras ſuſcipiendas concurrerent, accolæ Ponti & Mæotidos Sarmatæ, militiæ ſuæ non niſi eos adſcribi patieba tur, qui linguam ſuam tenerent. Ita quippe genti ſuæ & famam conciliari, & concordiam inter ὁμογλώττες conſtare melius poſſe rebantur. Ac ſanè ut famæ, ſic & linguæ aucta tũ non parum eſt celebritas, adeò ut & univerſa, qua omnes Sarmatici generis populi latiſſime alioquin diffuſi utuntur, lingua hodie Slavonica appelletur, nec alio nomine inter linguas primores recenſeatur. Quæ res fortaſſis non nemini perſuaſerit, ut à lingua etiam Henetos

tos seu Enetos sibi nomẽ antiquis temporibus dedisse credat. A *Jezik* enim, quod linguam notat, fortè Jezici, aut Henzici, alia deinde dialecto Heneti dici potuêre. Sed hæc prout genius & captus cujusq; est, ita placent aut displicent. Neq; à me pro certis afferuntur. Cæterum sive Slawa sive Slowo originem Slavis, aut ut Græci appellant, Slavinis dedit, facile tamen patet, eos malè hodiè Slavos vulgò dici: Et vocabulum id, etsi ex altero Slavorum corruptũ, alienum tamen à gente hac esse: quæ gloriæ & libertati magnoperè semper dedita, servile nomen non meruit, quale aliarum gentium ex crebris vexationibus natum odium dedit populo, cui armis par non erat, posteà vero iis applicuit, quos captivitas & pretium alienæ potestati, inprimis Turcicæ transcripsit. Sed à nomine ad rem ipsam accedamus. Quam ut rectè ac ordine explicemus, primo quæ indoles & qui mores gentis fuerint, dicemus. Deinde quo tempore, quibus Ducibus, & ex quibus regionibus venerit tam populosa natio, ostendere conabimur; Deniq; in quas terras ac gentes divisa deinde sit, altero libro, si Deus vitam produxerit, edisseremus.

Quod ad genium & mores populi, de quo agimus, attinet, eos varii variè describunt. Et multa in iis ex vero laudata, plura etiam culpata reperio. Nec mirum in veteri illa barbarie asperum & immitem genium multa

commisisse, quæ excusari non possunt, nec debent. Cum inprimis in terras à popularibus quidem suis plerasque insessas, sed alieno tamen tum Dominio subjectas, sese multitudo illa injiceret, nullo penè jure, quam quod in armis viri pugnaces habent. Sed nonnulla etiam, quæ de his gentibus proximi temporibus illis Scriptores habent, recentibus odiis composita sunt. Procopii æva cæperunt illæ demum sollicitare Imperium Romanum, & licet multa damna subinde jam tum dederint, nondum tamen adeò altè vel vim suam provinciis, vel odium sui animis impresserant. Minus corrupte igitur tum adhuc de illis judicabatur. Inprimis Procopii istius judicium non iniquum videtur. Qui primò regimen gentis attingit. *Non unius enim imperio* (jungit autem Antes & Slavos) *regi*, ait, *sed omnium consensu, ideoque si quid utile aut damnosum creditur, de eo in concilio agi.* Plane itaque populare illis imperium tribuit, quale propius libertati esse judicatur. Quam adeò nunc quoque præcipuis eorum posteris placere minus mirum est, cum ex sanguine majorum amorem ejus hauserint. Religionem eorum describens Procopius: *Deum* inquit *unum fulminis opificem putant, cui res parere omnes. Litant ei bubus cæsis similibusque hostiis. Fati neque nomen norunt, neque ullam ejus in res humanas*

*manas vim esse existimant. Sed si quando mors immineat, sive morbido corpore, sive in belli periculis, victimas Deo vovent, vitæ pretium. Si evaserint, exsolvunt se voto, salutemque tali sacro redemptam arbitrantur. Colunt & amnes, nymphasque & id genus alia, quibus & ipsis sacra faciunt & ex sacris futuri signa captant.* In his Slavos aliis gentibus non Christianis nihilò deteriores reperio. Circa vitæ cultum major asperitas, de qua ita Procopius: *Vivunt in miseris tuguriis, satis longo intervallo separati, nec ibidem diu, sed mutatis crebrò sedibus.* Sed hanc vivendi rationem Sarmatis omnibus consuetam, & quasi natura insitam, toties jam antè perstrinximus. De modo prœliandi quæ dicit Procopius hodierno seculo aliquatenus Cosacis quidem & nonnullis Slavis, è quibus Pedites, vulgò Heidones peti solent, non item potiori Slavorum generi conveniunt; *Ubi pugnandum est*, inquit, *pedites plerique in hostem vadunt, scutum, jaculumque manibus ferentes, loricam nunquam induunt, multis nec tunica nec pallium, fœminalia ad pubem adstricti, nec ultra tecti in prœlium se inferunt.* Quadrant hæc in populos, qui hodieq; Slavoniā Ungaris vicinā habitant, nō in Polonos nec in veteres illos Sarmatas Tacito cognitos, quorum omnem vim in equis esse, & quibus per

turmas venientibus nullam aciem ait resistere. Mox de sermone subjicit Procopius. *Sermo* inquit *communis duabus gentibus* ( Antis & Slavis ) *mirum quam barbarus.* Quia scilicet asper pronuntiata est, non assuetis, ob concursum inprimis multarum consonarum. Sed barbariem mutuo gentes plerumq; sibi objecere. Græci inprimis omnes gentes, sua excepta, barbaras nominarunt. Romani barbarum solum appellabant, quod sub ditione Romana non erat, ut præter cæteros Cl. Salmasius ad Solinum pag. 798. ostendit. Postea Procopius de corporis specie, & iterum de modo vivendi aliqua addit; *Nec distat,* inquit, *corporis forma, proceri omnes & robore eximii, cutem pilosq, nec candidi planè, nec flavi, nec in nigrum declores, sed rubidi. Vivendi modus asper & negligens, qualis Massagetarum, nec minus continua sordes.* De corporibus non est, cur contradicamus Procopio, etsi horum varietas talis hic sit, quæ in aliis gentibus. Asperitatem vitæ & sordes nostra quoque ætate, vir alioquin celebratissimus in icone animorum objecit Poloniæ, sed ita à magno patriæ vindice Luca Opalinio exceptus est, ut quos negligentes cultus dixerat, famæ minimè negligentes senserit. Si vixisset, ea quæ de Polonis scripserat, antequã ederentur, in spongiam domesticam incubuisse optasset, ne in asperiorem Sarmaticam incurrerent. Sed quod res est, libenter fatebor. A sordium

dium maculis ne hodie quidem plebẽ Sarmaticam absterſero. Mirè enim inops, ſub jugo herili, vivit in diem, cultus omnis & adſpernans & ignara. Cæterum nobiles familiæ veſtitus, & equeſtris potiſſimum ſupellectilis pretio, nullius nationis elegantiæ cedunt. Magnates omnem gentium non modo ſplendorem, ſed & luxum anteeunt. Si quid minus ordinati occurrit, id ad ſervorum, quorum centurias alunt, multitudine eſt, quã in gente minimè umbratica à confuſione difficilius, quam ab Æthiope nigredinem avellas. Deniq; non deformimorum elogio finit judicium Hiſtoricus. *A vafritie ac malitia remoti, & hac ipſa quoq; innocentia Hunnis ſimiles.* Fucum & fallacias removet à gente Slavorũ, quæ nullis dum artibus fregerat indolem, ad arma maximè nata, falli quam fallere pronior. Candoris hanc gloriam ridere pæne hodie homines pragmatici, & belle ſibi res ſuas egiſſe videntur, ſi quamplurimos deceperint. Sed rideant illi, quantum lubet. Dum conſtet, fixumq; maneat, ab ingenuitate veræ prudentiæ junctâ maximos quoſq; viros, ſeculis optimis laudatos calliditatem & fraudes in ultima mundi fæce hæſiſſe.

Hæc morũ facies erat populi, qui tũ in Imperiũ Romanũ ſe infundere cœpit. Nunc tempora videamus, quando ſe infuderit. Innuimus verò ſupra nõ ſemel gentes iſtas egreſſas ſedibus antiquis. Sed tempora, quibus olim Venedæ, aliæq; his affines nationes à Sarmatiâ in has

terras

terras venêre, suspicari quàm affirmare facilius esse, jam ante non semel diximus. Latent illa intra ultimæ antiquitatis obscurum Chaos. Cum nullæ propemodùm nationes seriùs literas & ingenia colere cœperint. Nec Henetorum, Paphlagonum, Galatarum in Illyricum adventum ab alto jam repetemus. Illud denuò monuisse sufficiat, postquàm hæ gentes in terris, ad quas venerant, dispersæ, antiquos mores ac penè etiam linguam exuissent, aut certè miscuissent cum priscis indigenis, alios subinde atque alios ex veteri quasi matrice affluxisse Sarmatas. Sed seculo inprimis quinto & sexto numerosis admodum copiis prorupêre: Deo in Romanum Imperium nullas non gentes irruere permittente, postquam tempus illud à sacro Vate in Apocalypsi significatum advenerat. Illi autem populi excitati primùm sunt fama atq; etiam conspectu successuum, quos Gothi, Alani, Vandali, Hunni in diversis Romani Imperii partibus habuerant, cùm & ipsi subinde pars earum expeditionum essent. Simul vero videre illas terras, in quibus invasores populi ante habitassent, esse magnam partem vacuas. Ipsi porrò apud Mæotidem & Pontum Euxinum, bellis Imperatorum Orientis adversus Persas gestis, multum atterebantur. Nam & Imperatores & Persæ illac ducebant plerumque exercitus. Unde & nunc ad hos, nunc ad illos applicare se coacti sunt, prout fortuna alterutrius partis prævaluisset, aut ea vi-

ctores

ctores uterentur. Sed Persæ plurimum seu armis seu blanditiis apud illos potuêre, locis non multum dissiti, nec habitu & moribus adeò dissimiles, præ aliis verò promptos sibi habuêre illos, qui spreta religione Christiana, antiquos ritus sequebantur. Quos facillimè identidem Persæ, ut paulò post dicetur, adversum Imperatores commovebant. Unde adeò & Chagano (vel ut Leunclavius dicere eum maluit) Chano, Hunnorum Duci, quem Chosroës comitaverat, plurimi & Slavi, & iis cognatæ gentes iverunt comites. Qui hinc se innumerabilium populorum Ducem appellare solebat. Et profectò infinitâ harum copiarũ multitudine adeò perculsus fuit Mauritius Imperator, ut amicitiã Cagani multis amplissimis muneribus, imò & tributis annuis redemerit. Sed non sub Mauritio primùm emersit nomen Slavorum, uti proditũ video à Crantzio, & in Carionis Chronico per Peucerum virum clarissimum aucto. Quippe id sub Justiniano jam percrebuerat, & in ejus historia multa, ut patet ex ante dictis, de Slavis habet Procopius: habet & Jornandes, qui Procopio, ipsique adeò Justiniano coævus fuit. Sed ante hos fateor, nemo veterum autorum, quos habemus, Slavicum nomen memorat. Sabellicus, qui sub initium seculi superioris scribere desiit, Slavos Histriam sub Justino, qui Justinianum sorore suâ genitum ad Imperii consortium vocavit, occupasse narrat, eò ferè tempore, quo Czathus, Lazorum

Rex,

Rex, Christianismo initiatus est: quâ occasione odia inter Persas & Romanos gravissima, bellumque in Lazica exarsisse supra dixi. Hæc itaq; forsan prima gentium Sarmaticarum sub nomine Slavinorum conjuratio, atque à sedibus Mæoticis in alias atq; inprimis Illyricas eruptio fuerit, referenda ad annum Servatoris quingentesimum vigesimum primum, aut præter propter. Paulò ante verò Bulgari Sarmaticus pariter populus à Volga fluvio ad Istrum venit, magnisque sub Anastasio imperatore reportatis victoriis, eò denique vires sensim provexit, ut denique Constantinus Pogonatus in dandum iis annuum tributum consentire coactus sit. Et diu postea Reges Bulgarorum Imperatoribus Constantinopolitanis admodum fuêre graves. Sed Bulgari isti, etsi Slavinis cognata natio, seorsim tamen res suas egisse videntur. Altera autem, populorum Slavinum nomen ferentium eruptio, ad quingentesimum quinquagesimum æræ Christianæ annum referenda videtur, à quo tempore plerique etiam Scriptores res ac Principatum Poloniæ Bohemiæq; ordiri solent, illius conditorem Lechum, hujus Zechum memorantes. Hæc enim altera expeditio non intra breves impetus stetit, sed multis annis continuata esse videtur, donec radices jam firmius agerent, in Polonia, Boëmia, vicinisq; regionibus, ac soli denique istic rerum potirentur. Affluebant iis continuò adhuc alii atque alii ab

eadem

eadem Mæotide, Ponto & Bosphoro Cimmerio Sarmatici populi, partim fama Slavinorum gentilium suorum exciti, partim etiam pertæsi perpetuarum illarum calamitatum, quibus bella inter Persas & Imperatores Constantinopolitanos, tot annis regiones eas prorsus labefecerant. Sub Heraclio porrò Chosroës, tanto plus negotii facessivit Romanis, omnes hos populos magnis solicitationibus, ac promissis concivit, conflatumque ex iis ingentem exercitum in ipsam Thraciam misit: quem prodigiosis tempestatibus cœlitus dissipatum ex Theophanis annalibus memorat Baronius sub anno 1625 Eodemque tempore Imperator in Lazica agens, Gazaros, populum verè Scythicum contra Persas evocat, qui ipsam quoq; Persidem ferro & igne crudelissimis modis depopulati sunt; Successêre Saraceni, qui paulò post istas regiones & Armeniorum regnum occuparunt. Ut undique pateat Lazorum vicinarumq; iis nationum Sarmaticarum miserrimam tùm fuisse conditionem, natamque inde occasionem impetumque alias meliores quærendi sedes.

Sed satis de tempore. Loca, ex quibus erupisse hos populos arbitrer, non semel hactenus, etiam aliud agens, innui. Sed nunc paulo majore cura nobis illa vestiganda sunt. Quando præsertim autores, qui ante nos scripserunt, in diversa ire conspicor. Ex rerum Polonicarum,

Boë-

Boëmicarumque Scriptoribus, plerique gentis ſua principia ex Slavonia & Dalmatia arceſſiſſe contenti, non inquirunt ulterius, unde in Slavoniam & Dalmatiam venerint populi, qui deinde his noſtris primordia dederint. Bernhardus Vapovius, & poſt illum Martinus Cromerus Epiſcopus Varmienſis, erroris damnant communem & receptam ſententiam, ex illis Pannoniæ & Illyricis regionibus, gentes has deducentium. Qui iidem Autores, cæteris accuratiores & fabularum minus amantes, exploſêre etiam commenta anteriorum, qui progenitores harum nationum à Japeto per Philyram, Anchiſen, Æneadas, Alanum, Vandalumque accerſunt, Dugloſſi item Miechovitæ, & ex Bohemis Hageci aliorumque opinionem, quæ ab Eliza altero Javani filio natales familiarum, de quibus agimus, repetit. Nobis antiquas illas à caſca & obſcura nimis antiquitate deductas genealogias ſolicitè ex ruderibus ſuis eruere, non eſt nunc propoſitum. Cromero autem, Viro in Republica, æquè ac in hiſtoria magno, lubenter ita ut decet aſſurgo: Quo neminem accuratius res Poloniæ compoſuiſſe, ultrò cum cætero orbe erudito confiteor. Nihilominùs circa hæc Slavicæ gentis incunabula longius illo progredi, opinor, licet, & antiquum illud dicere, *hoc amplius cenſeo*: Negat ille Polonicam gentem Boëmicamve, & quæ his cohæsêre gentes, ex Dalmatia & Illyrico habuiſ-

habuisse originem. Et rectè opinor, negat. Neque enim Dalmatæ & Illyrii illi has latissimè patentes regiones implere potuerunt, cum inprimis suas quoq; illas terras non omninò deseruerint. Et certè usitatæ illæ de Lecho & Cecho narrationes, quomodo cum omnibus colonis, *familiis, & substantiis suis*, uti ea de re loquitur Dlugossus, *emigraverint*, parum omninò probabilitatis habent. Illud utiq; animo concipi vix potest, quomodo duo illi fratres, cum tali comitatu ex Slavonia Dalmatiave egressi, tanta Regna occupare, tueri & sui sanguinis multitudine opplere suffecerint. Quod si porrò illi ipsi, quorum progenies in Polonia Boëmiaq; consedisse putatur, advenæ in Illyrico fuerunt, tantò minus & ibi & hic tot loca replere & tanta contra veteres indigenas gerere potuerunt. At advenas illic fuisse Slavos & Cromerus sanè statuit, & ego Cromero lubens assentior. Sed quod addit Cromerus in Illyrico & Dalmatia nullas antehac gentes Sarmaticas fuisse, id verò concedi non potest, nisi omnia, quæ de Henetis in Sinum Adriaticum profectis, & illic sedes in Istria metatis, ex totius penè antiquitatis consensu Autores scribunt. & nos supra diximus, falsa esse velimus. Intereà tamen, nihilominus cum Cromero nego, ab Illyrici vel veteribus vel novis incolis has, de quibus agimus, nationes omnes ortum suum duxisse. Rationes cur negẽ, jam sæpius attigi, & apud ipsum Cromerum latius diductæ legi possunt, servata tamen moniti nostri, quod antè apposui, memoriâ. Idem autem Cromerus postquam ostendit, primævos Polonos, Zechosq; & his affines populos, non ex Illyri-

 co

co derivandos esse, ipse eosdem universos, & quanti quanti sunt, ex Russis diducit. Nomen Russorum perantiquum sanè esse fateor. Meminit eorum Strabo, Plinius, Tacitus, & multi alii veteres, sed alii Roxanos, alii Roxolanos vocant. Nec desunt, qui gentis mentionem ab Ezechiele Propheta cap. LVIII. v. 2. sub nomine Rhos, fieri existiment. In eam utique sententiam Buchardum video propensissimum esse. Qui & ex Nubiensi Araxen fluvium Rhos vocatum docet, & ex Josepho Bengorione Rhossos ad Cyrum fluvium, Araxi vicinum, non procul à Caspio mari, & Caucaso habitasse demonstrat. Imò & Tauricam Chersonesum aliquando possedisse asserit. Plinius illos Alanis proximos ponit. Et fortè ex harum gentium vicinia mixturaq; natum Roxolanorum nomen. Ptolomæus Hamaxobiis eos adjungit, sed ita ut nullius præterea gentis interjectu separet ab Alanis. Zonaras, Tzetzes & alii græcè Ῥῶς illos appellant, voce nusquam flexa. Quomodo & à Polonis Rusi vocantur. Ipsumq; hoc nomen in lingua *Slavonica* à motu ortum videtur, quia, ut pleriq; alii Sarmatarum, sedes minimè fixas habuêre. Abrahamus Ortelius tabula, qua Pontum Euxinum & ei accolas populos ad veterum Autorum fidem delineat, Roxolanos ad Lycum amnem ponit, qua is ex Ryphæis montibus in Mæotiden prorumpit. Hodiè id nomen tenent magnæ provinciæ ad Poloniam, Lithuaniamq; pertinentes: Tenent idem majores, quæ Magno Moscorum Duci subsunt. Utrisque lingua eadem, nec mores multum diversi, nisi quod illi, qui Reipublicæ Polonæ accesserunt, leges, ab hâc, & bona libertatis

hau-

hauriunt. Subinde tamen ad aliam nescio quam majorem libertatem animis, novissimè & armis connisi. Cæterum cum hodiè adeò late Russorum nomen extendatur, arctioribus aliquanto terminis, ab antiquis, ut dixi, constringitur. Fortè quia remotissimos illos & penè extra solis metas (ut sic loquar) protractos Septentrionis recessus, veterum nemo lustraverat, qui & hodiè vix nisi navigationibus maritimarum gentium patuêre. Eas utiq; terras ubi florentissima Russiæ nostræ pars est, & κατ' ἐξοχὴν Russia nobis vocatur, non Roxolani illi veteres, sed Basternæ & Peucini tenuerunt. Ac perinde alios etiam nonnullos regionum tractus, quos hodiè Russi tenent, non à Russis habitatos esse, ex tabulis antiquis ostendi potest, sed quidquid hoc sit, populos utiq;, qui Mœsiam, Daciam, Pannoniam, Dardaniam, Liburniam, Illyricum, Dalmatiam & Istriam subegerint ac habitarint, qui Thraciam, Macedoniam & Græciam divexârint: Græcamq; linguam corruperint, Russos fuisse, & rebus tam feliciter gestis, Slavorum seu Slavinorum nomen à gloria sibi sumpsisse, Cromerus censet. Nec hoc satis, Russos fuisse, idem arbitratur, qui eam Germaniæ partem, quæ *à Vistula ad Salam & Albim seu Visurgim usq;, inter Carpatum montem, Danubium & Oceanum Germanicum protenditur, occuparunt, & in suam ditionem redegerunt.* Ego Slavinorum majorem partem ex Russis veteribus venisse minimè inficiandum puto. Cum provinciæ quædam olim ut dixi Basternis, Peucinis seu Peucinegis, Boranis, Carpianis, Tyrangitis, ad Septentrionem verò à Troglodytis, Gelonis, Neu-

 ris,

ris, olim habitatæ, posteà Russos habuerint incolas, atque etiamnum hodiè habeant; nimirum illæ, in quibus est hodiè Leopolis Belza Premisliæ, Luceoria, Krzemenecia Halicia, Vlodimiria, Barum Braclavia, Camenecia, deinde versus Septentrionem, Kiovia, Pereaslavia, Smolenscum, Mohilevia, Czernihovia & aliæ his confines provinciæ & urbes. Qui enim his in oris latè patentibus, & multum inter se distantibus habitant Russi Nigri, Albi, Rubri nunc vocari solent, cùm in veterum Geographorum tabulis longè alia habeant nomina. Imò & eos Slavinos, qui in Illyrici montanis regionibus, Slavonia Dalmatia & Croatia sunt, tum & alteros, qui Bohemiam habitant, majori ex parte Russicæ originis esse, non ægrè concesserim, cùm dialectus harum gentium propius accedat ad linguam Russicam. Cæterum universam Slavorum gentem, quæ illas ante ipsius magni Cromeri verbis enumeratas terras occupavit, ex unâ Roxolaniâ venisse, minimè mihi verisimile est. Nam etsi satis spatiosa fuerit regio; multas tamen ejus partes, cœlo soloq; asperrimas, rarus incola coluit: Ut adeò profectò tantam hominum multitudinem, quanta fuit Slavorum, effundere nequiverit. Cùm inprimis eodem penè tempore, quo Slavi prorupêre, Bulgari, Russicus pariter à Volga fluvio, populus, ut præter alios Tubero Dalmata confitetur, ingente numero Istrum trajecerint, & ipsis Imperii Constantinopolitani quasi cervicibus insederint. Quid quæso hominum retinuisset Roxolania si hunc tàm numerosam gentem, & alteram longè numerosiorem, Slavorum nimirum totam, eodem tempore una

unà profudiſſet. Præterea quædam gentium iſtarum, eæq; primariæ, linguæ dialecto à Ruſſis multum diſtant. Polonica ſanè, junctis in unam ſyllabam multis conſonis, quidem aſperiuſcula, at magis maſcula eſt: Propius ea in re ad Orientales accedit. Ruſſi contra ſonantiores illas literas C. G. S. Z. aut mutant in alias molliores, aut planè omittunt. Sic diem Poloni vocant *dzien*, Ruſſi *den*. Ubi verò conſonæ plures in Polonico concurrunt, vocalem illi interponunt; ut exiguum vocabulum Polonicum *Przeslac* longè aliter effert Roxolanus. Dicet enim *Peresilati*; pro *będzie*, Ruſſi dicunt *budet*. Quod ſi ex Ruſſis Poloni ſunt, ut magnus Author credi voluit, quæro qua parte veteris Ruſſiæ talis linguæ dialectus reperiatur, quali Poloni utuntur? Neque enim probabile eſt, aut Polonos aſperiuſculam illam componendi & pronunciandi rationem tùm demum aſſumpſiſſe, poſtquam ex Ruſſia egreſſi ſunt, aut Ruſſiam, quæ ipſos emiſerit, poſt abitum demum illorũ molliori loquendi rationi aſſveviſſe. Unde inducor ſubinde, ut credam, non ex ſola Roxolania hos tam ingentes populos eſſe profectos, ſed partem eorundem extra Roxolanorum terras olim habitaſſe, niſi forte Roxolaniæ fines ad Cyrũ & Araxen fluvios, ipſumque mare Caſpium, olim quoque extenſos fuiſſe credere velimus; uti quidem Buchartum ſupra ex Orientis Scriptoribus oſtendere voluiſſe dixi. Sed id cæteri Geographi, aut neſciverunt aut improbârunt. Sed quæ igitur tandem terræ, populos iſtos, quos ex Roxolania prodiiſſe dubitamus, olim habuerunt? Æquè fortaſſis facilè id dici poſſet, atque illud de Roxo-

 lania


xolania affirmarunt alii, si nude citraq; Autoritatem in tabulis sciscere atque affirmare aliquid vellemus, quod utcunq; probabile videatur; Mihi in re hac obscura illud primum pro Helice & Cynosura tenendum videtur, quod Blondus & Sabellicus, aliique viri graves, nec in pronunciando audaces, nec a Chomero ipso hac in re repudiati authores asseruerunt: Gentes, quæ Slavorum nomine inclaruerunt, a Cimmerio Bosphoro & Tanai è Sarmatia & Russia profectas esse. Id enim Autorum istorum pior libro 1. doc. 1. Alter Ennead. VIII. lib. 2. affirmat. Ergo non ex Russiâ tantum, sed ex reliquâ etiam Sarmatia populi isti prodierunt. Hæc autem cum latè patuerit, multasque omninò nationes, non tam genere quam linguæ dialectis diversas continuerit, fortassis aliquibus indiciis conjici possit, quam Russis terra sua egredientibus jungere debeamus gentem. Definiri quidem liquidò non potest. Ad conjecturam verò faciendam loca quædam veterum conducunt, quibus positæ olim ad Bosphorum, Mæotidem & Pontum gentes describuntur. Hæc diligenter conferre oportet, cum antiquæ Geographiæ tabulis, quas olim Ptolomæus, postea verò accuratius Ptolomæo Ortelius, aliisq; depinxêre. In his, si inveniuntur aliqui Sarmatæ, qui nominibus quodammodo nostris his populis respondeant; si & alia quædam occurrant, quæ conjecturæ ex nominibus petitæ suffragentur, nihil autem grave adeò eidem opponi possit, digna equidem illa conjectura est, quæ aut acceptetur, aut non facilè rejiciatur. Tantisper utique expendi meretur, donec detur aliquid melius. Ad eandem hanc

hanc rem conducent etiam opinor, quæ ſupra ex Procopio de gentibus ad Phaſin fluvium & Pontum Euxinum olim poſitis dixi. His addantur, conferanturque quæ de iisdem Plinius libro IV. cap. 12. item libro VI. cap. 4. 5. 6. 7. quæ item Arianus in periplo Ponti Euxini prodita reliquit: Ex quibus locis illud ſaltem apparebit, nuſquam terrarum & plura, & noſtris gentibus Slavicis convenientiora nomina concurrere, quam in illo ad Mæotim tractu. Ut quæ inde Slavorum nationes egreſſæ ſunt, ſtudio antiqua nomina ſua novis Coloniis impoſuiſſe, & exinde famâ, cujus ſtudium ab ipſâ appellatione noviter aſſumptâ, præ ſe ferebant, quæſiviſſe videantur. Plinius circa Mæotim inter alias multas gentes *Serbos* numerat, à quibus valdè probabile eſt Serbos propagatos, qui in Iſtriâ Serbiæ in Luſatia Sorabis nomen dederunt. Nominat ibidem Plinius Antacas. Hoc verò nomen (ſi inprimis Sarmaticam terminationem demas) non multum abludit ab Antis, quos Procopius & Jornandes proindè Slavinis jungit. Nominat iſtic Choatros, quod facilè in Croatas ſeu Crobatas abire potuit. Procopius non procul à Caucaſo Abasgos ponit, quorũ nomen & mores ſupra deſcripti noſtris montanis, qui *Besketnici* vulgò dicuntur, non malè quadrare videntur. Ibidem ad oram maritimam *Zechos* locat, ex quibus gens zechorũ fortaſse rectius deduci poſſit, quam quod vulgus Hiſtoricorum facit, ex Slavonia. Certè, hodieq; in Tauricæ Cherſoneſi tabula, quæ in Atlante majore habetur, ad orã Ponti leguntur loca à Zechis nomen habentia. Idem Procopius non adeò longo inde intervallo poſitam terram *Eleyſiam*

nomi-

nominat, à cujus incolis non ineptè forsan Silesiorum appellatio derivari possit. Certè Silesiacæ Historiæ conditores de antiquo nomine Elysiorum multa loquuntur, sed quomodo in hunc Procopii locum non inciderint; ignoro & miror. Ipsius Lazicæ pars à Lycophrone Lygistice, *populique ipsi Lygii* appellantur, qui fortassis cum Eleysiis idem sunt. Agathias *Misianos*, Lazis non propinquos modò sed & subditos quodammodò facit. Jam ex Lazis, seu ut Herodotum appellare diximus, Laxiis, Ducem aliquem cum parte populi, inter perpetuas illas Imperatorum cum Persis & deinde Turcis conflictationes, calamitatum domesticarum pertæsum cæteris Sarmatis migrantibus sese sociasse, non est absurdum creditu. Certe nec Lazorum nomen, nec Lazica vox Polas, de qua superius dixi, nec Lochis urbs, quam in illis confiniis ponit Ptolomæus, adeò longe diffident à Lechicæ gentis nominibus. Et tot Lesci Polonorum Principes, tum mons Lascotinus, qui prope Cracoviam est, non videntur abhorrere ab illa origine, tam multa porrò egregia, moribusque Polonicis convenientia, de Lazis supra retulimus, ut neminem istiusmodi originis pigere adeò debeat. Arianus in periplo Euxini Zechis & Sanigis Lazisq; ipsis vicinam facit Masæticam: Quod nomen, an Masoviis simul olim egressis hæserit, licebit iis, quibus cura ejusmodi non displicet, disquirere. Mihi sufficit, divinandi & ulterius scrutandi dedisse ansam ingeniis.

FINIS.



# INDEX,

In Dissertationem de Originibus Sarmaticis.

## A.



## B.

C.



G.



Getis

M.



N.



O.



P.

## R.



## S.

*F I N I S.*

A01, 1474646

L.122.

LVI
D 17

Digitized by Google